
Harry Chmielinski

Holy Cross College

Class of 1904



by the epic-poetry
epic-poetry

ARS DICENDI

PRISCORUM POTISSIMUM PRAECEPTIS ET EXEMPLIS

ILLUSTRATA

A

IOSEPHO KLEUTGEN

SOCIETATIS IESU

AUGUSTAE TAURINORUM
TYPOGRAPHIA PONTIFICIA
PETRI MARIETTI
1898

Editor sibi vindicat jus proprietatis.

PRAEFATIO

Quae nostra aetate de doctrina dicendi opera in lucem prodierunt, tribus maxime rebus ab iis, quae saeculis proxime elapsis in usu erant, differre existimo. Primum enim quae olim de *elementis rhetoricae*, de ipsa *rhetorica* et de *poëtica* arte separatim et a diversis fere auctoribus tradi consueverant, ea hodie cuncta uno de *arte dicendi* opere complectuntur. Huius autem operis cum partem primam omni dicendi facultati communem, alteram solutae, tertiam poeticae orationi propriam fecissent; eo quoque a veterum consuetudine deflexerunt, quod in parte altera non de paucis et obviis scriptionibus, ut epistola, ut narratione, sed de historia quoque multisque aliis gravissimis operibus exponerent; inter haec autem oratoriae facultati non plus operae et studii, quam reliquis tribuerent. Tertium discrimen in rerum, quae docentur, tractatione notatur. Veteres enim,

quae in ratione dicendi animadversa erant, accommodate ad usum plano et simplici sermone explicabant; hodierni scriptores haec praecepta ex philosophica doctrina, quam *aestheticam* appellamus, repetenda putaverunt. Itaque in parte illa, quam communem dixi, principia ponunt, ex quibus in sequentibus praeceptiones singulas docte et subtiliter derivare student, de divisione quoque et definitione haud raro enucleate et erudite disputantes.

Ac mihi quidem ad usum, quem edendis hisce libris spectamus, animum advertenti, ut aliqua quae nostri aevi scriptoribus placuere, utiliter assumi, ita nonnulla ab hoc instituto aliena esse videbantur. Quod enim ex re ipsa natum esse intelligo, ut scilicet omnia dicendi praecepta opere uno comprehenderentur; id etiam ad breviorem planioremque tractationem conferre aliquantum posse fateor. Enimvero ut de ea, quae proprie *eloquentia* dicitur, nec accuratius nec fusius quam de reliquis solutae orationis operibus praeciperetur; id neque mori alicuius aetatis, nec illi, quam in deliciis habent, divisionis aequabilitati concedendum putavi. Praeterquam enim quod eloquentiae sacrae et profanae usus et per se ipse gravissimus et discentium plerisque frequens futurus est; ea est huius facultatis vis atque ratio, ut qualibet alia magis adolescentium ingenia ad omnem humanitatem informet. Neque igitur eam in parte aliqua communi inclusi; sed posteaquam

de nonnullis solutae orationis generibus in parte secunda, atque de poesi in tertia disserui, propriam adiunxi, in qua rhetoricae praecepta more consueto executus sum. In illa autem secunda parte, etsi praeter epistolam, narrationem et descriptionem, vitas quoque, historiam et dialogos brevissime tractavi; multitudinem tamen operum, de quibus plerique nostra aetate praecipiunt, persequendam esse non sum ratus. Sic enim mihi cum Tullio (1), cui consentit Fabius, recte statuere videor: cum tradita sunt cuiusque artis difficillima, reliqua, quia aut faciliora aut similia sint, tradi non necesse esse; ut in pictura, qui hominis speciem pingere perdidicerit, posse eum cuiusvis vel formae vel aetatis, etiamsi non didicerit, pingere; neque esse periculum, qui leonem aut taurum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit. Neque enim est omnino ars ulla, in qua omnia, quae illa arte effici possunt, a doctore tradantur: sed qui primarum et certarum rerum genera ipsa didicerint, reliqua non incommode persequuntur. Et certe cum cuiusque artis opera paene infinita sint, qui singulas species exequi conati sunt, duo subierunt incommoda, ut et nimium dicerent, nec tamen totum (2).

Ab illa denique docendi ratione, quae artis praecepta ad philosophiam revocat, plane mihi

(1) De or. 2, 16.
(2) Quint. 5. 10.

refugiendum esse censui; quippe quae et adolescentium ingenia, tenera adhuc et nulla altiori disciplina imbuta, non excolendo perficiat, immo etiam obtundendo depravet, eamque ipsam animi culturam, quam hac institutione quaerimus, sincerum pulchritudinis iudicium et politioris humanitatis sensum, mirum quantum impediat. Itaque huius operis parte prima non philosophiae principia, ex quibus deducantur regulae artis, sed praecepta cuivis dicendi generi communia complexus sum. Neque omnino quidquam diligentius quaerendum mihi esse statui, quam ut omnia, quae traderem, ad tironum usum et intelligentiam accommodarem. Qua tamen cura prohiberi me nolui, quominus aliqua captu facilia nec scitu inutilia ex laudata aestheticae doctrina paucis intexerem, aut de nonnulla, quae hodie agitatur, subtiliori quaestione, quid sentirem, in notis vel scholiis breviter explicarem.

Illud vero haud scio an multis immerito fecisse videar, ut parte generali vix alia, quam elocutionis praecepta comprehenderem. Loci saltem illi, qui inventionem spectant, ad communem doctrinam referendi fuisse videantur. Quamquam nec illud me fugit, esse, qui totam hanc locorum doctrinam abiiciendam aut certe ex integro mutandam censeant. Quoniam enim homo, quaecumque sciat, ea vel vitae usu vel historiae monumentis vel cogitandi vi cognoverit necesse est; ad haec vel similia genera inveniendi praecepta

revocari volunt. Verumtamen non id huic disciplinae propositum est, ut in naturam et originem omnis cognitionis subtilius inquirat; sed ut indicet et explanet ea rerum capita, quorum consideratione argumenta, ad id, quod volumus, probandum idonea facilius reperiamus. Ut igitur ad hunc usum loci, quos plerique omnes cum Cicerone ex Aristotele deprompserunt, mea quidem opinione sunt aptissimi; sic tamen eum ipsum usum in ulla alia nisi in oratoria arte habere vix possunt. Etsi enim, quae historici et ipsi poetae dicunt, ad hosce locos aliquo modo referri sine dubio queant; nemo tamen vel historiam vel carmen scripturus, ex locis illis ea, quae dicturus est, quaerenda sibi putaverit. Qua de causa ut appellantur, ita et vere sunt *loci oratorii*. Huc accedit, quod locorum doctrina tam plana et facilis non sit, quin eam aetati et ingenio discentium paullo maturiori reservari praestet.

Nec vero inveniendi tantum doctrinam, sed reliquas etiam partes paene omnes operam dedi, ut ex veterum scriptorum sententia et, quoad eius fieri posset, verbis quoque exponerem. Neque enim non possum consentire iis, qui priscos haud minus rectissimis praeceptis, quam pulcherrimis exemplis optimos dicendi magistros extitisse censeant. Et cum alia nec pauca nec levia argumenta in promptu sint, quibus has institutiones latine tradendas defendamus; qui eum, quem dixi, veterum usum probaverint, ii certe aliam a me rationem

non requirent, cur hac quoque in re maiorum nostrorum exempla, quam aetatis huius consuetudinem sequi maluerim. Neque enim fore quemquam existimo, qui consentiat, adolescentibus ea, quae veterum ipsorum verbis enuntiata intelligant, vernacula lingua interpretata proponi.

Ut denique et magistris explicatio et discipulis intelligentia facilior redderetur, omnia, quae dicenda putabam, ita distinxi, ut gravioris momenti praecepta maiusculis litteris excudenda curarem; in subiectis autem notis aliquid ad accuratiorem doctrinam non inutile adiicerem. Non defuere praeterea, qui has institutiones, ut multi alii et ipse Tullius filio praecipiens fecere, per quaestiones et responsa absolvendas putarent: propterea quod hac ratione docendi et quid in quovis praecepto maxime quaeratur, facillime monstretur, et discipuli in recolendis iis, quae didicerint, non parum adiuventur. Verum cum aliis et diffusior haec tractatio et ipse mos paene puerilis et obsoletus videretur; utrisque satisfacere conatus sum, cuivis vel articulo vel paragrapho paucis verbis praeponendis, ex quibus non modo magistri, sed ipsi quoque discipuli aptas sibi quaestiunculas facere possent.

Quibus ita servatis fore sperabam, ut institutiones hae neque a praesentis temporis more et instituto abhorrerent, et Societatis nostrae rationi studiorum plane conformes essent. Haec enim inprimis doctrinam omnem cuiusque scholae usui

et gradui accommodari iubet, praecepta vero dicendi ut latine, atque ex veterum potissimum scriptis tradantur, magnopere commendat; totius denique disciplinae partes eodem fere ordine, quo hic digestae sunt, in scholis explanari praescribit. Prima enim et altera parte continentur, quae humanitatis scholae adsignata sunt; quarta, quae rhetorices; tertia autem utrique scholae communis est: priori enim anno de poematis brevioribus (l. II, c. 1-8), posteriori de poesi universe (l. I) necnon de epopoeia, tragoedia et comoedia (l. II, c. 9-11) agendum erit.

Iam vero miretur quispiam, partem, quae oratoria praecepta complectitur, in hac nova editione ultimo loco positam esse. Neque tamen id sine consilio factum est. Etenim si quidem artis dicendi opera ex sola dictionis forma, vel soluta scilicet vel adstricta, distinguenda sunt; perperam sane eloquentiae praecepta a parte secunda disiuncta sunt: sin vero generis cuiusque natura, viaque et ratio, qua, quod spectant, obtinere debent, respicitur; iure ad extremum ea facultas tradita esse videatur, quae quidquid ceterae valent, suum faciat necesse est, ut propositum assequatur. Atqui sic res comparata est. Quod enim historicus narrando, disputator docendo, poeta delectando et movendo possunt; id omne oratori proprio quodam modo, ut mentes hominum et voluntates flectat, praestandum est (n. 3. n. 314).

Superest, ut notas compendiarias, quibus usus sum, explicem:

Ad Her. — Auctor ad Herennium.

Ar. — Aristotelis — Rhetorica, si in parte 1, II, IV; Poetica, si in parte III citatur.

A. p. — Ars poetica Horatii.

Bl. — Blair, praelectiones de eloquentia.

Iuv. — Iuventii Candidatus Rhetoricae.

Liv. — T. Livii Historiae.

Ov. — Ovidius.

Qt. — Quintiliani Institutiones oratoriae.

Sen. — Seneca.

Ciceronis et *Virgilii* opera sine nomine auctorum citantur, ut *De or.* Ciceronis libri de oratore; *Br.* Brutus; *Or.* Orator; *Part.* Partitiones oratoriae; *Top.* Topica; *De inv.* De inventione etc.; *Ecl.* Virgilii Eclogae; *Georg.* Georgica; *Aen.* Aeneis.

Si ex aliquo Ciceronis vel Quintiliani loco eadem in quaestione multa deprompta sunt, locus ille initio tantum quaestionis indicatur, ad singula vero, quae ex eo assumpta sunt, nomen auctoris *Cic.*, *Qt.* apponitur.

Horatii Odae eo numero notatae sunt, qui in editionibus ab obscoenitate purgatis legitur; quippe non aliae in manibus discipulorum versari debent.

INDEX

PARS PRIMA

DE STILO IN UNIVERSUM

PARS ALTERA

DE NONNULLIS ORATIONIS SOLUTAE GENERIBUS

PARS TERTIA

DE POESI

LIBER PRIMUS

DE POESI IN UNIVERSUM

LIBER SECUNDUS

DE VARIIS POEMATIS SINGILLATIM

PARS QUARTA

DE ELOQUENTIA

LIBER PRIMUS

DE INVENTIONE

LIBER SECUNDUS

DE DISPOSITIONE

LIBER TERTIUS

DE ELOCUTIONE, MEMORIA ET PRONUNTIATIONE

LIBER QUARTUS

DE ELOQUENTIA SACRA

LIBER QUINTUS

DE ELOQUENTIA CIVILI

ARTIS DICENDI APPENDICES

ARTIS DICENDI ELEMENTA

I.

DEFINITIO ET DIVISIO

Quid sit ars n. 1; quid ars dicendi n. 2; quis finis huius, quae genera n. 3.

1. Ars est facultas faciendi aliquid ex regulis certis atque perspectis.

Dicitur 1. *facultas faciendi* — quia non sola cognitione continetur, sed quandam agendi potestatem requirit; 2. *ex regulis certis* — nempe ex rationibus, quas multa observatio ad id, quod quaeritur, certe consequendum aptas notavit; 3. *atque perspectis* — quia facultatem illam non caeco quodam naturae ductu vel acquirimus vel exercemus; quare non ambulandi est ars, sed saltandi *).

*) Primo igitur horum trium ars ab scientia, altero a casu, qui est causa incerta, tertio a natura distinguitur.

Schol. Artes dividi solent in mechanicas et liberales. *Mechanicae* vocantur, quae communis vitae commoda spectant, ut ars fabrilis; *liberales* a priscis dicebantur, quae ad humanitatem pertinere, et ingenuis hominibus dignae esse videbantur; quapropter, tametsi eorum permultae sint, illae prae ceteris hoc signatae sunt nomine, quibus apud veteres liberalis institutio continebatur, scilicet: Grammatica, Arithmetica, Musica, Geometria, Dialectica, Astronomia et Rhetorica. Ex quo intelliges, a priscis nomen artis aliquando latius extendi, ita ut scientiam comprehendat. Recentiores discrimen inter illa duo genera in eo positum esse docent, quod ars mechanica vitae utilitates, ars vero liberalis pulchritudinem spectet. Porro utilitas rei est qualitas, qua ad finem quempiam apta efficitur ut robur

equi et velocitas; pulchritudo, qua res per se h. e. eo ipso, quod consideratur, animum demulcet, ut eximia equi forma. Itaque artes liberales vernaculo sermone etiam *pulchrae* dicuntur, earumque vulgo item septem recensentur: Architectura, Statuaria, Pictura, Musica, Mimica, Poësis, Eloquentia.

2. Ars dicendi, etsi, exposita notione artis, ipsum nomen sufficiat, vulgo tamen definitur: facultas bene dicendi. In qua definitione verbum *dicendi* non ad solam oratoris dictionem, sed ad omnem sive dictionem sive scriptionem tam adstrictam metro, quam solutam refertur. *Bene* autem dicere est: ad finem apposite dicere. Porro

3. Finis dicendi omnino triplex est: docere, delectare, persuadere; quapropter artis dicendi opera in tria item genera dispertiuntur: quorum primo ut finis proprius utilis doctrina, alteri delectatio, tertio est persuasio proposita.

1. Ad genus *primum* pleraque *solutae orationis* genera referuntur, ut: epistola, narratio, historia, dialogus et quaecumque alia *stilo*, ut aiunt, *didactico* utuntur. In his igitur maxime quaeritur utilis doctrina per rerum perspicuam accuratamque demonstrationem; etsi nonnulla gratia et venustas laudabiliter aspergatur.

2. *Alterum* genus *poësis* constituit, quae admirabilitate rerum et venustate sermonis suaviter animos commovet.

3. In *tertio* genere nec docere sufficit nec delectare, sed motus sunt animis admovendi, quibus flectatur voluntas *). Id *eloquentia* facit, regina artium a priscis appellata.

*) Poësis quoque praeter rei expositionem motus animorum habet, sed non tam ut persuadeat, sive ut ad capienda certa

et definita consilia impellat, quam ut honeste delectet. Eis igitur per se utilitatem non spectet, cave tamen ne inutilem putes: ut enim eloquentia utile consectans, pulcherrima facit opera, ita poësis pulchritudinem quaerens, huius ipsius effictione fructum habet uberrimum. De qua mirabili utilitatis cum pulchritudine cognatione Tullius: Ut in plerisque, ait rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata, sic in oratione: ut ea, quae maximam utilitatem in se continerent, eadem haberent plurimum vel dignitatis vel etiam venustatis — et sententiam illustrat exemplis caeli stellati, corporis humani, navigii bene instructi. De or. 3, 45, cf. Q. 8, 3.

II.

QUIBUS REBUS DICENDI FACULTAS COMPARETUR

Quid hoc loco natura n. 4; quid ars significet, et quae eius utilitas n. 5; quotuplex exercitatio n. 6.

4. Ad parandam dicendi facultatem requiruntur haec tria: natura, ars, exercitatio.

Natura hoc loco appellantur dotes naturae ad facultatem dicendi necessariae, ut memoria firma, phantasia felix, ingenium celer, uber, acutum, animus magnus et nobilis.

5. *Ars* hic accipitur pro disciplina praeceptorum dicendi; quare μάθησιν eam Graeci dixerunt. — Ea scilicet quae observata sunt in usu ac ratione dicendi, haec ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt. Atque sic est non eloquentia ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum. De or. 1, 23. 32.

Magnas tamen haec disciplina utilitates affert. Nam et mentem ad cognoscendam exprimendamque pulchritudinem excitat, et iudicium acuit:

scriptorum pleniorem intelligentiam aperit, atque in omni dicendi scribendique exercitatione quasi facem praefert. Quapropter si ratio quaeritur, quae inter artem et naturam intercedit, ars naturam perficit *), moderatur **) et a vitiis custodit ***).

*) Naturae dona inseri quidem et donari ab arte non possunt, sed limari tamen et perfici. Nam et quae bona sunt, fieri meliora possunt doctrina, et quae non sunt optima, aliquo modo acui tamen et corrigi. De or. 1, 25.

**) Habet ars quaedam quasi ad commonendum oratorem, quo quidque referat, et quo intuens ab eo, quodcunque sibi proposuerit, minus aberret, atque ita fit, ut ea, quae natura, studio, exercitatione consequimur, aut recta esse confidamus, aut prava esse intelligamus. Ibid. 1, 32. 2, 57.

***) Et cum quaedam sit virtutum vitiorumque vicinia, ut tumidus pro magnifico, temerarius pro forti, effusus pro copioso accipiatur; illi, qui sine doctrina naturae impetum in dicendo sequuntur, passim in vitia virtutibus, quas sectantur, proxima deferuntur.

6. *Exercitatio*, quae in omni arte valet plurimum, triplex est: legendi, scribendi, declamandi. Ex his tribus, natura, arte et exercitatione, efflorescit facultas, cujus in omni artificio fructus est maximus: *gustum* nostri dixerunt.

III.

DE GUSTU

Quid gustus, quae dotes eius et origo n. 7; qua ratione excolatur n. 8; quae pulchri norma, quid de gustu proprio n. 9.

7. Gustus est sensus et judicium pulchri. — Sensum dico mentis affectum, quo fit, ut quis pulchritudinis specie facile moveatur, judicium vero, per quod de pulchritudine recte aestimat.

Dotes gustus praecipue duae sunt; nam sincerus esse debet et subtilis. — Sincerus (purus) est, si veram pulchritudinem a falsa optime discernit; subtilis, si ad latentes etiam, et eas, quae parvae videantur, rationes penetrat.

Si originem quaeris, in omni hoc genere magna quaedam est vis incredibilisque naturae: sed ea tamen per se sola non sufficit *).

*) Omnes enim tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione, quae sint in artibus et rationibus recta ac prava, diiudicant (De or. 3, 50). At tacitus hic, quem natura tribuit sensus, tum proprie appellatur gustus, cum ex rationibus optime perspectis certum etiam habet iudicium.

8. Excolitur autem gustus attenta operum consideratione, doctrina praeceptorum et omni liberali disciplina, usu et exercitatione, virtutis denique cultu et amore *).

*) Quid bona vita et omnis virtus valeat in artibus, fusius disputat Blair (Prael. 2.); Fabius vero: Hoc, inquit, prorsus eximatur animo, rerum pulcherrimam eloquentiam cum vitiis mentis posse misceri; — idemque illud suum: Nemo orator nisi vir bonus (Qt. 12, 1), — per totius operis decursum identidem repetit Seneca denique idem exemplis et rationibus demonstrat. (Ep. 114, v. inf. n. 143). Certe in omni populo et in iis praecipue, qui artibus maxime floruerunt, cum moribus sincerum quoque illud pulchri et decori iudicium corruptum est.

9. Dubitarunt nonnulli, an certum esset ullum de pulchritudine judicium. Animadvertentes enim, quam diverse homines saepe de artium operibus pronuntiarent, opinati sunt, omne in hoc genere judicium consuetudine iisque rebus, quibus inter sese singuli homines et populi ipsi discrepare solent, formari. Verumtamen tenendum est, insitam

ab ipsa natura mentibus hominum normam quandam esse, ex qua venusta et turpia, fere ut bona malaque, diiudicent. Quantacunque enim sit discrepantia in rebus nonnullis aestimandis, populi omnes, cum primum ad aliquam essent humanitatem formati, quamvis inter se coelo, aetate, vitae publicae et privatae institutis, indole denique ipsa differrent; mirifice tamen semper consenserunt in plurimis artificiis singulisque eorum virtutibus judicandis. Atqui omni in re omnium gentium consensio lex naturae putanda est. Tusc. 1, 13.

Ille autem nationi aut aevo cuipiam aut singulis hominibus proprius gustus ex hoc consensu universo moderandus est: si enim pugnat cum iis, quae sensu probata sunt communi, vitiosus putandus; sin convenire potest, reprehendendus non est *).

*) Hic enim proprius gustus ex duplici causa nascitur. Nam et maior aliorum in aliud pulchritudinis genus propensio est, proindeque maior etiam a contrario vitio horror, et in vitae consuetudine, quae plurimum in artibus valet, non eadem ab omnibus probantur. Labuntur igitur, qui in pulchri speciem aliquam ita propendeant, ut vitium ei vicinum pro virtute, aut vicissim virtutem oppositam, non tamen contrariam, pro vitio accipiant: quemadmodum si acumina et elegantias sic amaveris, ut Senecam mireris, fastidias Ciceronem; aut Homeri simplicitate captus contemnas Virgilii ornatum. — Similiter de moribus iudicandum. Simplices mores, quos gentium principibus Homerus tribuit, abhorrent a nostris, probantur tamen; agrestes alii inveniuntur, humiles, sordidi, damnantur.

Doctrinam dicendi in quatuor partes dividimus; quarum *prima* generalis est: *de stilo in universum*, — in ea enim virtutes et exercitationes di-

cendi, nondum in certa huius artis genera inquirentes, tractamus; in *altera* singillatim de *variis solutae dictionis generibus*, excepta oratione, praecipiemus; in *tertia* de *poësi;* in *quarta* de *eloquentia* (Cf. n. 3; *).

*) Prima igitur et altera pars *Humanitatis* praecepta continent. Etsi enim humanitas per se institutionem liberalem significet, vulgo tamen hodie, praesertim in scholis, ad eam nonnisi illa studia referunt, quae faciliora sunt, viamque ad eloquentiam complanant. Institutio autem eloquentiae, quae parte quarta comprehenditur, proprie *Rhetorica* dicitur, ut doctrina poësis *Poëtica*.

ARTIS DICENDI

PARS PRIMA

DE STILO IN UNIVERSUM

Quid stilus n. 10; quae eius virtutes n. 11.

10. Stilus hic dicitur modus scribendi vel dicendi *).

*) Stilus proprie instrumentum significat, quo in tabulis scribebant veteres, sed translatum nomen est ad ipsam actionem scribendi, ut jam apud priscos esset idem, quod scriptio. — 2. Hodie vero plerumque stilus vocatur modus, quo scribitur vel dicitur, hinc illa: stilus oratorius, poëticus, floridus, gravis, etc.— 3. Transfertur etiam ad alias artes, unde non solum de stilo Ciceroniano, Attico, sed etiam de Corinthio, Gothico, etc. loquimur. — 4. Saepe etiam significat genus dicendi proprium; hinc quosdam stilum habere omnino negamus, eos scilicet, in quorum oratione nulla est virtus propria et quasi χαρακτήρ.

11. Virtutes autem dicendi tres sunt primariae : perspicuitas, ornatus et aptum dicendi genus *). 1. *Perspicuitas* efficit, quod in omni genere dicendi est prorsus necessarium, quippe ut intelligamur. 2. *Ornatus* addit ea, quibus oratio vel suavis fit ad delectandum, vel gravis ad commovendum: latius igitur in hac doctrina, quam in vulgari sermone accipitur. 3. *Aptum dicendi genus* rebus et personis sermonem accommodat, quo non solum nulla ex parte offendat, sed vim quoque acquirat maiorem, gratiam dignitatemque conciliet.

*) Multi quatuor ponunt, secundum id, quod apud Ciceronem legitur: Quinam dicendi est modus melior, quam ut latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcumque agetur, apte congruenterque dicamus? (De or. 3, 10). Sed de pura et emendata oratione praecipiunt grammatici.

Schol. In omni opere artis dicendi haec tria praecipue consideranda sunt: *Inventio*, quae res dicendas suppeditat; *Dispositio*, quae inventas collocat, ut omnes ad unum efficiendum apte jungantur; *Elocutio* denique, quae digestas sermone quasi vestit et ornat. Itaque stili doctrina a nonnullis, haud secus atque eloquentiae praecepta (n. 316), ad tres istas velut partes revocatur. Sed quoniam inveniendi dispensandique ratio admodum diversa est in diversis artis operibus, pauca sunt, quae de ea in universum praecipi possunt. Quare praestat, in hac generali parte ordinem a virtutibus stili petere, et quid ad unamquamque earum tum res tum verba valeant, monstrare.

CAPUT I.

DE PERSPICUITATE DICENDI

12. Perspicuitatem primam dixi maximeque necessariam virtutem, quoniam scilicet oratio, quae rem non demonstrat, plane decidit officio suo (Ar. 3, 2). Perspicuus autem sermo est, qui ab iis, ad quos loquimur, plene, accurate et facile intelligitur. Quapropter non idem sermo apud omnes eadem in re planus aut obscurus est.

Art. I.

DE PERSPICUITATE RERUM

Rerum perspicuitas nascitur ex perspicua earum cogitatione, apta copia et dispositione.

I.

DE PERSPICUA COGITATIONE

Unde facultas dilucide cogitandi n. 13; quae in rei meditatione servanda n. 14.

13. Ut generatim sit in mente facultas res dilucide contemplandi, requiruntur doctrina, exercitatio, animi tranquillitas. — *Doctrina* necessaria est primum quidem eius generis, ad quod res, quae tractanda est, pertinet; sed alias etiam disciplinas nosse, perutile erit *). *Exercitatio*, quae hic exigitur, maxime dialectica continetur, sed sunt, quae etiam a tironibus utiliter suscipi possunt **). *Animi tranquillitas* curanda est. Nam etsi fervor quidam et ipsa, quae dicitur phantasia, cogitandi perspicuitatem iuverit saepe, tamen mens vigil necesse est animi quasi gubernacula teneat ***).

*) Etenim, ait Tullius, omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur. Pro Arch. 1.

**) Primum est, illos prae ceteris scriptores legere, qui perspicuitatis laude maxime florent; alterum horum operum summa capita et totam dispositionem notare (analysin facere); tertium, reminisci saepe obscuriora et difficiliora, eaque tamdiu mente versare, donec dilucida fiant, id quod etiam scripto fieri utiliter potest.

***) Fingendi vis effrenata, ardor praeproperus, affectio inordinata et horum omnium causae, vitia, supra quam dici potest, mentem impediunt, quominus rem vel attente consideret vel recte et penitus intelligat.

14. In ipsa rei propositae meditatione servanda sunt quatuor: quorum *primum* ex Horatio (A. p. 38) depromo:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Alterum est, ut rem probe lectam animo tamdiu volvas, dum eam penitus pernoveris *). *Tertium*, ne, si quando cogitationes non affluunt, animum despondeas **): tentandae immo sunt ingenii vires et quasi ex sopore quodam exciendae. *Quartum* denique, ne inter meditandum a re proposita mens aberret longius et vagetur. Ne igitur quaevis cogitata vel rerum imagines, quamquam accendunt animum, usque persequere, sed ad orationis propositum mentem identidem reflecte.

*) Facile adolescentes, praesertim cum fervet animus, ut primum rem statuerint tractandam, ad scribendum se conferunt; sed oratio, si res non subest ab oratore percepta et cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur. Quid est enim tam furiosum quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia nec scientia? De or. 1, 12.

**) Sunt, qui potius, hoc si accidat, ex tempore scribere suadeant, non ut quae sic scribuntur, servemus, sed ut, quod fieri solet, inter scribendum animus calescat

II.

DE APTA RERUM COPIA ET DISPOSITIONE

Apta copia quid iuvet n. 15; quid sit ordo; unde oratio una n. 16; quae praeterea in dispositione servanda n. 17.

15. Ut rerum multitudo animum cognoscentis turbat et obruit, ita vicissim cum pauca nimis afferuntur, res per se sola saepe non satis illu-

stratur. Quocirca optabilis inventio, quae abundat; sed tamen eorum, quae inventa sunt, selectus adhibendus.

16. Selectu facto, de ordine videndum est. Porro definitur ordo plurium ad unum efficiendum dispositio. Id enim maxime necessarium est, quodvis artificium ut unum sit *).

*) Quare Horatii praeceptum: *Sit quodvis simplex dumtaxat et unum* (A. p. 23),—non solum ad poemata, sed ad omne opus hujus dicendi facultatis pertinet. Hoc enim lucem affert, quia simplicem dat rei totius intuitum; hoc suavitatem, quae magna ex parte in harmonia posita est; hoc denique vim, quia dissipata infirma, collecta valida sunt.

Neque tamen ita sane oratio una esse debet, ut de una tantum re singulari sermo sit, sed ut omnia, quae dicuntur, communi aliquo vinculo contineantur. Sic plurima membra unum hominis corpus, sic multiplices partes unum efficiunt navigium.

Vinculum autem illud cum ex materia, de qua dicis, tum maxime ex fine, qui in dicendo propositus est, petendum erit. Quapropter ex orationis argumento et proposito expendenda sunt omnia, quae invenerit meditatio *).

*) Quamvis saepe res per se illustres esse videantur, si tamen vel ad materiam non pertinent, vel ad finem non faciunt, plane sunt reiiciendae: membra enim humana, etsi per se pulchra, in corpore animalis posita monstrum efficiunt; et vicissim. Huc spectant eiusdem Horatii versus: *Humano capiti cervicem pictor equinam etc. etc.* A. p. 1.

17. Verum ut ordo sit lucidus, duo insuper praestanda. *Primum* partes et inter se distinguendae et nihilominus optime colligandae sunt. *Di-*

stinctae erunt, cum ipsae rursum partes unum aliquod faciunt: ita caput, manus, pedes partes sunt corporis, et nihilominus singula ex aliis partibus in unum quoddam coagmentata. *Connectuntur* maxime quidem ipsa illa ratione, quae iis cum materia est et fine; sed inter se quoque iungendae sunt, ita ut nullus in oratione quasi saltus, sed lenis facilisque sit transitus.

Tum partes ita disponendae erunt, ut a se invicem lumen accipiant. Itaque 1. quae sunt generis eiusdem aut persimilis, plerumque simul collocanda. 2. A notis et perspectis ad incognita et obscura transeundum, ita ut sequentia ab iis, quae ante dicta sunt, illustrentur, nihil vero initio tractetur, quod intelligi non possit, nisi cognitis iis, quae sequuntur.

Art. I.

DE PERSPICUITATE VERBORUM SIMPLICIUM

18. Elocutionis perspicuitas nascitur ex bono verborum selectu, coniunctione et collocatione. — Itaque inprimis verbis usitatis et proprie demonstrantibus ea, quae significare volemus, utendum erit. De or. 3, 13.

I.

DE VERBIS USITATIS

Quae verba usitata n. 19; quid de vetustis n. 20; quomodo et quando novanda n. 21; quid de peregrinis n. 22.

19. Usitata verba sunt illa, quae eadem, quam tu iis tribuis, significatione adhibentur ab opti-

mis scriptoribus, aureae aetatis, si priscorum lingua utaris, praesentis, si vernacula. Nam

Ut sylvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque...
Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque,
Quae nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.

A. p. 60.

*) Ab usu autem recedere solent nonnulli quidem ignoratione linguarum, sed multo certe plures appetitione novae dictionis et singularis. Verum sententiae vilitas male tegitur verborum insolentia.

20. Hoc autem modo potissimum prave abutuntur verbis vetustis, novatis et peregrinis.

Verba *vetusta* et ab usu quotidiani sermonis iamdiu intermissa saepe et sanctiorem et magis admirabilem orationem faciunt*); neque tamen aut crebrius aut liberius usurpanda sunt, praesertim in oratione soluta**), et abiecta quaevis et obsoleta plane fugienda***).

*) Eo, ait Fabius (8, 3), ornamento acerrimi iudici P. Virgilius unice est usus. *Olli* enim, *quianam* et *mis* et *pone* pellucent ad spargendam illam, quae etiam in picturis est gratissima, vetustatis inimitabilem arti auctoritatem.

**) Haec etsi, ut Tullius monet, sunt poëtarum licentiae liberiora, quam oratorum, raro tamen habet etiam in oratione pervetustum aliquod verbum dignitatem. Neque enim illud fugerim dicere: *Qua tempestate Poenus in Italiam venit*, nec *prolem* aut *sobolem* aut *affari* aut *nuncupari* aut *non rebar* aut *opinabar*, et alia multa, quibus loco positis grandior atque antiquior oratio saepe videri solet. De or. 3, 38.

***) Sed opus est modo, ut neque crebra sint, nec manifesta, quia nihil est odiosius affectatione, nec utique ab ultimis et oblitteratis repetita temporibus, ut: *Hilum non ego deterior — Volupe mihi audire est — Vale, mi oculissime, et mutuiter me ama — Non magis propritim expresseris.* Hinc scilicet aliqui famam eruditionis affectant, ut quaedam soli scire videantur. Qt. 1, 6; 8, 2.

21. *Novantur* verba, quae ab eo, qui dicit, ipso gignuntur ac fiunt, vel coniunctione, ut haec:

Tum pavor sapientiam mihi omnem exanimato
expectorat;

vel derivatione, ut ille *senius*, ut . . . *baccarum ubertate incurvescere* (De or. 3, 38); vel denique translatione, ut primus inter latinos Cicero partes periodi *membra* et *incisa* vocavit (Or. 62).

Porro tum recte verba novantur, cum vel necessitas postulat *), vel suadet singularis utilitas **): quapropter perperam novata illa sunt, quae neque necessario facta sunt neque utiliter: tum illa quoque, quae, cum fieri decet, insolentius fiunt ***).

*) *Necessitas.* Neque enim, ait Cicero (ibid.), esse possunt, rebus ignotis nota nomina, sed cum verba aut suavitatis aut inopiae causa transferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut cum id appellandum sit, quod propter rerum ignorantiam ipsarum nullum habuerit ante nomen, necessitas cogat aut novum facere verbum aut a simili mutuari. Ciceronem ergo saltem audiant illi, qui nimis Ciceroniani esse cupientes, non audent dicere, *sacramentum, Missa, rosarium, confirmatio* et sexcenta alia, quae obscura solent et saepe ridicula circuitione efferre.

**) Singularis *utilitas* nunc est in ornatu, nunc etiam in honesto aliquo ioco.

***) Nam in his etiam auribus est consuetudinique parcendum, ne quaedam quasi monstra verborum prodeant. Ceterum ista omnia, quae male novantur, si quando sermonem non reddunt obscurum, at certe putidum et impeditum.

22. Ex *peregrinis* vocabulis usurpare licet primum ea, quae communi usu recepta, et quasi civitate donata sunt, ut *philosophia*, ut *tropaeum;* et eiusmodi quidem in omni sermone adhiberi possunt: deinde illa quae artium sunt propria, ut horum ipsorum nomen, *termini technici*, ut *periodus*, *tropus*, *dialectica*. Quibus uti licet, cum ad eos loquimur, qui artibus studuerunt *).

*) Caeterum quaeramus sane, quoad possumus, pro peregrinis propria usurpare, sed tamen in hoc quoque est modus servandus. Nam saepe etiam magis erratur, cum quis peregrinis, quae recepta et nota sunt, propria substituit insolentia. Quare hic rursum notandi, qui puritatem latini sermonis putidius sectantes, recepta vocabula ut *Ecclesia*, ut *Martyr*, ut *Eucharistia* repudiant.

II.

DE VERBIS PROPRIIS

Quae verba dicantur propria n. 23: unde sint talia n. 24.

23. Propria dicuntur verba, quae optime demonstrant, id quod volumus iis declarari *).

*) Proprietas verborum non uno sensu accipitur. *Primus* enim est sua cuiusque rei appellatio, et sic opponitur translationi et circumlocutioni, praesertim ei, qui euphemismus dicitur. *Secundo* modo inter plura, quae sunt eiusdem nominis, id dicitur proprium, unde cetera ducta sunt: ut *vertex* proprie est contorta in se aqua, vel quicquid aliud similiter vertitur: inde propter flexum capillorum pars est summa capitis, et hinc, quod est in montibus eminentissimum. *Tertius* est modus, quum commune et aliis nomen alicui rei peculiariter tribuitur, ut *urbem* Romam accipimus. Sed in his omnibus nec proprietas virtus, nec improprietas vitium est. Proprie dictum, quod nunc quaerimus, illud est, quo nihil inveniri possit significantius, ut Cato dixit *C. Caesarem ad evertendam rempublicam sobrium accessisse*, ut Virgilius *deductum carmen* et Horatius *acrem tibiam. Hannibalemque dirum*. Cf. Qt. 8. 2.

24. Ut autem hanc significandi vim oratio obtineat, *primo* seligenda erunt vocabula, in quibus nihil est ambiguum, nihilque incertum seu vagum. Porro ambigua sunt vocabula, quae, cum per se plura significent, etiam in ipso contextu orationis diverse accipi possunt, ut: *Caius consilium meum non probavit* *). Vagum vero et quasi fluctuantem sensum faciunt verba nimis generalia, et quae rem innuunt tantum, non proprio nomine appellant, ut: *Aspice res, quae in hac parte reipublicae adversus bonum graviter operantur.*

*) Saepe tamen ambiguo ex industria quaesito aculeata fit oratio, ut qui interrogatus, cur foro abiret: *Strepitantem*, inquit, *concionem fugio.*

Secundo quaerenda sunt verba, quae nec nimium dicunt, nec parum, neque simile aliquid, sed id ipsum, quod cogitas. Nimium dicit, qui *inflammatus ira* pro *succensus*, parum, qui *opinari* pro *persuasum habere.* Tertium late patet. Primum enim cum ex similibus aliud pro alio ponitur, saepe plane praeposterus est sermo, ut *ambitio* pro *ambitu.* Deinde ex synonymis verbis in eodem genere alia laudant, alia vituperant, alia ad tristia, alia ad laeta significanda usurpantur; hinc reprehendit Fabius: *tantum sperare dolorem* pro *timere* (Qt. 8, 2); nec recte quidam: *Totum*, inquit, *illud bellum circiter annum viguit*, nam *vigere* ad res hostiles non pertinet. Tum etiam videndum, ut verba, quae iunguntur, optime inter se conveniant, non solum, ne plane vitiose loquaris, ut si confundas *legem ferre* et *le-*

gem iubere; sed etiam ut callide iungas, quae optime conspirant, ut: *Itaque non sum praedicaturus, Quirites, quantas ille res domi militiaeque, terra marique, quantaque felicitate gesserit, ut eius semper voluntatibus non modo* cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, *sed etiam* venti tempestatesque obsecundarint; *hoc brevissime dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui a diis immortalibus tot et tantas res* tacitus *auderet* optare, *quot et quantas dii immortales ad Pompeium* detulerunt. Pro lege Man. 16.

Art. III.

DE PERSPICUITATE IN VERBIS CONIUNCTIS

Quae generatim in conjungendis verbis servando n. 25; quid in sententiis simplicibus n. 26; quid in compositis n. 27; quid de interiectis n. 28; ut implicata emendanda n. 29; quibus modis sermo dissolutus n. 30; num semper sint iungendae sententiae n. 30

Verba coniuncta dicimus ea, quae ad unam sententiam declarandam connexa sunt.

*) Hinc seriores grammatici verba coniuncta *sententiam* dixere (1), quam dividunt in *simplicem* et *compositam*, *primariam* et *secundariam: secundaria* vero pro loco, quem occupat, *antecedens*, *interiecta* (intermedia) vel *adiuncta* dicitur.

25. In coniungendis verbis primum consecutio servanda est, ne generibus, numero, temporibus, personis perturbetur oratio. Nam ut in simplicibus verbis, quod non est latinum, sic in coniun-

(1) Cicero quam nos *sententiam* dicimus, constanter *verba iuncta, coniuncta, continuata, continuationem, complexionem* verborum etc. nominat.

ctis, quod non est consequens, vituperandum est. De part. 5.

Sequitur, ut in coniungendis quoque verbis morem servemus. Itaque coniunctio verborum ne sit obsoleta, nec insolenter novata, nec peregrina, nec eiusmodi, quae nonnisi rarissime occurrit *).

*) Huius postremi generis aliqui, praesertim cum latine scribunt, sectantur, eruditionis famam hic quoque obscuritate ementes.

Tum curandum est maxime, ut pateat ratio quae inter omnes orationis partes, sive verba, sive sententias intercedit. Sed hoc praeceptum latissime patet, quare in variis sententiarum generibus exponendum est accuratius:

26. In *sententiis simplicibus* verba ita iungenda et collocanda sunt, ut non solum certum, sed etiam planum sit, quo singula referantur. Si *incertum* est, ambiguitas oritur, ut: *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse. Testamento quidam iussit, poni statuam auream hastam tenentem. Quinquaginta ubi erant centum inde occidit Achilles.* Si *planum* non est, quo singula revocanda sint, difficilis fit intellectus; quod saepissime accidit in participiis, genitivis, infinitivis, praecipue si geminantur, ut: *Eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta:* et in collocatione, si verba audacius traiiciuntur, aut quae vocabulo, ad quod referri debent, proxime iungi solent, ab eodem separantur:

At non intonsum simplex Damasichthona vulnus
Afficit. Ov. Met. 6. 254.

27. In *sententiis compositis* curandum est, ut ratio et nexus inter primariam et secundarias sententias ex ipsa informatione sermonis facile cognoscatur.

Peccatur igitur: 1. si secundaria sensum continet primarium, ut: *Peccatum, quod maximo insectari odio, cuius vel umbram debemus exhorrescere, innumeras in hac vita parit aerumnas, et post mortem cruciatus affert sempiternos.*

2. Si secundariae, quae eadem ratione a primaria pendent, diverso modo enuntiantur, ut: *Equidem miror, tantum a te facinus potuisse concipi, et quod perpetrare illud ausus sis.*

3. Si vicissim, quibus diversa est ratio, forma exprimuntur eadem. Tullius quidem scripsit: *Vetus illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se aiebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum videret:* — melius hoc, quam: *Vetus illud Catonis admodum scitum est, se mirari, non ridere haruspicem, haruspicem cum videret.*

4. Si multae sententiae sic annectuntur, ut subsequens quaevis ab ea, quae praecessit, pendeat, hoc modo: *Nuper a Caio, amico nostro, litteras accepi, quibus intellexi, quantum afflictus et animo turbatus adhuc sit, eo quod filius eius in praelio interiit, quod prope Caesaream commissum est, cum nostri hostium castra aggrederentur, ut oppidum ab obsessione liberarent.*

28. *Interiecta* praecipue multis modis obscuritatem facit:

1. Si post unum alterumve verbum sensum violento quodam modo interrumpit. Reprehendit Aristoteles:

Ἐγὼ δέ, ἐπεί μοι εἶπεν· ἦλθε γὰρ Κλέων δεόμενόςτε καὶ ἀξιῶν· ἐπορευόμην παραλαβὼν αὐτούς (1).

(1) Ego vero, posteaquam nuntiatum est mihi (venerat enim Cleo obtestabundus et supplex), assumtis illis, profectus sum.

2. Si longior est, et contextus non restituitur. Restituit Cicero: *Laetor quidem philosophiam, cuius antea supellectilem pluris aestimabam, quam possessiones reliquorum; ita mihi dives videbatur, ut ab ea petere possem, quidquid in studiis nostris concupissem;* hanc igitur laetor *etiam acutiorem repertam, quam ceteras.* De fin. 5, 32.

3. Multo magis si ita interponitur, ut interruptae sententiae exigua particula ad finem reiiciatur: *Fieri non potest, quin, si ex huius montis cacumine immensam planitiem, quae ante te tectis, pagis, oppidis consita, late in omnem partem extenditur, conspexeris, movearis animo.*

4. Cum id, quod medium est, utrinque possit trahi, ut: *Librum, quem nuper ad me misisti, cum aegrotus essem, nondum potui evolvere, quamquam a te venisset, gratus tamen erat.*

5. Si multae sunt interiectae, eaeque rursum aliis et aliis intermediis scissae.

Caesar ab decimae legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, ubi suos urgeri, signisque in unum locum collatis duodecimae legionis milites confertos sibi ipsos ad pugnam impedimento esse, quartae cohortis omnibus centurionibus occisis signiferoque interfecto, signo amisso, reliquarum cohortium omnibus fere centurionibus aut vulneratis aut occisis, in his primopilo P. Sextio Baculo, fortissimo viro, multis gravibusque vulneribus confecto, ut se iam sustinere non posset, reliquos esse tardiores, et nonnullos ab novissimis desertos praelio excedere ac tela vitare, hostes neque a fronte ex inferiore loco subeuntes intermittere, et ab utroque latere instare, et rem esse in angusto vidit,

neque ullum esse subsidium, quod submitti posset: scuto ab novissimis uni militi detracto, quod ipse eo sine scuto venerat, in primam aciem processit, centurionibusque nominatim appellatis, reliquos cohortatus milites signa inferre et manipulos laxare iussit, quo facilius gladiis uti possent. De bello gallico, 2, 25.

29. *Emendari* implicatae huiusmodi verborum comprehensiones variis modis possunt. 1. Interdum sufficit sententias alia ratione informare et iungere. Ita pleraque, quae attuli, exempla corrigi possunt. 2. Saepe obscuritas participiorum usu vitatur, sed cavendum, ne vicissim ipsa participia inobscurent sermonem*). 3. Nonnunquam quae rei declarandae causa addita sunt, utpote inutilia, abjicienda erunt; de quo plura, cum de brevitate agemus. 4. Haud raro etiam huiusmodi nimis longa verborum continuatio in plures dividenda est. Sic emendandum erit Caesaris exemplum, nuper allatum.

*) Participia ad perspicuitatem conferre, facile videbis, si in Livianis periodis participia, ut aiunt, resolveris. Contra participia, nisi quam feliciter struantur, obscuritatem afferre, et Caesaris oratio, quam audisti, et haec Liviana satis ostendit: *Equites fere propter equos nantes navium agmen ad excipiendum adversi impetum fluminis parte superiore transmittens tranquillitatem infra traiicientibus lintribus faciebat.* L. 21, 10.

30. Postremo videndum est, ne sermo sit fluctuans et dissolutus; id quod tribus maxime modis fieri solet:

1. Cum oratio velut minutatim concisa per breviusculas sententias sine ullis articulis et nexibus procurrit, ut, si diceres: *C. Canius eques Romanus, nec infacetus et satis litteratus erat. Hic*

Syracusas otiandi, se, ut ipse dicere solebat, non negotiandi causa contulit. Dictitabat, se hortulos aliquos velle emere... Id percrebuit. Pythius quidam argentariam faciebat Syracusis. Hic Canio dixit, venales se hortos non habere, licere autem uti Canio, si vellet, ut suis.

Quae ita Cicero: *C. Canius, eques Romanus, nec infacetus et satis litteratus, cum se Syracusas otiandi, ut ipse dicere solebat, non negotiandi causa contulisset, dictitabat se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percrebuisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faciebat Syracusis, venales se quidem hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis.* De off. 3, 14.

Hoc genus plus etiam obscuritatis habet in ratiocinatione, ut: *Eloquentia est admirabilis illa acultas ducendi oratione multitudinem, et omnes animorum motus inflammandi. Coniuncta solet esse cum ceteris donis magni ingenii. Sapientia ei moderari debet. Saepe civitatibus salutem attulit, saepe etiam magna incommoda. Multitudo cupiditatibus agitatur. Has quivis cognoscit. Est autem pessimum iis abuti.*

2. Cum sententiae iunguntur quidem, sed non apte, ita ut sermo male sibi cohaerens huc illuc fluctuet: *Socii nostri cum belligerare nobiscum vellent, profecto ratiocinati essent etiam atque etiam, quid possent facere, si quidem sua sponte facerent, et non haberent hic adiutores multos, et multos homines et audaces; solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt agere.* Ad Her. 4, 11.

3. Cum ipsae etiam longiores complexiones verborum nullis commissuris inter se iunguntur *).

*) Neque enim satis est singulas verborum compositiones in se conclusas et cohaerentes esse; necesse est insuper inter se apte coniungantur. Ac latini quidem hanc concinnitatem ita amavere, ut vix non omnem sententiam cum ea, quae praecederet, connecterent. Hinc plurimae particulae, hinc relativa in principio sententiae pro demonstrativis posita, hinc illa: *Neque vero*, *neque enim etc. etc.* Quanta sit in hac iunctura vis illustrandi orationem, comperies, si obvium quempiam Tullii aut Livii locum, demtis iis, quae iuncturam efficiunt, descripseris. — Ideo autem dissolutus sermo affert obscuritatem, quod apta illa coniunctio monstrat rationem, quae inter omnia orationis membra intercedit. In dirupto enim sermone, cum sententiae quasi dispersae iaceant, non statim cognoscitur, quis sit sensus primarius, nec quomodo ad eum reliqua referantur; num rationem contineant, an adversarii argumentum, causam an effectum, an conditionem, an simile, an contrarium. Haec enim omnia particulis et ipso etiam modo iungendi indicantur.

Neque tamen semper sic iungi sententias oportet. Nam cum per se intelligitur, quomodo inter se cohaereant, iunctura ista etiam cum virtute omitti potest; id quod contingit cum enumerantur, quae ad idem genus pertinent; praecipue in narratione et descriptione, quoties oratio fertur incitatius, ut in eodem loco Tullii: *Ad coenam tempore venit Canius; opipare a Pythio apparatum convivium, cymbarum ante oculos multitudo, pro se quisque, quod ceperat, afferebat, ante pedes Pythii pisces abiiciebantur.* — Et paullo post: *Invitat Canius postridie familiares suos, venit ipse mature; scalmum nullum videt; quaerit ex proximo vicino, num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret.*

CAPUT II.

DE ORNATU DICENDI IN UNIVERSUM

Quid ornatus n. 31; quid de suavitate ac gravitate rerum n. 32; ornatus verborum quid praestet n. 33.

31. Ad ornatum referuntur omnia, quibus in dicendo vel suavitas ad delectandum vel gravitas ad permovendum efficitur *). Haec autem ratio inter gravitatem suavitatemque dicendi intercedit, ut oratio, quae rerum et verborum pondere commovet, permulcere etiam animos soleat, non tamen vicissim suavis omnis oratio gravis quoque putanda sit. —

*) Ornatus nomen late patet; praecipue tamen cultum quendam et apparatum significat, quo res non modo placet, sed ad omnem etiam usum egregie instructa est. Hinc de dicendi ornatu Tullius: Faciles partes eae fuerunt duae, quas modo percucurri, latine loquendi planeque dicendi; reliquae sunt magnae, implicatae, variae, graves, quibus omnis admiratio ingenii, omnis laus eloquentiae continetur. Nemo enim unquam est oratorem, quod latine loqueretur, admiratus; si est aliter, irrident. Nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut qui adessent, intelligerent, quid diceret, sed contemsit eum, qui minus id facere potuisset. In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum ut ita dicam, inter homines putant? Qui distincte, qui implicate, qui abundanter, qui illuminate et rebus et verbis dicunt et in ipsa oratione quasi quendam numerum versumque conficiunt: id est, quod dico ornate. De or. 3, 14. Cf. Qt. 8, 3.

32. Quoniam igitur haec tanta virtus ex rebus atque verbis efflorescere debet, curae nobis erit, ut argumentum seligamus minime *insuave;* aut si id non possumus, ut tractatione, arcessitis

iucundis, reddatúr amoenius. — Porro suaves in oratione esse solent amoenitates in rerum natura et vita hominum; exempla liberalitatis, clementiae, aliarumque virtutum; nova denique, illustria et admirabilia quaeque *).

*) Nec igitur res eo, quod per se ipsa tristis est, orationis quoque argumentum arbitranda est insuave. Quae enim sunt experientibus ingrata, ea non una de causa cognitu saepe sunt iucunda. Sed non raro vel utilitas suadet vel necessitas cogit argumentum assumere, quod nec suapte natura amoenum est, nec novitate aut mirabilitate commendatur.

Gravia cum illa sint, quibus hominum mentes acrius concitantur, liquet, variam esse rerum gravitatem pro conditione personarum et temporum. Quapropter ad hanc dicendi virtutem non solum ingenii animique vis magna requiritur, sed prudentia quoque et rerum humanarum peritia.

33. Verborum autem ornatus, in quo maxime artificium dicentis cernitur, non id modo efficit, ut vis et iucunditas, quae in rebus est, oratione eluceat, verum etiam ut illa, quae suopte ingenio parum delectant, velut sapore quodam condita dulcescant *).

*) Hoc est, quod summi viri in Ciceronis non modo orationibus, sed epistolis quoque et dialogis sunt semper admirati, nullum esse genus rerum tam exile et obvium, quin illius dicendi ratione suavitate quadam aspergeretur. Quo etiam pertinet subtilis quaedam ratio imitandi. Quoniam enim artis opera non rebus modo ipsis, sed artificio etiam, quo res perhibentur, delectant, hinc fit, ut saepenumero, non foeda quidem, sed obvia tamen et humilia, oratione ad vivum expressa, placeant.

Sunt, qui eloquendi ornatum despicientes ex rerum gravitate omnia repetenda esse putent. Sed non sufficit, esse in rebus gravitatem, appareat

necesse est. Nihil autem est aliud gravis oratio, quam rei gravitas apte verbis declarata. En tibi breve exemplum. Verres innocentes socios morte plexerat, ne quando criminum suorum testes existerent. Dixeris in hanc rem : *Verres, valde errasti, cum putabas, tua delicta morte innocentium hominum deleri, aut crimina avaritiae criminibus crudelitatis posse extingui.* At haec ita Cicero : *Errabas, Verres, et vehementer errabas, cum te maculas furtorum et flagitiorum tuorum sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare : praeceps amentia ferebare, qui te existimares avaritiae vulnera crudelitatis remediis posse sanare.* De suppl. 46.

Efficitur igitur in elocutione ornatus primum ipso genere et iunctura verborum ; deinde nonnullis singularibus ornamentis, ut periodis, tropis, figuris; postremo quibusdam stili proprietatibus, ut varietate et copia : quae singula deinceps propriis praeceptis illustranda sunt.

CAPUT III.

DE ORNATU EX IPSO GENERE ET CONIUNCTIONE VERBORUM

Art. I.

DE SELECTU VERBORUM

Quid de verbis seligendis generatim n. 34; unde alia aliis graviora n. 35;

34. Natura ipsa sunt alia verba consonantiora, graviora, laeviora et quodammodo nitidiora, alia contra. Delectus igitur habendus, atque is aurium

quodam iudicio ponderandus, in quo consuetudo etiam bene loquendi valet plurimum. Neque tamen in hoc magna laus est, vitare vitium (quamquam id est magnum), verum hoc quasi solum quoddam atque fundamentum est, verborum usus et copia bonorum. De part. 5. De or. 3, 37.

35. Ac graviora quidem inprimis sunt illa, quae in eodem genere plus significant; ut: *Nactus es ex perditis atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis conflatam improborum manum* (1 Cat. 1, 10). Plus enim est *perditis*, quam *pravis*, et *improborum*, quam *malorum*.

Hoc genus crescit, et fit manifestius, si ampliora verba cum ipsis nominibus, pro quibus ea posituri sumus, conferantur (Qt. 8, 4); ut: *Non enim furem, sed ereptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque; non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium sociorumque in vestrum iudicium adduximus.* Verr. Act. II. 1. 1, 3.

Multa vocabula inde quoque graviora sunt, quod una cum re ipsa adiuncta quaedam significant. Sic *sanguine foedare* pro *sanguine madefacere*, *libido* pro *voluptate*, dicimus, et Cicero de Verre: *Dies continuos complures in conviviis iacuisti.* Hoc enim *iacuisti* contemptum habet, qui non exprimitur consueto vocabulo *accubuisti*.

Hoc idem etiam consequimur iunctis duobus vocabulis, quorum unum satis esse poterat, ut:

At, credo, mea numina tandem
Fessa iacent, odiis aut exsaturata quievi.
Aen. 7, 297.

Nam *fessa sunt*, *exsaturata sum* rem primariam satis declarassent. Huic generi affinis est *pleonasmus*: vocemque *his auribus hausi*; de quo plura grammatici.

Art. II.

DE ORNATU EX CONIUNCTIONE VERBORUM

Quae suavitas in verbis concinne iunctis n. 36; unde in iisdem gravitas n. 37; quid inversio n. 38; quae eius lex n. 39; quae vitia fugienda n. 40.

36. Ex optima verborum iunctura et collocatione nascitur magnam partem illa dicendi *facilitas*, qua haud scio an aliquod in oratione suavius inveniatur *).

*) Facilis dicitur oratio, si non vi dura protrudi, sed velut ipsa agente natura, fundi leniter videatur; in qua igitur non solum nihil est perturbatum, quod inobscurare sensum possit, sed nec quidquam distortum aut violentum, asperum nihil, nihil, ut ita dicam, salebrosum. — Ut hanc virtutem exemplis cognoscas, confer in Epist. ad Div. l. 15. ep. 5, et 6. Catonis asperitatem cum laevitate Ciceronis.

37. Gravior autem saepe efficitur oratio, si ea, quae vim habent maiorem, immutata nonnihil coniunctione verborum, quasi in luce posita notantur.

Hinc 1. quae secundariis sententiis exprimi solent, ut causae, conditio, tempus, primariis enuntiantur: *Rogavi te*, *abnuisti; obsecravi*, *contemsisti; supplex manus tetendi*, *reiecisti;* pro *Cum rogarem* etc. *Pacem vult Antonius: arma ponat.* — *Vix arma deposuerant*, *cum affertur nuntius*, *hostem appropinquare.*

2. Si maior illa vis in uno latet vocabulo, hoc

saepe extra orationis contextum collocatur, hunc in modum: *Una eademque nox erat, qua praetor amoris turpissimi flamma ac classis populi Romani praedonum incendio conflagrabant.* De suppl. 35.

38. Sed vim sermonis incredibiliter auget collocatio verborum. Triplex enim in collocandis verbis ordo distinguitur: grammaticus, vulgaris, et inversus seu oratorius.

Grammaticus tantum in scholis adhibetur, ut ostendatur, quo verba singula e grammaticae regulis referenda sint: *Catilina, oportebat te duci ad mortem iam pridem iussu consulis.* — *Vulgaris* est, quem communiter servamus, cum scilicet nullam orationis partem singulari modo notari volumus: *Catilina, iam pridem te iussu consulis ad mortem duci oportebat.* — *Inversus* ordo sive *inversio* dicitur, cum a vulgari ordine gravitatis causa deflectimus: *Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat* (1 Cat. 1).

Schol. Huc etiam pertinet illa, quae *traiecta* dicitur, compositio, in qua est permagna latini sermonis elegantia: *Quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriae.* — *Mea lenitas, si cui solutior visa est, hoc exspectabat, ut id, quod latebat, erumperet,* — *Frater tuus quanti me faciat, semperque fecerit esse hominem, qui ignoret, arbitror neminem.*

39. Inversio igitur vocabula, in quibus maior est vis, eo loco, ubi maxime notantur, collocat; quoad tamen natura linguae permiserit. Porro hic locus plerumque initium *), saepe etiam finis est sententiae **).

*) *Me duce carpe viam* (Ovid.), ubi per ipsum metrum licebit dicere: *Carpe viam duce me;* sed quanto id infirmius.

**) Saepe verbum, in quo est vehemens aliquis sensus, in clausula positum quasi assignatur auditori, et infigitur, quale est illud Ciceronis in Antonium: *Ut tibi necesse esset in conspectu*

populi romani vomere postridie (Qt. 9, 4). — Aliquando hoc modo etiam quaedam quasi sustentatio efficitur: *O spectaculum miserum atque acerbum! ludibrio esse Urbis gloriam et populi romani nomen, hominum conventu atque multitudine, piratico myoparone in portu Syracusano de classe populi romani triumphum agere* piratam! De suppl. 38.

Si in duobis verbis vis maior inest, saepe alterum in principio, alterum in exitu orationis ponitur *).

Mene *incoeptis desistere* victam? Aen. 1. 37.

Vivit Christianus, ut aliquando moriturus, moritur ut semper victurus. — Caedebatur *virgis in medio foro Messanae* civis romanus. De suppl. 62. Aut in duabus iunctis sententiis: Evolarat *iam e conspectu fere fugiens quadriremis, cum etiam tunc ceterae naves suo in loco* moliebantur (Ibid. 34).

*) Quae in media parte sententiae latent, transiri intentione et obscurari circumiacentibus solent (Qt. 9, 4.); tamen non raro efficit numerus, ut haec quoque gravius cadant.

> *Quid me* coelum *sperare iubebas?*
> *En, etiam hunc ipsum vitae* mortalis *honorem*...
> ...... *Te matre relinquo.* Georg. 4. 325.

Nota etiam in exemplo supra posito *fere* fugiens *quadriremis*, et illa: *Quid ego hospitii iura in hac tam* immani belllua *commemoro?* De suppl. 42; et: *Non est iam lenitati locus, severitatem res ipsa flagitat.* 2. Cat. 4.

40. Sed haec sunt in inversione vitia, si ordo invertitur sine causa, si perperam, si durius, si assidue.

1. *Sine causa* invertitur, cum nihilo inde crescit oratio. Puerile vitium hoc est, ut: *Inflixit fratris mors tui grave mihi vulnus.* — 2. *Perperam;* cum alia verba extollis, quam instituta oratio poscit: *Iussu consulis, Catilina, iampridem te ad mortem duci oportebat.* — 3. *Liberius.* Non enim

omni modo vocabula misceri debent, sed, ut dixi, quoad linguae ingenium permiserit. Omnino hic quoque parcendum auribus et consuetudini: quapropter licet maior sit in hoc genere poëtis, quam oratoribus libertas, tamen sequentes versus a viris doctis reprehenduntur *).

Mox, ait, experiar, Deus hic, discrimine aperto,
An sit mortalis. Ovid. Met. 1, 222.

Saxa vocant Itali mediis quae in fluctibus aras.
Aen. 1, 109.

*) Hinc etiam obscuritas in Liv. periodo, v. n. 29. Notandum praeterea, quo maior sit in invertendo libertas, eo maiorem quoque causam requiri, ut inversio probetur. Itaque adiectiva, adverbia et his similia sententiam incipere vel claudere, nisi gravior adsit ratio, non debent. Nimis vero frequens inversio, praesertim si audacior est, orationem reddit fastidiosam.

CAPUT IV.

DE PERIODIS

(Or. 61-69)

Nomine periodi sententiarum quoddam genus significamus, quod ad dignitatem orationi et ornatum conferendum inprimis est accomodatum; quale est:

Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, sed meae vitae rationes ab ineunte aetate susceptae prohibuerunt. Pro lege Man. 1.

Sed accuratius in periodi naturam, partes et genera inquirendum est.

Art. I.

DE PERIODI NATURA, PARTIBUS ET GENERIBUS

Quid periodus n. 41; quae partes eius n. 42; quae genera n. 43; quid periodicon n. 44.

41. Periodus (1) definitur amplior verborum comprehensio, quae per partes inter se apte cohaerentes numerose absolvitur.

*) Tria igitur ad efficiendam periodum concurrunt: 1. quaedam orationis *amplitudo*; 2. partium *copulatio*: omnia scilicet, quibus amplificatur periodus, non solum ad rem unam seu ad sensum primarium referri debent, ut oratio sit unum aliquod et simplex, sed etiam coniunctione ipsa verborum partes debent aliae ex aliis pendere, ut tanquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis (Cic.); 3. *numerus*; periodus enim κατ' ἐξοχὴν numerosa dicitur oratio.

42. Partes autem periodi sunt: membra, incisa, protasis et apodosis. — 1. *Membrum* graece κῶλον, est pars periodi alicuius magnitudinis, sensum et numerum habens, sed imperfectum, et quasi suspensum: *Nam qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur;* prius est membrum periodi, quod postulat sequens: *in eo maximae moles molestiarum et turbulentissimae tempestates extiterunt.* De or. 1, 1. — 2. *Incisa* (κόμματα) vocantur breviusculae periodi partes, quibus ipsa saepe membra composita sunt, ut: *Etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur; necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem fama et fortunis spoliare conatus est, vanum se et per-*

(1) Periodo plurima nomina dat Cicero; ambitum, circuitum comprehensionem, continuationem, circumscriptionem.

fidiosum et impium esse fateatur. — 3. *Protasis* et *apodosis* (antecedens et consequens) periodum dividunt in duas partes, in quarum altera quidam est vocis ascensus, in altera descensus. — In exemplis allatis protasis est: *Nam qui locus videbàtur* — et: *Etenim si — colitur*; quae utrobique sequuntur, apodosis.

43. Periodorum genera duo sunt: alterum simplex, cum sensus unus longiore ambitu circumducitur; alterum, quod constat pluribus membris, et hoc rursum dividitur ex numero membrorum. Qt. 9, 4. *).

*) 1. Simplex periodus, quae etiam μονοκῶλος dicitur, haec est. Ἐγὼ μὲν γὰρ οἴομαι τοῖς ἐλευθέροις μεγίστην ἀνάγκην τὴν ὑπὲρ πραγμάτων αἰσχύνην εἶναι. Phil. 1. — Habet saepe plura incisa, ut: Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere: — interdum nulla, ut: *Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit.* Or. 63.

Segneri. P. 14. n. 8. *Or figuratevi.*

2. In *bimembri* periodo prius membrum protasin, alterum apodosin complectitur: exemplum iam dedi.

Segneri. P. 3. n. 10. *Nessuno.* P. 28. n. 13. *Quell'istesso.*

3. In *trimembri* vel protasis unum membrum habet (v. n. 42.) vel quod magis numerosum est, duo: *Nam cum et nostrae reipublicae detrimenta considero, et maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo: non minimam video per disertissimos homines invectam esse partem incommodorum.* De inv. 1, 1.

Segneri P. 3. n. 11. *E benchè.*

4. In *quadrimembri* membra vel aequabiliter dispertita sunt, ut: *Etenim si in leviorum artium studio memoriae proditum est, poëtas nobiles, poëtarum aequalium morte doluisse; quo tandem animo eius* (1) *interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere:* — Br. 1.

Vel tria membra protasis, unum apodosis complectitur.

(1) Hortensii.

Si quid est in me ingenii, iudices, quod sentio, quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum; aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis et disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse : earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo iure debet. Pro Arch. 1.

Vel denique protasis unum, tria membra apodosis habet; hoc tamen admodum rarum.

Segneri. P. 28, n. 14. *Non ci è.*

44. Optima censetur periodus, quae quatuor membris absolvitur, sed non raro etiam in plura laudabiliter extenditur; quod genus *periodicon* appellant. Membra vel ex aequo dividuntur, ut

Nam si unquam de bonis et fortibus viris, si unquam de bene meritis civibus potestas vobis iudicandi fuit; si denique unquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, ut sua studia erga fortes et bonos cives, quae vultu et verbis saepe significassent, re et sententiis declararent; hoc profecto tempore eam potestatem omnem vos habetis, ut statuatis, utrum nos, qui semper vestrae auctoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus, an diu vexati a perditissimis civibus aliquando per vos, ac vestram fidem, virtutem sapientiamque recreemur. Pro Mil. 2.

Vel plura nunc protasis nunc apodosis complectitur, ut: *Si tecum attente reputaveris imminentem singulis momentis, quolibet in loco et negotio mortem; si te ad supremi Iudicis horrendum tribunal obita morte statim rapiendum cogitaveris; si parata improbis in infernis supplicia, nullis unquam finienda saeculis; si constituta probis in caelesti regno praemia, saepe ac diligenter inspexeris: mihi crede, nunquam fiet, ut vel blandimentis vo-*

luptatum pelliciaris ad scelus, vel obiecto cuiuscumque calamitatis ac periculi metu, a recta via retraharis. Iuv.

Segneri. P. 28. n. 4. *E se voi.*

Schol. Quae nos, veteres secuti (1), de periodi natura et partibus tradidimus, plerisque hodie incerta et vaga videntur, ut ex quibus iudicari saepe non possit, sitne aliqua oratio periodus dicenda, necne, aut in quas ea partes dividatur. Quaesierunt igitur definitiones, quibus tum ipsa periodus ab omni alia verborum continuatione, tum partes eius inter se ex genere constructionis, ut aiunt, grammaticae discernerentur. Et alii quidem periodum esse dicunt omnem et solam sententiam compositam, in qua secundaria antecedat primariam, ut: n. 43. *Nam cum.* Alii autem eam orationem periodum esse volunt, quae sententias interiectas habeat: itaque *Scipio exercitum in Africam traiecit, ut Hannibalem ex Italia deduceret*, his vulgaris est sermo, qui in periodum mutatur, si dicas: *Scipio, ut Hannibalem ex Italia deduceret, exercitum in Africam traiecit.* Sunt etiam, qui omnem sensum absolutum, periodum vocent. Iam vero haec et similia primum quidem arbitraria sunt, et ab ipso usu huius vocabuli, periodum dico, remota. Neque enim illi hoc nobis explicant, quod, cum periodum dicimus, cogitamus; sed potius praescribunt, quodnam orationis genus in posterum periodum appellare debeamus. Quod si definire est, nihil illo facilius. Sed falsa etiam ratione ducuntur, quod existimant, e grammaticis praeceptionibus definitionem esse petendam, quo scilicet accuratius circumscripta esse queat. Periodus enim ornamentum est: definitio igitur non grammaticae constructionis genus, sed ornatum monstrare debet, quo sive a vulgari oratione, sive ab aliis ornamentis discernitur. Haec autem sunt fere in omni genere eiusmodi, ut, ubi incipiant et desinant, non semper possit accuratissime definiri. Scio, quid sit perspicuitas, scio, quid suavitas; nec tamen in promptu est dicere, quibus sive verbis, sive sententiis oratio incipiat iam non perspicua tantum, sed etiam suavis esse.

---

(1) Vide passim paene omnes Rhetores. — Cicero, quamvis ipsam definitionem non ponat, ubi tamen de periodo disputat, eam nunc orationi brevi, nunc non illigatae, nunc non numerosae opponit; tria ergo haec postulat, ut sit circumscriptio paullo amplior, illigata et numerosa.

Art. II.

DE ARTIFICIO CONTEXENDAE PERIODI

§ I.

DE AMPLIFICATIONE PERIODI

Quid amplificatio n. 45; quomodo fiat explicando n. 46; enumerando n. 47; per causas et effecta n. 48; per adiuncta n. 49; per comparationem n. 50; quae in amplificando servanda n. 51.

45. Amplificatio in rethorica dici solet expositio rei ad movendos animos accomodata. Sed hoc loco generatim pro uberiori expositione accipitur *).

*) Nempe omni periodo simplex aliqua sententia seu propositio velut materia subest, v. g. n. 43 (4). *Licinius eloquentiae meae fructum sibi repetere debet;* porro talis propositio amplificatur, cum, adiunctis aliis rebus congruis, plenius eam illustriusque declaramus.

46. Amplificatio autem his potissimum modis fieri solet:

Explicando pluribus, quod uno verbo propositionis continetur. Ita sententia haec: *Indocti contemnuntur* — explicatione utriusque vocabuli amplificatur: *Qui naturae aut educationis vitio in turpi bonarum artium ignoratione versantur; illi apud omnes ita contemti vulgo iacent, ut aditum ad famam honoremque invenire nullum possint.* (Iuv). — Huic modo similis ille est, cum rem verbis lectissimis, synonymis, epithetis etc. copiosius efferimus; sic Cicero sententiam: *In rebu*

gerendis gloriam intuebar — in hunc modum eloquitur: *Ego vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo spargere me et disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam.* Pro Arch. 12.

47. Quae propositio de toto enuntiat, in singulis partibus ostenduntur, aut generatim pro communi ponuntur singularia. Sententiam de Licinio (n. 45) Cicero ita in periodum fudit: primum fecit duas sententias, quarum altera est protasi, altera apodosi subiecta: *Si in me est eloquentia, huius fructum sibi Licinius iure repetit;* deinde pro eloquentia tres eius velut partes posuit: *naturam*, *exercitationem*, *artem*, et ita in tria membra protasin extendit. V. n. 43. — Iuventius autem illam Sapientis vocem: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis*, dilatavit pro generali singularia ponens. V. n. 44.

48. Ad sententiam confirmandam rei causas vel effectus exponimus.

1. Explicat Cicero, quibus de causis pericula contemserit: *Nam nisi multorum praeceptis, multisque litteris mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem; in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis. omnia pericula mortis atque exilii parvi esse ducenda; nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem.* Pro Arch. 6.

Segneri. P. 39. n. 2. *Ma s' è così.*

2. Eloquentiam idem ab effectis commendat: *Cum autem res ab nostra memoria propter vetustatem remotas ex litterarum monumentis repetere*

instituo; multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intelligo tum animi ratione tum facilius eloquentia comparatas. De inv. 1, 1.

Segneri. P. 27, n. 7. *Questa fa.*

49. Ab adiunctis personarum, locorum, temporum rationes ad sententiam probandam vel explicandam petimus.

Propositionem: *Etsi non decet, timeo*, amplificat Cicero, adiunctis personae ostendens, *cur non deceat timere*, et adiunctis iudicii, *cur tamen timeat.*

Etsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat, cum Titus Annius Milo ipse magis de reipublicae salute, quam de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse; tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos, qui quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori et pristinum morem iudiciorum requirunt. Pro Mil. 1.

Segneri. P. 26. n. 2. *Se noi.*

50. Denique propositio similitudine, re contraria vel quavis alia comparatione illustrari potest.

1. Similitudine: *Quemadmodum trepide refugeres, si anguem oculis igne suffectis exerta lingua in te irruentem conspiceres; ita non minori contentione ac celeritate peccati vel umbram fuge.* Iuv.

Segneri. P. 19. n. 3. *Pur troppo.*

2. A contrario Cicero amplificavit elegantissimam periodum: *Nam qui locus etc.*, n. 42., et Sallustius: *Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant; iis otium, divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere.* Cat. 10.

Segneri. P. 2. n. 9. *Non tanto.* P. 17. n. 5. *Che aborrimento.*

3. Comparatio praeterea multis modis inter res et personas institui potest. En unum saltem exemplum:

Et si non minus nobis iucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur; quod salutis certa laetitia est, nascendi incerta conditio, et quod sine sensu nascimur, cum voluptate servamur: profecto, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus; esse apud vos posterosque vestros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam amplificatamque servavit. 3 Cat. 1.

Segneri. P. 3. n. 10. *Nessuno.*

51. In amplificanda periodo, vide, ut cogitationes arcessas vere congruas et illustres *): verba quoque sint lecta et gravia, in quibus nihil redundet **).

*) Solerter ergo circumspice, quid in propositione quapiam ec orationis loco, in quo ponitur periodus, sit amplificandum, num subiectum, an praedicatum, an vero alia orationis particula.

**) In verbis maxime cavendum, ne synonyma et epitheta pueriliter cumulentur, ut si in exemplo n. 45 allato, vocem *Indocti* exponas: *Nulla litterarum cognitione praediti, nulla ornati laude doctrinarum, nullo eruditionis splendore decorati etc.*

§ II.

DE COMPOSITIONE PERIODI

Quaenam sit compositio periodi simplicis, quaenam complexae n. 52; quae in componenda periodo providenda n. 53.

52. In simplici periodo compositio potissimum collocatione verborum perficitur. Videndum igitur,

ne verba iaceant dissoluta et velut proiecta corporis membra, ut: *Filius Dei tot et tantos cruciatus subire et ipsam mortem non dubitavit pro nostra salute* — potius: *Tot ac tantos cruciatus mortemque ipsam Dei Filius pro salute nostra subire non dubitavit.*

Segneri. P. 6. n. 4. *E tu non temi.*

In complexa periodo partes vel simpliciter altera alteri annexae *), vel ita coniunctae, ut altera ex altera pendeat **), vel denique interiectione illigatae sunt ***).

*) Annectuntur per particulas, quas vocant copulativas *et-et, non solum —sed etiam, aut-aut etc.* His plerumque membra vel incisa inter se connexa sunt.

**) Alter coniungendi modus, qui imprimis convenit protasi et apodosi, multo est arctior. Fit per particulas consecutivas *Postquam — tum. Ut primum — etc.*, relativas: *Qui — is Quantus — tantus:* conditionales: *Si, nisi; Non ideo — sed etc.* concessivas: *Etsi — tamen etc.*

***) Sola incisa, neque ea semper, interiiciuntur.

Schol. Interdum etiam quasi duas periodos una compositio complectitur:

Quare si quis, omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi: is inutilis sibi, perniciosus patriae civis alitur: qui vero ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriae, sed pro his pugnare possit; is mihi vir et suis et publicis rationibus utilissimus atque amicissimus civis fore videtur. De Inv. 1, 1.

53. Ita periodi partes connectendae sunt, ut et aptissime cohaereant et nihilominus facile internoscantur. Ad aptam vero iunctionem conducit, propositionem primariam in apodosi, in protasi vero id collocari, quod ad eam amplificandam excogitatur, maxime si est conditio vel causa; quae vero illustrandi gratia adduntur, potius innectantur, quam subsequantur. In quo tamen

cavendum est plurimum, ne oratio implexa fiat: singula potius membra et coniunctione verborum et collocatione sint discreta, maxime protasis et apodosis: quo spectat usus duplicis particulae: *Postquam — tum; Qui — is; Etsi — tamen*, etc.

§ III.

DE NUMERO PERIODICO

In qua periodi parte numerus quaerendus n. 54*; quae servanda proportio partium n.* 55.

54. Plerique censent cadere tantum numerose oportere terminarique sententiam. Est autem, ut id maxime deceat, non id solum.

*) Cum aures extremum semper expectent, in eoque acquiescant, id vacare numero non oportet: sed ad hunc exitum tamen a principio ferre debet verborum illa comprehensio, et tota a capite ita fluere, ut ad extremum veniens ipsa consistat. Or. 59. Cf. Qt. 9, 4.

Quae vero principia, quive exitus conveniant, id praecipue aurium iudicio ponderandum. Quae enim huius rei praecepta tradunt, non satis definita esse solent. Optime, ait Quintilianus, incipitur a longis, recte aliquando a brevibus —; clausulae quoque a longis firmissimae, sed claudunt et breves.

*) Diffusius Cicero (Or. 63, et seq.) in pedes, quibus in clausulis sit utendum, inquirit. Commendatur vulgo creticus (—v—), dichoreus (—v—v), iambus cum dactylo (v——vv) dochmius (v——v—), caricus (—v——); nonnunquam dispondeus (————). Aristoteles maxime quartum paeonem (vvv—) probat, Cicero non reiicit, sed alios praefert. Finis versus hexametri communiter reprobatur, nisi uno verbo continetur, ut: *inveniatur*.

Mediis non ea modo cura sit, ut inter se cohaereant, sed ne pigra, ne longa, ne brevium contextu resultent; ac sonum reddant paene puerilium crepitaculorum.

*) Id quoque notandum, non modo membra atque incisa bene incipienda et claudenda esse, sed etiam in iis, quae contexta sunt, nec respiratione utuntur, quosdam occultos gradus esse servandos, ut: *Animadverti, judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes.* Nam et duo prima verba et tria proxima et deinceps duo rursus ac tria suos quasi numeros habent spiritum sustinentes. Qt 9, 4.
Segneri. P. 6, n. 2. *Quella potenza*

55. De proportione partium docentur tria:

1. Laudatur maxime periodus *quadrata* sive rotunda. Sic enim dicitur ille ambitus, in quo quatuor membra, in protasin et apodosin ex aequo divisa, magnitudine et compositione inter se similia sunt, atque inprimis numerose cadunt.

Etsi, Quirites, non est meae consuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de causa quemque defendam; propterea quod cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis iustam mihi causam necessitudinis esse duxi: tamen in hac defensione capitis, famae, fortunarum omnium C. Rabirii proponenda ratio videtur esse officii mei; propterea quod quae iustissima mihi causa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri. Pro Rab. 1

Segneri. P. 11. n. 1. *E comune.*

2. In aliis etiam periodis commendatur, ut membra paene aequalia sint. Maxime requirunt, ut membra apodosis membris protasis respondeant. Sed si consequentia vel graviora sunt, vel acrior

per ea oratio fertur, perbene longioribus breviora respondent.

3. Si in trimembri vel quadrimembri periodo apodosis unum tantum membrum habet, id fere longius sit, quam singula antecedentis. Verum hic quoque sententiae vel unius verbi gravitas hanc proportionem egregie supplet.

Si quem animum in alienae sortis exemplo paulo ante habuistis, eumdem mox in aestimanda fortuna vestra habueritis; vicimus, milites. Liv. 21, 43.

Schol. Sed haec praecepta non magis scrupulose servanda sunt quam illa, quae de perfectis numeris generatim traduntur. Et tantum abest, ut oratio ab iis recedens vitiosa putanda sit, ut hic ornatus non modo continuus, sed etiam frequens fastidium pariat. Porro numerorum doctrina amplior in oratoriis praeceptis tradetur.

§ IV.

DE USU PERIODORUM

Quid generatim de usu periodi, quinam proprius ei locus n. 56.

56. Periodi orationi suavitatem et dignitatem conciliant. Sed moderate et cum circumspectione adhibendae sunt, ut pro vario genere rerum et orationis frequenter etiam incisim et membratim dicamus. —

Incisim dicit, qui breviores illas orationis partes in membra vel periodos non colligat; membratim, qui simili modo membra soluta ponit. *Domus tibi deerat? at habebas; pecunia superabat? at egebas.* Haec incise dicta sunt quatuor. At membratim, quae sequuntur, duo: *Incurristi amens in columnas; in alienos insanus insanisti.*

Deinde omnia, tamquam crepidine quadam comprehensione longiore sustinentur: *Depressam, caecam, iacentem domum pluris, quam te, et quam fortunas tuas aestimasti* (1). Or. 67.

Proprius igitur periodorum locus est in ea oratione, quae dignitatem prae se ferre, et animos non tam perturbare, quam leniter et iucunde commovere debet. Ubicumque autem acriter erit, instanter, pugnaciter dicendum, membratim, caesimque dicemus (Qt. 9, 4). Similiter oratio, quae a quotidiana locutione propius abest, hunc ornatum fere respuit.

Itaque, ut de nonnullis generibus nominatim dicam:

1. In historia, in eo, quod appellamus ἐπιδεικτικόν (ad hoc genus etiam pertinent, quas nos dicimus academicas orationes, sed inprimis panegyrici) placet, omnia dici illa circumscriptione ambituque (Or. 61). Sed curandum, ut in ipsis periodis sit magna varietas, nec ipsum illud *omnia* omnino servandum.
2. In epistolis et dialogis periodis grandioribus vix ullus est locus.
3. Ad causas vero forenses (et ad omnes similes orationes, quae pugnam habent et graviores motus) genus hoc orationis neque totum assumendum est, neque omnino repudiandum. In his enim causis maximeque iis locis, cum aut arguas, aut refellas, plurimum valet incisim et membratim tractata oratio. Nec ullum genus est dicendi, aut melius aut fortius, quam binis aut ternis ferire verbis, nonnunquam singulis, paulo alias pluribus; inter quae variis clausulis interponit se raro numerosa comprehensio. Crebro autem haec etiam in his orationibus adhibenda est, si aut laudandum est aliquid ornatius, ut in Verr. II c. 1, de Sicilia, aut exponenda oratio, quae plus dignitatis desiderat, quam doloris, ut in Verr. IV, de Ennensi Cerere, c. 48, de Segestana Diana, c. 33, de Syracusarum situ, c. 53. Saepe etiam in amplificanda re concessu omnium funditur numerose et volubiliter oratio; (Qt.) praecipue tamen exordia frequentissimam periodum admittunt.

(1) Ex qua oratione Ciceronis hic locus sumptus sit, non constat. Dictus est in aliquem, qui magno suo damno domum emerat; emerat autem cupidine columnarum, neque in suorum gratiam, sed in alienorum. Dicimur enim insanire in eos, quorum causa pecunias profundimus.

CAPUT V.

DE TROPIS

Quid tropus, et quae eius genera. (Qt. 8, 6).

57. *Tropus* est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio (1). Duo igitur requiruntur: 1. ut dictio e loco suo proprio translata sit in eum, qui proprius non est. Sic vocis *florere* locus proprius est in *plantis;* cum vero *homo* dicitur *aetate*, *laude*, *virtute florere*, transfertur in alienum. Porro id fieri non potest, nisi inter res, quarum nomina permutantur, nexus intercedat, quo fiat, ut altera alterius vocabulo facile intelligatur.

2. Ut haec mutatio fiat *cum virtute* i. e. ut ex illa aliquid vel gratiae vel luminis vel ponderis orationi accedat *).

*) Hoc per tropos contingit pluribus de causis. Nam et delectatur animus rerum plurium et saepe dissimilium comparatione excitatus, et sermo hoc ipso iucundior, quod variatus et a vulgari et trita ratione remotus est. Adde quod rei naturam vel qualitatem vel praesentem conditionem mutuata ab aliis rebus nomina saepe illustrius declarant.

Dicitur autem verbi vel sermonis mutatio, quia duo sunt genera troporum, alterum in singulis verbis, alterum in coniunctis. Illi a nonnullis *simplices*, hi *complexi* vocantur. Tropus igitur

(1) Hinc a Cicerone saepe dicitur *oratio immutata*, *immutatio verborum*. Br. 17. Or. 27.

complexus, ut eodem utar exemplo, erit: *Flos aetatis libidine marcescit.*

Schol. Ceterum de tropo inexplicabilis et grammaticis inter ipsos et philosophis pugna est: quae sint genera, quae species, qui numerus, quis cui subiiciatur. Nos omissis, quae nihil ad oratorem instituendum pertinent, cavillationibus, necessarios maxime atque in usum receptos exequemur. Ot.

Art. I.

DE METAPHORA ET ALLEGORIA

(De or. 3, 38-42).

Quid metaphora n. 58; unde petatur n. 59; quid allegoria et quae eius genera n. 60; quis translationis usus n. 61; quae vitia n. 62.

58. Metaphora est tropus simplex, quo vocabula rerum similium permutantur. — Dicitur *tropus;* adest ergo mutatio modo exposita; *simplex*, quia uno verbo perficitur; *quo vocabula*, etc. Nempe quandocumque fit tropus, ratio aliqua subesse debet, propter quam vox a propria significatione in aliam traduci cum virtute possit; porro haec ratio in metaphora similitudo est inter rem, quam vox proprie significat, et eam, ad quam translata est. Ita terram *aridam* dicimus per metaphoram *sitientem*, quia inter eam et hominem sitientem reperitur similitudo *).

*) Hac de causa metaphora *similitudinis* dicitur *ad verbum unum contracta brevitas.* Similitudo est, cum de Achille Homerus dicit: *tanquam leo prosiliit* metaphora: *leo prosiliit.* Cic.

59. Si iam quaeris unde petantur metaphorae, nihil est in rerum natura cuius non nos in aliis

rebus possimus uti vocabulo. Unde enim simile duci potest, potest autem ex omnibus, indidem metaphora. Cic.

Vulgo tamen *quatuor* tanquam *sedes* communes traduntur:

Prima est, cum verba transferuntur a rebus animatis ad alias animatas; — sic Livius *Scipionem a Catone allatrari* solitum refert; sic *astutum hominem vulpem* dicimus, *plorantium clamores ululatus*.

Dante. Inf. c. 32. tt. 35. 36.

Secunda cum ab inanimis ad inanima; —

Me miserum, quanti montes *volvuntur aquarum!*
Trist. 1, 2.

Dixerat et spissis *noctis se condidit* umbris.
Aen. 2, 621.

Dante. Purg. c. 6. t. 30.

Tertia cum ab inanimis ad animata; — *Ipse inflammatus scelere et furore in forum venit.* De suppl. 62. — Huc pertinent *viridis iuventus*, *ardens animus*, etc.

Quarta cum ab animatis ad inanima ; — ita *crudelia funera*, *rugitus tonitruum*, ita *agros sitire*, *arbores sudare*, *ventos furere* dicimus.

Dante. Inf. c. 7. t. 3.

De hoc quarto genere Fabius : Praecipue ex his oritur mira sublimitas , quae audaciae proxima, periculo translationis attollitur, cum rebus sensu carentibus actum quendam et animos damus, qualis est : *Pontem indignatus Araxes*, Aen. 8 , 728 , et illa Ciceronis : *Quid enim* , *Tubero* , *tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius age-*

bat? cuius latus ille mucro petebat? quis sensus erat armorum tuorum? Pro Lig. 3.

*) Pulcherrime Virgilius in similitudine Troiae eversae:

Ac veluti summis antiquam in montibus ornum,
Quum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolae certatim: illa usque minatur,
Et tremefacta comam, concusso vertice, nutat;
Vulneribus donec paulatim evicta, supremum
Congemuit, traxitque iugis avulsa ruinam. Aen. 2, 626.

60. Allegoria tropus est, qui iam non simplicia verba, sed totam orationem a re simili mutuatur. Innocentem puerum si agnum appello, metaphora est; cum dico: *Agnum lupo tradidisti* — allegoria. Quare recte quidem Cicero allegoriam dixit continuatam metaphoram: non est tamen ideo quaevis continuata metaphora allegoria, nisi forte mixta, ut: *Hic adolescens vitiorum flamma consumitur.* — Nomen autem inde habet, quod aliud verbis, aliud sensu ostendit. Qt.

Alia pura est, quae tota verbis translatis constat, alia mixta, in qua nonnulla verba propria.

1. Pura est:

O navis referent in mare te novi
Fluctus! o quid agis? fortiter occupa
Portum — Od. 1, 12.

totusque ille Horatii locus, quo navim pro republica, fluctuum tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace et concordia dicit. Sed haec, nisi brevior sit, rara apud oratores; frequentior

2. Mixta: *Neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus ac fluctibus reipublicae navem gubernassem salvamque in portu collocassem, frontis tuae nubeculam, tum collegae tui contaminatum spi-*

ritum pertimescerem. Alios ego vidi ventos: alias prospexi animo procellas: aliis impendentibus tempestatibus non cessi, sed his unum me pro omnium salute obtuli (1). In Pis. 9.

3. Illud vero longe speciosissimum genus, in quo trium permixta est gratia, similitudinis, allegoriae et metaphorae. Qt.

Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos aestus habet ratio comitiorum? Dies intermissus unus aut nox interposita saepe perturbat omnia, et totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. Pro Mur. 17.

Dante. Inf. c. 1. tt. 35. 50.

61. Hic igitur tropus, translationem dico, cum frequentissimus, tum longe est pulcherrimus. Nam et copiam sermonis auget, et decoro consulit, nitorem denique affert et vim *).

*) *Copiam* auget primum praestando ut nulli rei nomen deesse videatur; nam saepe translato verbo declaramus id, quod proprio non possumus; sic *gemmam* dicimus *in vitibus*, sic *durum hominem* aut *asperum*. Deinde transferendo plurima saepe unius rei reperimus vocabula, ut quod quovis loco videatur optimum, seligendi sit copia. Cic.

Decoro consulit, quia quod proprio nomine appellatum turpitudinem habet, decentius saepe translato dicitur.

De nitore Quintilianus: Translatio quidem cum ita est ab ipsa nobis concessa natura, ut indocti quoque ac non sentientes ea frequenter utantur, tum ita jucunda atque nitida, ut in oratione, quamlibet clara, proprio tamen lumine eluceat. Neque enim vulgaris esse, nec humilis, nec insuavis, recte modo adscita sit, potest.

Vim etiam habet saepe mirabilem, eo quod rem totam quasi pandit et sensibus admovet.

(1) Hanc recentiores quidam veram esse allegoriam negant: certe imperfecta est.

Ecce mundus, qui diligitur, fugit. Sancti isti, ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcaverunt. Erat tunc vita longa, salus continua, opulentia in rebus, foecunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace, et tamen cum in seipso floreret, iam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce iam mundus in seipso aruit, et adhuc in cordibus nostris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio: undique percutimur, undique amaritudinibus replemur: et tamen caeca mente carnalis concupiscentiae ipsas eius amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhaeremus. S. Greg. M. Hom. 28, In Ev.

Extant in Scriptura sacra exempla plurima, praesertim in Psalmis et Prophetis.

62. Vitia in hoc genere vitanda sunt tria:

1. Primum fugienda est dissimilitudo. Vituperat Cicero *ingentes caeli fornices*, sed plerisque hic videtur severior. Aliis non probatur, quod Plautus dixit: *Lippiunt fauces fame.* Curc. 2, 3. Pessime sane: *Virtus arundo est, quam inclinat turbo, non frangit.*

2. Id quoque inprimis est custodiendum, ut, quo ex genere coeperis translationis, hoc desinas. Multi enim cum initium a tempestate sumserunt, incendio aut ruina finiunt, quae est inconsequentia rerum foedissima; ut: *Effrenatae cupiditates, quarum fluctibus iactaris, pridem domesticos exagitabant; iam in scelerum tuorum socios transfusae, universam rempublicam inflammaverunt.* Qt. *Asbterge sordes vitiorum, quae te irretitum tenent* — potius: *Disrumpe laqueos, quibus te vitia irretitum tenent.*

3. Neque longius est prosequenda translatio eadem *).

*) Id maxime in allegoria providendum. Sunt enim, qui singulas pene particulas illius rei, a qua ducitur simile, studiosius perquirant; in verbis etiam argutiores, ne forte qua ex parte similitudo lateat; quod totum est puerile. Bl. 1, 15. Alia in transferendo vitia, quae sunt omnibus tropis communia, infra tractabimus.

Art. II.

DE SYNECDOCHE ET METONYMIA

Quid synecdoche et quae eius genera n. 63; quid metonymia et quae huius genera n. 64.

63. *Synecdoche* est tropus simplex, quo permutantur nomina earum rerum, quarum una ad alteram aliqua ratione ut pars ad totum refertur Huius quatuor ponuntur genera:

Primum dicunt, quum pars pro toto et vicissim totum ponitur pro parte. Intelligunt scilicet id, quod vulgari sermone simpliciter totum dicimus. Huius generis sunt: *Tectum* vel *limen* pro *domo* vel *templo*, *caput* pro *homine*, aut contra *arbor* pro *ramo*, *elephantus* pro *ebore; fons*, *flumen* pro *aqua ex illo hausta*, ut:

Nec vires heroum infusaque flumina *prosunt.*
Aen. 5, 684.

Dante. Inf. c. 1. t. 27. v. 3.

Alterum genus est, in quo *numeri* permutantur, ut: *Romanus proelio victor*, et: *Uterumque armato milite complent.* Aen. 2, 20. Id tamen, ut liquet, fieri non potest, nisi unus ille et plures ad eundem vel populum vel coetum vel genus vel ordinem pertinent, et sic unum aliquod totum constituunt.

Segneri. P. n. 5. *Chiamerete voi.*

Tertium est, cum genus, species et individuum permutantur. Nam et genus species, et species individua continet. Itaque pro *avi philomela*, pro *arbore pinus*, pro *viro forti Hercules*, pro *poëta Homerus* dicitur, atque vicissim pro *stellis ignes*,

pro *bobus armenta* legimus. Quo item in genere et virtutes et vitia pro ipsis, in quibus insunt, appellantur: *Luxuries, quam in domum irrupit* — et *Quo avaritia penetravit:* aut *Fides valuit; Iustitia confecit.*

Dante. Inf. c. 6. t. 17.

Quartum genus illud est, in quo pro re ipsa materia ponitur, ex qua facta est; ut *pinus* pro *navi*, *aurum* pro *poculo*, *ferrum* pro *gladio*. Solet vero vox aliqua propria addi; ut:

Cedet et ipse mari vector, nec nautica *pinus*
Mutabit merces; omnis feret omnia tellus.
Ecl. 4, 38.

nisi sensus pateat:

Ille impiger hausit
Spumantem pateram et pleno se proluit auro.
Aen. 4, 742.

Dante. Inf. c. 15. t. 38. v. 3.

54. *Metonymia* tropus est, quo permutantur vocabula rerum, inter quas item coniunctio reperitur, non ea tamen intima, quae ratio est synecdoches. — Tria eius sunt genera praecipua:

Primum, cum causae pro effectis, vel effecta pro causis dicuntur. Exempla sunt obvia, ut: *legere Platonem; tempestas boum labores diluit; ager gravidus autumno*, et contra: *Pelion non habet umbras*, et:

Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes
Vulnera *dirigere*. Aen. 10, 139.

Dante. Inf. c. 8. t. 40.

Huiusmodi metonymiae etiam, ut apposita,

substantivis adduntur cum epitheto causae proprio, ut:

Sirenas, hilarem navigantium poenam,
Blandasque mortes gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Ulysses dicitur reliquisse.
Mart. 3, 64.

Id quoque notandum, causam hoc loco latiori sensu accipi, ut etiam instrumentum vel praecipuus rei fautor intelligatur. Hinc illa: *Vitemus oculos hominum, si linguas minus facile possumus;* Ad fam. 9, 11: et *Ceres* pro *pane* vel *frumento*, *Bacchus* pro *vino*, *Musae* pro *artibus et literarum studiis.*

..... *Misenum Aeoliden, quo non praestantior alter,*
Aere ciere viros Martemque accendere cantu.
Aen. 6, 163.

Alterum est, cum continens pro contento ponitur. Ita Cicero *Athenas* dixit *inventrices omnium doctrinarum;* et Virgilius paulo ante *spumantem pateram.*

Dante. Purg. c. 16. t. 39.

Tertium, cum signum pro signato usurpatur. Sic *laurea* pro *victoria*, *sceptrum* pro *potestate regia*, *oliva* pro *pace* dicimus. Quare huc pertinent illa: *Cedant arma togae*, et:

Non illum populi fasces, non purpura regum
Flexit. Georg. 2. 495

Dante. Purg. c. 11. t. 24.

Art. III.

DE IRONIA ET HYPERBOLE

Quid ironia et quomodo intelligatur n. 65; quae eius genera; quae in ironia vitanda n. 66; quid hyperbole; quando usurpanda; quî enuntianda n. 67.

65. *Ironia* tropus est, quo verbum vel sermo a propria in contrariam significationem traducitur. Intelligitur autem haec ita immutata oratio vel ola pronuntiatione vel persona vel rei natura vel denique adiecto aliquo vocabulo. Qt.

1. *Persona*, cum scilicet dicta cum huius natura vel moribus aperte pugnant, ut quando Cicero *Verrem hominem sanctum et diligentem* appellat, aut ex eo sciscitatur: *Quid ais, bone custos defensorque provinciae?* — 2. *Rei natura*, item verbis dissentiente, ut: *O praeclarum pastorem ovium lupum!* — 3. Additur saepe vox, ut: *quippe, scilicet, credo, si superis placet*, etc. ut: *Hannibal, credo, erat ante portas.* — *Scilicet is superum labor.*

Dante. Inf. c. 27. t. 1.

66. Ironiae genera sunt duo: vel enim singulis verbis perficitur, vel totius orationis sensus diversus est.

1. *A quo repudiatus ad sodalem tuum, optimum virum, Metellum demigrasti.* 1 Cat. 8.

2. *Sed stulti sumus, qui Drusum, qui Africanum, Pompeium, nosmetipsos cum P. Clodio conferre audeamus; tolerabilia fuerunt illa; P. Clodii mortem aequo animo nemo ferre potest. Luget Se-*

natus, moeret equester ordo, tota civitas confecta senio est: squalent municipia, afflictantur coloniae, agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant. Pro Mil. 8.

In huius tropi usu fugienda est amaritudo et arrogantia. Arrogantia autem est, ironia uti, cum res satis probata et perspecta non fuerit: est enim ironia loquendi modus quasi triumphantis et illudentis adversario. Porro amarulenta et pungens ironia *sarcasmus* dicitur.

67. *Hyperbole* est decens veri superlatio. Quae ad tropos refertur, quia pro verbis propriis ea ponit, quae vel plus vel minus significant. Virtus enim eius par augendi atque minuendi. Qt.

Neque vero hyperbole recte utimur, nisi quando in re non vulgari *) cum animorum motu **) versatur oratio.

*) Tum est hyperbole virtus, quam res ipsa, de qua loquendum est, naturalem modum excessit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici, quantum est, non potest, meliusque ultra, quam citra stat oratio. Qt.

**) Sed etiam in re magna nisi commotis animis haec veri superlatio naturalis non est. (Bl. 16). Quod si dubites, an omnino naturalis esse possit, considera, quae vel ipse usus habet quotidiani sermonis: *Metu exanimari, diffluere lacrymis*, et sexcenta alia.

Effertur autem hyperbole non uno modo; aut enim plus facto dicimus: *Vomens frustis esculentis gremium suum et totum tribunal implevit*, Phil. 2, 25; aut per comparationem, ut: *Fulminis ocior alis*, Aen. 5, 319; aut res per similitudinem attollimus: *Credas, innare revulsas Cycladas*, ib. 8, 691; aut signis quasi quibusdam:

Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas;
Ib. 7, 808.

vel translatione, ut ipsum illud *volaret*. Qt.

Crescit interdum hyperbole, alia insuper addita, ut Cicero in Antonium dicit: *Quae Charybdis tam vorax? Charybdin dico, quae si fuit, fuit animal unum. Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse.* Phil. 2, 27.

Dante. Purg. c. 29, t. 39.

Ceterum videndum est, non solum, ut quod dixi modo, loco adhibeatur, sed ut huius quoque rei servetur mensura quaedam. Quamvis enim sit omnis hyperbole ultra fidem, non tamen debet esse ultra modum; nec alia via magis in κακοζηλίαν itur - (n. 137). Qt.

Schol. Sunt praeterea tropi alii, sed tam vel rari vel cognitu faciles, ut doctrinam nullam requirere videantur. Tales sunt v. g. *Antonomasia*, quae pro nomine proprio ponit aliquid, quo res vel persona insignis et clara est, ut pro *Annibale Terror Italiae*, pro *Scipione Eversor Carthaginis*, pro *Iove Divum pater atque hominum rex*. — *Catachresis* sive abusio, qua nomine alicuius rei utimur ad aliam significandam, quae illi proxima est et quasi vicina; sic *matris* quoque aut *fratris interfector parricida* dicitur.

Art. IV.

DE USU TROPORUM

Qui tropi vitandi; qui censeantur otiosi; quid de longius arcessitis; quomodo hi mollientur; quid de frequentibus, n. 68; quomodo aptandi rei et generi dicendi, n. 69.

68. De troporum usu praecipitur, ut ne sint

otiosi, ne longius arcessiti, ne frequentiores, postremo ne dedeceant.

Otiosi sunt, qui ad propositum dicentis nihil aut non plus conferunt, quam propria. Translatio enim aut vacantem occupare locum debet, aut si in alienum venit, plus valere eo, quod expellit. Qt.

Longius arcessiti nunc obscuri sunt, nunc propter duritiem et audaciam insuaves. Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irruisse, atque ut precario, non vi venisse videatur. *Syrtim patrimonii*, *scopulum* libentius dixerim, *Charibdin bonorum*, *voraginem* potius. De or. 3, 41.

Molliri autem saepe potest translatio, quae durior videatur, 1. addito verbo proprio, ut *nautica dinus*, et *mersor civilibus undis;* 2. comparatione facta: — quamquam id non tam est mollire tropum, quam in aliud genus orationis mutare. Fit tamen perbene; sic *Charybdin bonorum* modo reprehendit Cicero, qui optime de Antonio: *Quae Charybdis tam vorax* (n. 67); 3. interposito verbo, ut si olim M. Catone mortuo *pupillum Senatum* quis relictum diceret, paullo durius, sin *ut ita dicam*, *pupillum* aliquanto mitius *). Cic. ibid.

*) Cave tamen, ne saepius id facias; friget enim oratio, neque omne hoc modo vitium aufertur. Audaciae in tropis tunc est locus, cum scriptor in re grandi animum legentis excitaverit, et ad res dissitas et tamen similes cognoscendas aliquo modo paraverit. Ita felicissime audax est imprimis Horatius.

Frequentiores, saltem si audaces, si arguti fuerint, et satietatem afferunt, et solutam quidem

orationem maxime dedecent, ut: *Cum primum, Aurora surgente, universa, quae videre poteram, armis coruscantibus stellabant, et ferreus equitatus opplebat campos et colles; saeviens per urbem aeternam urebat cunctos Bellona, ex primordiis minimis ad clades ducta luctuosas.*

69. *Dedecet* tropus, qui vel rei dissentiat vel ipsi generi orationis. Ad *rem* quod pertinet, recte quidem, cum ornanda est, a meliori nomen mutuaris, a viliori cum vituperanda, ut:

Latrat ět in toto verba canina foro; —

sed propterea non licet quaevis alta et humilia miscere,

Ut si quis stabula atra Lares appellat equinos,
Aut crines magnae Genitricis gramina dicat;
Vida. 3.

aut nomen traducere a re, quae tam sit foeda, ut nauseam faciat *).

*) Quoniam enim haec vel summa laus est in verbis transferendis, ut sensum feriat id, quod translatum est; fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiant, trahit similitudo. Nolo *stercus curiae* dici *Glauciam*. Quamvis sit simile, tamen est deformis cogitatio similitudinis (De or. 3. 41). Utroque hoc vitio laborat notus ille versus Furii:

Iupiter hibernas cana nive conspuit Alpes. Hor. Sat. 2, 5.

Generi autem *dicendi* ut tropi consentiant, haec duo observanda sunt: 1. Nonnulli tropi solis pöëtis permittuntur. Prosa enim, admonet (l. c.) Quintilianus, ut *mucronem* pro *gladio* et *tectum* pro *domo* recipiet, ita non *puppim* pro *nave*, nec *abietem* pro

tabellis. Et rursus ut pro *gladio ferrum*, ita non pro *equo quadrupedem*. Et paullo post: ut *Vulcanum* pro *igne* vulgo audimus, et *vario Marte pugnatum est*, eruditus est sermo...; ita *Liberum* et *Cererem* pro *vino et pane* licentius, quam ut fori severitas ferat.

2. Generatim maior in tropis audacia et frequentia poëmati, quam orationi convenit, orationi quam historiae, historiae quam dialogo vel epistolae.

Cicero: *Vitis quidem, quae natura caduca est, et nisi fulta sit, ad terram fertur; eadem ut se erigat, claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur: quam serpentem multiplici lapsu et erratico, ferro amputans coërcet ars agricolarum, ne sylvescat et in omnes partes nimia fundatur*. De Sen. 15.

Virgilius:

Ac dum prima novis adolescit frondibus aetas,
Parcendum teneris; et dum se laetus ad auras
Palmes agit, laxis per purum immissus habenis
Ipsa acie nondum falcis tentanda, sed uncis
Carpendae manibus frondes interque legendae.
Inde ubi iam validis amplexae stirpibus ulmos
Exierint, tum stringe comas, tum brachia tonde:
Ante reformidant ferrum; tum denique dura
Exerce imperia et ramos compesce fluentes.
Georg. 2, 362.

Schol. Hoc ergo de convenientia troporum praeceptum latissime sane patet. Sed cuiusque operis indolem et naturam stude cognoscere, et apud optimos scriptores tropos diligenter examina; sic fiet, ut quod quovis loco deceat tua sponte sentias. Persuasum autem habeto, nostrae aetatis scriptores troporum abusu plurimum peccare.

CAPUT VI.

DE FIGURIS

(Qt. 9, 1)

Quid figura; quo differat a tropo; quae eius genera n. 70.

70. Figura (graece σχῆμα) est conformatio quaedam orationis, a communi loquendi modo cum virtute remota. Simplex est sic rogare:

Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?
Aen. 1, 369,

figuratum autem, quoties non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi: *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* et: *Patere tua consilia non sentis?* et totus denique locus. Quanto enim magis ardet, quam si diceretur; *Diu abuteris patientia nostra*, et: *Patent tua consilia.* Qt 9, 2.

Schol. Figura per se dici potest forma sententiae qualiscumque fuerit, sicut in corporibus, quibus, quomodocumque sunt composita, utique habitus est aliquis: sed si pro stili ornamento accipitur, est forma orationis a vulgari et simplici cum ratione mutata. Quam definitionem recentiores quidam impugnant, eo quod popularis sermo figuris minime careat; sed per illam communem sive vulgarem rationem non intelligitur sermo vulgi, sed modus loquendi, quo utimur, si rem simpliciter indicamus; ab hoc igitur rudes sane aeque ac docti homines recedunt, cum mente commoti sunt, et per eam formam, quam figuram dicimus, sermoni vim quandam vel gratiam addunt: quare etiam figurae aptissime *sermo affectuum* sunt appellatae. Cf. Qt. 9. 1.

Figura et tropus in hoc conveniunt, quod uter-

que a simplici ratione loquendi recedit; sed tropus id facit immutando sensu verborum, figura immutanda forma et quasi habitu sermonis, manente propria significatione verborum.

Schol. Antiqua est de differentia troporum et figurarum disceptatio: aliis omnes figuras tropos, aliis tropos figuras esse dicentibus. Nostrates plerique tropos ad figuras, tanquam speciem ad genus referunt. Qui si omne ornamentum i. e. omnem orationem, quae a vulgari modo loquendi ornatus causa mutata est, figuram dicere voluerint, recte tropos figuris subiicient; sed tum quidem lis erit de nomine. Adeo tamen similitudo manifesta, ut eam discernere non sit in promptu. Nam quomodo quaedam in his species plane distant: ita quaedam perquam tenui limite dividuntur, ut cum ironia tam inter figuras sententiarum, quam inter tropos reperiatur. Optimum in his sequi maxime recepta et rem ipsam, quocumque modo appelletur, intelligere. Qt.

Dividuntur figurae in figuras verborum, et sententiarum: inter quas hoc interest, quod verborum tollitur, si verba mutaris, sententiarum permanet, quibuscumque verbis uti velis. De or. 3, 52.

Schol. De divisione figurarum rursum est multa inter viros doctos disputatio; sed hic quoque praestiterit, omissa altercatione, maxime receptam sequi, praesertim cum haec et per se plana sit, et licet non optime, melius tamen, quam nostra aetate invectae, dividat (1). Quam tamen ita sequimur, ut si qua sententiae figura verborum figurae persimilis reperiatur, de utraque eodem loco quaeramus.

(1) En harum aliquot: 1. Figurae phantasiae et affectuum. 2. Figurae acuminis, intellectus et affectuum. 3. Figurae obiectivae et subiectivae. 4. Figurae inhaerentiae, identitatis, modalitatis et insolentiae

Art. I.

DE FIGURIS VERBORUM

(Qt 9, 3)

Quid repetitio, conversio, complexio, conduplicatio et traductio n. 71; quis harum usus; num quae sit sententiae repetitio n. 72; quid synonimia n. 73; quid expolitio n. 74; quae vitia vicina et quomodo vitanda n. 75; quid polysyndeton, quid asyndeton n. 76; quae utriusque virtus n. 77; quid antitheton et quis eius usus n. 78; quid paronomasia n. 79; quid gradatio et κλῖμαξ n. 80; quid correctio n. 81; adiunctio n. 82; disiunctio n. 83; similiter cadens n. 84; similiter desinens n. 85; compar n. 86.

71. *Repetitionis*, de qua primum quaeri solet, vulgo quatuor species ponunt: prima simpliciter repetitio dicitur, altera conversio, tertia complexio, quarta conduplicatio: sed his addi potest quinta, traductio.

1. *Repetitio* est, cum continenter ab uno atque eodem verbo principia sumuntur (Heren. 4, 13), hoc modo: *Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt?* 1 Cat. 1.

Segneri. P. 3, n. 11. *Vendetta.* — Dante. Inf. c. 3, t. 1.

2. *Conversio* idem vocabulum in fine repetit: *Ex quo tempore concordia de civitate sublata est,*

libertas sublata est, *fides sublata est*, *amicitia sublata est*, *respublica sublata est*. Heren. 4, 13

Segneri. P. 30, n. 8.

3. *Complexio* tum primum tum postremum verbum iterat: *Quem senatus damnarit*, *quem populus romanus damnarit*, *quem omnium existimatio damnarit; eum vos sententiis vestris absolvetis?* Ib. c. 14.

4. *Conduplicatio* verba geminat. Fit variis modis; initio: *Vos*, *vos appello*, *fortissimi viri*, Pro Mil. c. 37; in decursu orationis: *Errabas*, *Verres*, *et vehementer errabas*, De suppl. 46; in principio et exitu: *Multi et graves dolores inventi sunt parentibus*, *et propinquis multi*, Ib. 45; interdum etiam prioris sententiae verbum ultimum fit sequentis primum: *Hic tamen vivit: vivit? imo etiam in senatum venit*. 1 Cat. 1.

Segneri. P. 10, n. 1. — Dante. Inf. c. 19. t. 24.

5. *Traductio* est eiusdem vocabuli repetitio casibus, generibus etc. etc. paullo immutatis: *Divitias sine divitum esse*, *tu vero virtutem praefer divitiis*. — *Si vis amari*, *ama*. — *Quid miserius misero non miserante se ipsum?* S. Aug.

72. Conversio, complectio et traductio raro adhibendae sunt; repetitio, conduplicatio frequentius: saepe etiam diversae hae species miscentur, ut in illa, quae πλοκή dicitur, in qua et primo verbo longo post intervallo redditum est ultimum, et media primis, et mediis ultima congruunt; ut: *Vestrum iam hic factum deprehenditur*, *P. C.*, *non meum*, *ac pulcherrimum quidem factum; verum*, *ut dixi*, *non meum*, *sed vestrum*. Qt.

Postremo sententiarum quoque est aliqua re

petitio, quam inprimis oratores usurpant. Sacri quidem oratores saepe Scripturae sententiam vel verba aliqua exhortationis cum vi repetunt. En suavissimus locus sancti Bernardi, de Beata Virgine Maria.

Ipsa est praeclara et eximia stella, super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in huius saeculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare: ne avertas oculos a fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum; respice stellam, voca Mariam! Si iactaris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, si emulationis; respice stellam, voca Mariam! Si criminum immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, iudicii horrore perterritus barathro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso; cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, et ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis; et sic in temetipso experiris, quam merito dictum sit: Et nomen virginis Maria. Hom. 2. Missus est.

Segneri. P. 26. n. 7. e P. 23. n. 5.

73. *Synonymia* est plurium vocabulorum ferme idem significantium coacervatio. Demosthenes ad quaestionem, cur in Panathenaeis omnia bene,

male omnia in belli expeditionibus gerantur, respondet:

ὅτι .... οὐδὲν ἀνεξέταστον, οὐδ' ἀόριστον ἐν τούτοις ἠμέληται, ἐν δὲ τοῖς περὶ τοῦ πολέμου καὶ τῇ τούτου παρασκευῇ ἄτακτα, ἀδιόρθωτα, ἀόριστα ἅπαντα. Phil. 1.

Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem, ex urbe vel eiecimus vel emisimus vel ipsum egredientem urbe prosecuti sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit. 2 Cat. 1.

74. *Expolitio* id facit sententiis, quod synonymia verbis. Dicitur a Cicerone *una in re commoratio;* eo quod rem eandem aliis et aliis sententiis explicat, ut scilicet ita in omnes quasi facies versata, prorsus pateat et altius in mentem descendat. — Pergit idem Cicero (l. c.):

Nulla iam pernicies a monstro illo atque prodigio moenibus ipsis intra moenia comparabitur. Atque hunc quidem unum belli domestici ducem sine controversia vicimus. Non iam inter latera nostra sica illa versabitur; non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domesticos parietes pertimescemus. Loco ille motus est, cum est ex urbe expulsus: palam iam cum hoste, nullo impediente, bellum iustum geremus. Sine dubio perdidimus hominem magnificeque vicimus, cum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium coniecimus. Vide etiam 1 Cat. c. 1. 5. 9.

75. Sed his figuris vicina sunt duo vitia, verbositas et tautologia. *Verbositas* enim verba cu-

mulat inutiliter; *tautologia* saepius idem dicit sine ratione et virtute.

Quae ut fugiamus videndum est: 1. ut orationi subsit sententia gravis; 2. neque in tali commoremur, nisi proposita oratio exigat; 3. ut verba et sententiae illae similes non tamen plane idem eodem modo dicant, sed rem magis ac magis illustrent.

76. *Polysyndeton* est oratio coniunctionibus abundans; aut iisdem, ut:

Ascaniumque patremque meum iuxtaque Creusam
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Aen. 2, 666.

aut diversis, ut:

. . . *Celsa sedet Aeolus arce,*
Sceptra tenens, mollitque animos et temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras coelumque profundum
Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.
Aen. 1, 60.

Asyndeton seu *dissolutio* contra demit coniunctiones, ut:

Faciat, quod libet, sumat, consumat, perdat: decretum est vati. Terent.

Segneri. P. 3. n. 11. *Non trovi.*

77. Utrumque horum acriora facit et instantiora, quae dicimus, mentis affectum saepius erumpentem significando. (Cf. Qt.) — Polysyndeton tamen non acrem solum animi motum, sed contra etiam languorem et tarditatem imitatur. Pergit Demosthenes (l. c. n. 73).

Τοιγαροῦν ἅμα ἀκηκόαμέν τι, καὶ τριηράρχους καθίσταμεν, καὶ τούτοις ἀντιδόσεις ποιούμεθα, καὶ περὶ χρημάτων πόρον σκοποῦμεν, καὶ μετὰ ταῦτα ἐμβαίνειν τοὺς μετοίκους ἔδοξε, καὶ τοὺς χωρὶς οἰκοῦντας, εἶτ' αὐτοὺς πάλιν ἀνεμβιβάζειν· εἶτ' ἐν ὅσῳ ταῦτα μέλλεται, προαπόλωλεν, ἐφ' ἃ ἂν ἐκπλέωμεν.

78. *Antitheton* seu contrapositum figura est, qua verba verbis, vel sententiae sententiis opponuntur. Itaque nunc ad figuras verborum nunc ad sententiarum pertinet. Utriusque exemplum clarus Tullii locus exhibet, in quo Verres opponitur Marcello (De sign. 52):

Conferte hanc pacem cum illo bello, huius praetoris adventum cum illius imperatoris victoria, huius cohortem impuram cum illius exercitu invicto, huius libidines cum illius continentia; ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas. Ac iam illa omitto, quae disperse a me multis locis dicentur ac dicta sunt: forum Syracusanorum, quod introitu Marcelli purum a caede servatum est, id adventu Verris Siculorum innocentium sanguine redundasse; portum Syracusanorum, qui tum et nostris classibus et Carthaginiensium clausus fuisset eum isto praetore Cilicum myoparoni praedonibusque patuisse.

Segneri. P. 3. n. 4. *E però.*

Schol. Antitheton et antithesis plerumque pro re eadem accipiuntur, nonnulli tamen tum solum antithesin dicunt, cum res, quae pugnare videntur, in unam sententiam coniunguntur: *Innocentiae saepe eloquens silentium est. Nihil huius voluptatis dulcedine amarius.*

Haec figura modo suavem, modo fortem et acrem reddit orationem, si tamen et parce adhibeatur, et impleta sit sententiarum pondere, et rebus quasi innata, non arcessita videatur *). Qt.

*) Incredibilis saepe vis in brevi oratione hac figura efficitur: *Excitate eum, si potestis, ab inferis; frangetis impetum vivi, cuius vix sustinetis furias insepulti.* Pro Mil. c. 33. Ceterum ut antithetis optimus quisque scriptor delectatus est, ita per eadem, cum primum in dicendi vitia inclinatio coepta est, plurimum peccari solet.

79. *Paronomasia*, sive agnominatio vocabula sono similia, sensu dissimilia iungit; ut: *Consul ipse parvo animo et pravo. Facie magis quam facetiis ridiculus.* Huic simile: *Cur ego non dicam, Furia, te furiam?* — Res per se leviuscula interdum tamen etiam extra iocum non inepta: *Quantum possis, in eo semper experire, ut prosis.*

80. *Gradationem* hodie quidem vocant omnem orationem, quae per maiora ad maximum ascendit, aut ad minimum per minora descendit.

In verbis: *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas; quod ego non modo non audiam, sed non videam planeque sentiam.* 1 Cat. 3.

In sententiis: *Tenuerunt P. Popilio, P. Rupilio Coss., illum locum servi, fugitivi, barbari, hostes: sed neque tam servi illi dominorum, quam tu libidinum; neque tam fugitivi illi a dominis, quam tu a iure et legibus; neque tam barbari lingua et natione illi, quam tu natura et moribus; neque illi tam hostes hominibus quam tu diis immortalibus.* De sign. c. 50.

Veteres illam tantum gradationem, in qua praecedens vocabulum repetentes progredimur, figuram, quae κλῖμαξ dicebatur, esse voluerunt; ut: *In urbe luxuries creatur; ex luxurie existat avaritia necesse est; ex avaritia erumpat audacia; inde omnia scelera ac maleficia gignuntur.* Pro R. Amer. 27. Vide etiam pro Mil. c. 23. Notum est illud:

Οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ· οὐδὲ ἔγραψα μέν, οὐκ ἐπρέσβευσα δέ· οὐδὲ ἐπρέσβευσα μέν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους. Demosth. De coron. 288 (1).

Dante. Par. c. 30. tt. 13. 14.

Simplex illa gradatio frequens est, sed hic κλῖμαξ propter apertiorem artem rarus.

81. *Correctio* fit, cum verbum aut sententiam retractamus, aliquid aliud magis idoneum subiicientes.

Verbum corrigit Cicero : *Clodium inimicum meum; meum autem? immo vero legum, iudiciorum, otii, patriae, bonorum omnium, sic amplexabantur etc.* Fam. 1, 9. Sententiam : *Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exilium cogites? Utinam tibi istam mentem dii immortales duint!* 1 Cat. 9.

Segneri. P. 1. n. 1. *Toccherà.*

82. *Adiunctio* est, cum ad unum verbum sententiae plures referuntur. Nunc quidem praecedit verbum: *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Pro Cluent. 6; nunc subsequitur: *Nec enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore evocarit.* 1 Cat. 9.

83. Huic contraria *disiunctio* incisa plura pluribus verbis claudit, cum sufficiat unum; ut: *Tot annos ita vivo, ut ab nullius me unquam tempore aut commodum aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit.* Pro Arch. 6.

(1) Sensus: Non modo dixi, sed etiam etc.

* Hanc figuram nonnulli cum dissolutione confundunt, cui scilicet saepe coniuncta est. — Ceterum quia in disiunctione synonymis utendum est, servari debent, quae n. 24 praecepta sunt. Praeclare Demosthenes: Ἡμεῖς οὔτε χρήματα εἰσφέρειν βουλόμεθα, οὔτε αὐτοὶ στρατεύεσθαι τολμῶμεν, οὔτε τῶν κοινῶν ἀπέχεσθαι δυνάμεθα.

84. *Similiter cadens* oratio dicitur, in qua plura iisdem casibus, temporibus etc. efferuntur; ut: *Est idem Verres, qui fuit semper, ut ad audendum proiectus, sic paratus ad audiendum.* — *Quid est tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis?* Pro Rosc. Am. 26.

85. *Similiter desinens* illa vocatur, cuius membra similes exitus habent; ut: *Eiusdem non est, et facere fortiter et vivere turpiter.*

Illud autem inter haec duo interest, quod similiter cadens non requirit similes sonos vel numeros, nec tantum in fine deprehenditur, sed respondent vel prima inter se vel mediis vel extremis, vel etiam permutatis his, ut media primis et summa mediis accommodentur, et quocunque modo accomodari poterunt. Qt.

86. *Compar* oratio est cuius membra pari fere numero syllabarum constant. Plerumque praecedentibus iungitur: *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum... Cn. Pompeius extrema hieme apparuit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.* Pro lege Man. 12.

Horum trium usus esse debet parcissimus: nam et artificium apertum est, et virtutes ipsae taedium pariunt, nisi gratia varietatis adiutae.

Art. II.

DE FIGURIS SENTENTIARUM

(Qt. 9. 2)

Quis interrogationis usus n. 87; quae in respondendo figura n. 88; quid subiectio n. 89; praeteritio n. 90; concessio n. 91; communicatio n. 92; dubitatio n. 93; sustentatio n. 94; paradoxum n. 95; licentia n. 96; occupatio n. 97; distributio n. 98; reticentia n. 99; emphasis n. 100; hypotyposis et visio n. 101; ethopeia n. 102; quid et quotuplex apostrophe n. 103, et prosopoeia n. 104; quae in harum usu servanda n. 105; quid exclamatio, optatio, execratio, obsecratio n. 106.

87. *Interrogatio*, ut iam dictum est (n. 70), tum rationem figurae habet, cum forma interrogandi utimur, quamquam nihil sciscitamur. Usurpatur autem in argumentatione, suasione vel dissuasione, in omni denique animorum motu.

1. In *argumentatione* variat orationem et excitat; inprimis autem urget et pungit adversarium, ut cum quaerimus, ad quae difficile est respondere: *Stipulatus es? ubi? quo die? quo tempore? quo praesente? quis me spopondis dicet? nemo* Pro Rosc. Com. 5.; vel interrogamus, quae cum in aperto sint, negari non possint: *Quid est, Verres? quid ad haec cogitas respondere? num mentiri me? num fingere aliquid? num augere crimen? num quid horum dicere istis defensoribus tuis audes?* De suppl. 57.; vel reprehendimus adversarium, vel argumenta eius deridemus, vel etiam

quasi victo insultamus; ut: *Quid sedes, Verres? quid expectas?* De sign. 8. Qt.

2. In *suasione*, dissuasione, laudatione, reprehensione interrogando instamus, et urgemus ardentius:

Εἶτα τοῦτ ἀναμενοῦμεν, καὶ τριήρεις κενὰς καὶ τὰς παρα τοῦ δεῖνος ἐλπίδας ἐὰν ἀποστείλητε, πάντ' ἔχειν οἴεσθε καλῶς; οὐκ ἐμβησόμεθα; οὐκ ἔξιμεν αὐτοί μέρει γέ τινι στρατιωτῶν οἰκείων νῦν, εἰ καὶ μὴ πρότερον; οὐκ ἐπὶ τὴν ἐκείνου πλευσούμεθα;

Demosth., Phil. 1.

3. Plurimum valet in *motibus animorum* exprimendis.

O me miserum, o infelicem! revocare tu me in patriam, Milo, potuisti per hos; ego te in patria per eosdem retinere non potero? Quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? Quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, consorti mecum temporum illorum? me non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per quos nostram ille servasset?

Pro Mil. 37.

Segneri. P. 1. n. 1. *Voi lo sapete.* — Dante. Inf. c. 2. t. 41.

88. In *respondendo* figura est, cum interroganti ad aliud, de quo non interrogat, occurritur. Hoc autem fit et augendi criminis gratia; ut testis rogatus, *an a reo fustibus vapulasset — Et innocens*, inquit; — et declinandi, quod est frequentissimum: *Quaero, an occideris hominem*, respondetur *latronem; an fundum occupaveris*, respondetur *meum.* Qt.

89. *Subiectio* est, cum orator vel interrogat seipsum et respondet sibi, vel cum alium interrogavit, non exspectat responsum, sed statim ipse sub-

iicit. Ita Cicero l. c. pergit: *At in qua causa non potuisse? quae est grata gentibus. A quibus non potuisse? ab iis, qui maxime P. Clodii morte acquierunt. Quo deprecante? me* — Εἰ δ' ἅπαξ (ἡ ὑπὸ τοῦ Διοπείθους δύναμις) διαφθαρήσεται, καὶ διαλυθήσεται, τί ποιήσομεν, ἂν (Φίλιππος) ἐπὶ χεῤῥόνησον ἴῃ; κρινοῦμεν Διοπείθην; νὴ Δία. Καὶ τί τὰ πράγματα ἔσται βελτίω; ἀλλ' ἐνθένδε βοηθήσομεν αὐτοῖς; ἂν δ' ὑπὸ τῶν πνευμάτων μὴ δυνώμεθα; ἀλλὰ μὰ Δί' οὐχ ἥξει. καὶ τίς ἐγγυντής ἐστι τούτου; De Chers.

Segneri. P. 25. n. 4. *Perocchè.*

Schol. Ad hanc figuram etiam revocatur modus quidam elegans solvendi argumenta, singulis brevi solutione subiecta, quamvis extra formam rogandi et respondendi. Vide de suppl. c. 42 ubi utraque forma permixta est.

90. *Praeteritio* est, dum dicere nolle fingimus, quae tamen vel maxime dicimus *). Nam si reapse quidpiam vel praeterimus, vel leviter attingimus, non est sane figura. — Vera praeteritione Tullius utitur:

At illud tenebricosissimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere: licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris: habeat hoc praemium tua indignitas, ut adolescentiae turpitudo obscuritate et sordibus tuis obtegatur. In Vat. 5. Vide etiam n. 24.

Segneri. P. 5. n. 1. *Non aspettate.*

*) Quoniam autem, quae a nobis omitti dicimus, certe quam brevissime enuntianda sunt, qui fieri potest, ut ea nihilominus vel maxime dicamus? Nempe et ipsa figurae ratio animos reddit in pauca illa, quae dicimus, attentissimos, et verbis utimur lectissimis gravibusque sententiis. — Ceterum necessaria illa brevitas facit, ut in re, quae accuratius et diffusius exponi debet, huic figurae locus non sit.

91. Ut in praeteritione profutura omittere, sic in *concessione* nocitura ultro videmur vel admittere vel pati. Vim concessio habet inde, quod magnam causae fiduciam ostendit. — Fit autem multis modis; nam et confitemur, quae nihil nocent: *Habes igitur, Tubero, confitentem reum; sed tamen ita confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignissimum, patrem tuum. Itaque prius de delicto vestro fateamini necesse est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis* (Pro Lig. 1). Et augemus, quae nobis obiiciuntur, quia facile possunt dilui. Ita auget Cicero vehementer parricidium, ut ipsius criminis atrocitate Roscium defendat (c. 13). Interdum etiam decedimus iure nostro, non exigentes, quae adversarius praestare non posset: *Esto parricidii causam proferre non potes, tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo iure decedam; et tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam; fretus huius innocentia, non quaero abs te, quare patrem Sex. Roscius occiderit, quaero, quomodo occiderit.* (Pro Rosc. Am. 27). Aut concedimus, minus gravia esse, quae ipsi arguimus, ut scilicet eo maiora videantur, quae sequuntur: *Levia sunt haec in hoc reo crimina. Metum virgarum navarchus nobilissimae civitatis pretio redemit, humanum; alius ne condemnaretur, pecuniam dedit; usitatum est. Non vult P. R. obsoletis criminibus accusari Verrem; nova postulat, inaudita desiderat; non de praetore Siciliae, sed de crudelissimo tyranno fieri iudicium arbitratur* (De suppl. 14). Fatemur denique esse in persona aut re, quae nobis contraria sint: vide totum exordium pro Ligario. Qt.

Segneri. P. 1. n. 7. *Vi perdono.*

His affine est genus, cum imperantibus vel permittentibus similes sumus. Sic pastor Aristaeus cum matre Cyrene graviter conquestus, quod apes ipsius interire passa sit, haec subiungit:

Quin age, et ipsa manu felices erue silvas:
Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes;
Ure sata, et validam in vites molire bipennem;
Tanta meae si te ceperunt taedia laudis.

Georg. 4, 329.

Segneri. P. 3. n. 8. *Avete ragione;* e n. 10. *Che dite dunque.*

Schol. Sunt, qui has et similes figuras *ironiae* subiiciant: propterea quod quaedam in iis fictio est, ut aliud velle aut agere videamur, quam res nostra ferat. Cf. n. 70 Schol. 2

92. *Communicatio* dicitur, cum eos, ad quos dirigitur sermo, aut ipsos etiam adversarios consulimus, et cum iis quasi deliberamus.

1. *Nunc ego, iudices, iam vos consulo, quid mihi faciendum putetis. Id enim consilii mihi profecto taciti dabitis, quod egomet mihi necessario capiendum intelligo.* In Verr. act. 1, 11.

2. *Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re ac tempore? Cum ignaviae ratio te in fugam atque in latebras impelleret, improbitas et furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret; consules ad patriae salutem ac libertatem vocarent: quam tandem auctoritatem, quam vocem, cuius sectam sequi, cuius imperio parere potissimum velles?* Pro Rab. 8.

Segneri. P. 3. n. 5. *Or bene. Ecco.*

93 Huic vicina est *dubitatio*, qua simulamus

quaerere nos, quid potissimum aut quomodo dicendum, unde incipiendum, ubi desinendum sit.

Quid nunc agam? cum iam tot horas de uno genere ac de istius nefaria crudelitate dicam, cum prope omnem vim verborum eiusmodi, quae scelere istius digna sunt, aliis in rebus consumserim; neque hoc providerim, ut varietate criminum vos attentos tenerem: quemadmodum de tanta re dicam? Opinor, unus modus atque una ratio est. Rem in medio ponam, quae tantum habet ipsa gravitatis, ut neque mea, quae nulla est, neque cuiusquam ad inflammandos vestros animos eloquentia requiratur.

De suppl. 61.

Segneri. P. 1. n. 1. *Ma povero me.*

Hoc schema inprimis aptum est ad excitandam attentionem; sed saepe etiam graves motus habet, iungiturque aliis acerrimis figuris, praesertim subiectionis. Exemplum ex Gracchi oratione affert Cicero: *Quo me, miser, conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. An domum? matremne ut miseram lamentantemque videam et abiectam?* De or. 3, 56.

Vide etiam celeberrimam Scipionis ad seditiosos milites orationem apud Livium 28, 27.

94. *Sustentatio*, dubitationi saepe coniuncta, suspendit animos, ut mox aliquid inopinatum subiungat.

Iussu eius homines, qui nominati erant, comprehensi sunt adductique Lilybaeum: domino denuntiatum est; causa dicta, damnati sunt. Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse aut praedam exspectatis aliquam. Nolite usquequaque eadem quaerere. In metu belli, furandi qui locus potest

esse? . . . (tum multis interiectis): *Etiam nunc mihi exspectare videmini, iudices, quid deinde factum sit: quod iste nihil unquam fecit sine aliquo quaestu atque praeda. Quid in eiusmodi re fieri potuit? quod commodum est? exspectate facinus quam vultis improbum; vincam tamen exspectationem omnium. Nomine sceleris coniurationisque damnati, ad supplicium traditi, ad palum alligati, repente, multis millibus hominum inspectantibus soluti sunt et Leonidae illi domino redditi* — (quippe qui interea Verri pretium obtulisset). De suppl. 5.

Segneri. P. 1. n. 1.

95. *Paradoxum* est, quod non modo praeter exspectationem, sed etiam praeter veritatem dici videtur.

Πρῶτον μὲν οὖν οὐκ ἀθυμητέον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς παροῦσι πράγμασιν, οὐδ' εἰ πάνυ φαύλως ἔχειν δοκεῖ. ὃ γάρ ἐστι χείριστον αὐτῶν ἐκ τοῦ παρεληλύθοτος χρόνου, τοῦτο πρὸς τὰ μέλλοντα βέλτιστον ὑπάρχει. Τί οὖν ἐστί τοῦτο; ὅτι οὐδὲν, ὦ ἄνθρες Ἀθηναῖοι, τῶν δεόντων ποιούντων ὑμῶν, κακῶς τὰ πράγματα ἔχει· ἐπεί τοι, εἰ πάνθ' ἃ προσήκει, πραττόντων οὕτως εἶχεν, οὐδ' ἂν ἐλπὶς ἦν, αὐτὰ βελτίω γενέσθαι.

Phil. 1.

cf. Olynth. 1. paulo post initium: Οὐ μὴν ἀλλ' ἐπιεικῶς. Ita etiam apud S. Chrys. Flavianus ad Theodosium: Ἀλλ' εἰ δεῖ τι καὶ θαυμαστὸν εἰπεῖν, μείζονα ἡμῖν ἐπιδείξαι τὴν εὔνοιαν νῦν κ. τ. α. De stat. 21.

Segneri P. 6. n. 2. *Erra chi stima*. P. 11. n. 6. *Anzi guardate.*

96. *Licentia* est ficta dicendi libertas *). Dicimus scilicet ea, quae sua natura offendere possint, sed ita dicimus, ut benevolentiam potius concilient.

Vide, quam non reformidem, vide, quanta lux liberalitatis et sapientiae tuae mihi apud te dicenti oboriatur: quantum potero voce contendam, ut hoc Populus Romanus exaudiat. Suscepto bello, Caesar, gesto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, iudicio meo ac voluntate ad ea arma profectus sum, quae erant sumpta contra te. Pro Lig. 3.

Segneri. P. 36. n. 1.

*) Dixi *ficta* dicendi libertas. Quid enim, ait Fabius, minus figuratum, quam vera libertas? Sed frequenter sub hac facie latet adulatio. Nam Cicero, cum dicit pro Ligario: *Suscepto bello* etc. -- non solum ad utilitatem Ligarii respicit, sed magis laudare victoris clementiam non potest. In illa vero sententia: *Quid autem aliud egimus, Tubero, nisi ut quod hic potest, nos possemus?* -- admirabiliter utriusque partis facit bonam causam: sed hoc eum (Caesarem) demeretur, cuius mala fuerat. --

97. *Occupatio* figura est, per quam, quod obiici possit, praevertimus, ultroque rationem facti cuiuspiam dictive reddimus *). Qt.

Sed quid ego tam vehementer invehor? verbo iam uno repellar. Emi, inquit. O dii immortales, praeclaram defensionem! Mercatorem cum imperio ac securibus in provinciam misimus, qui omnia signa, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coemeret, nihil cuiquam relinqueret. De sign. 4.

*) Responsio ad obiecta per se certe figura non est: sed frequentissime hac forma utimur, cum nihil obiectum sit, ut excitetur scilicet oratio. Quare saepe etiam occurrit in exordiis, tanquam praemunitio quaedam vel praeparatio, ut de divinat., pro Rosc. Amer., et maxime de suppl.. ubi ironiae et dubitationi perbene iuncta est.

Segneri. P. 3. n. 5.

98. *Distributio* vocatur, cum partes rei percurrimus, unicuique rationem subiicientes:

Senatus odit te, quod eum tu facere iure concedis, afflictorem et proditorem non modo dignitatis et auctoritatis, sed omnino ordinis ac nominis sui; videre equites Romani non possunt, quo ex ordine vir praestantissimus L. Aelius est te consule relegatus; plebs Romana perditum cupit, in cuius tu infamiam ea, quae per latrones et per servos de me egeras, contulisti; Italia cuncta exsecratur, cuius idem tu superbissime decreta et preces repudiasti. In Pis. 27.

Schol. Huc etiam referunt, cum oratores initio summa capita proponunt, subiecta singulis brevi ratione, ut pro lege Man. c. 2. *Genus est enim eiusmodi* -- Sunt etiam, qui omnem enumerationem distributionem dicant.

99. *Reticentia* est repentina sermonis interruptio, qua aliquid, quod orationis series postulat, tacetur et audienti cogitandum relinquitur. Valet maxime ad animi motus exprimendos:

Non iam prima peto, Mnestheus, neque vincere certo,
Quamquam o! — sed superent, quibus hoc, Neptune dedisti,
Extremos pudeat rediisse: hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas. Aen. 5, 193.

O incredibilem celeritatem! (Caesaris). *Huius autem nostri* (Pompeii) . . . *sed non possum accusare eum, de quo angor et crucior.* Ad Att. 7 22.

Quos ego — sed motos praestat componere fluctus. Aen. 1, 135.

Segneri. P. 35. n. 18. *Vi posporranno.*

Est alia non quidem reticentia, quae sit imper-

fectio sermonis, sed tamen praecisa velut ante finem oratio, ut illud: *Nimis urgeo, commoveri videtur adolescens.* Pro Lig. 3.

100. *Emphasis*, reticentiae affinis, altiorem praebet intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. Huius species duae sunt: altera plus significat, quam dicit, altera etiam id quod non dicit. Priori Virgilius equi altitudinem demonstrat:

Illos patefactus ad auràs
Reddit equus, laetique cavo se robore promunt
Thessandrus Sthenelusque duces et dirus Ulysses,
Demissum lapsi per funem. (Aen. 2. 199.)

Sequens posita est in voce aut omnino suppressa aut etiam abscissa: *Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu* per te, per te, *inquam, obtines; intelligo quid loquar; acerbissimo luctu redundaret ista victoria.*

Pro Lig. 5.

101. *Hypotyposis* est illustris explicatio, rerumque quasi gerantur, sub aspectum paene subiectio. De or. 3, 53.

Ipse inflammatus scelere et furore in forum venit. Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat; exspectabant omnes quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset; cum repente hominem proripi atque in foro medio nudari ac deligari et virgas expediri iubet. Clamabat ille miser, se civem esse Romanum etc. De suppl. 62.

Segneri. P. 30. n. 10. *Quivi mentre.*

Schol. Haec figura vix differt ab eximia illa narrandi vel describendi perspicuitate, quam *evidentiam* (ἐνάργειαν) vocant, de qua Quintilianus: Magna virtus est, res, de quibus loquimur clare,

atque ut cerni videantur, enunciare. Non enim satis efficit, neque, ut debet, plane dominatur, oratio, si usque ad aures valet, atque ea sibi iudex, de quibus cognoscit, narrari credit, non exprimi et oculis mentis ostendi. I. 8. 3.

Hypotyposis *visio* dicitur, cum res praeteritas vel futuras vel quoquo modo dissitas, tanquam si coram gerantur, et inspectentur, perhibet — et fortasse haec sola hypotyposis recte inter figuras ponitur.

1. *Haec posteaquam acta et constituta sunt, procedit iste repente e praetorio, inflammatus scelere, furore, crudelitate; in forum venit; navarchos vocari iubet. Qui nihil metuerent, nihil suspicarentur, statim accurrunt. Iste hominibus miseris innocentibusque iniici catenas imperat. Implorare illi fidem populi Romani et quare id faceret, rogare. Fit clamor et admiratio populi etc.* De suppl. 41.

Segneri. P. 33. n. 1.—Dante. Purg. c. 20. t. 24.

2. *Videor mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem; cerno animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium; versatur mihi ante oculos adspectus Cethegi et furor in vestra caede bacchantis.* 4 Cat. 6.

3. *Iacet ille nunc prostratus, Quirites, et se perculsum atque abiectum esse sentit, et retorquet oculos profecto saepe ad hanc urbem, quam ex suis faucibus ereptam esse luget; quae quidem laetari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit forasque proiecerit.* 2 Cat. 1.

Schol. Quoniam haec figura praestantissima est rei factive expressio, et proinde in narratione vel descriptione ut pars maxime illustris lucet, in eam conveniunt praecepta de narra-

tione et descriptione, alibi a nobis exponenda. Id tamen in universum hic ex Quintiliano adiiciam: Huius summae, iudicio quidem meo, virtutis facillima est via. Naturam intueamur, hanc sequamur. Omnis eloquentia circa opera vitae est, ad se refert quisque, quod audit, et id facillime accipiunt animi quod agnoscunt. Ibid.

102. *Ethopoeia*, quae etiam μίμησις dicitur, est vitae ac morum alicuius ad vivum expressio. A iusta morum notatione differt, ut hypotyposis a descriptione. Nam nec semper mores totos exsequitur, et saepe hos non tam describit, quam paucis factis vel sermonibus imitando exprimit. *Quemadmodum composito et delibuto capillo passim per forum volitet cum magna caterva togatorum, videtis, iudices; ut omnes despiciat, ut hominem prae se neminem putet; ut se solum beatum, solum potentem putet.* Pro Rosc. Am. c. 45. — Cf. aliud praeclarum sed longius exemplum pro Sexto c. 8. Demosthenes etiam adversarios suos paucis ad vivum depingit.

Ἐπειδάν τι τῶν πρὸς Φίλιππον ἐμπέσῃ, εὐθὺς ἀναστάς τις λέγει· τὸ τὴν εἰρήνην ἄγειν ὡς ἀγαθόν· καὶ τὸ τρέφειν δύναμιν ὡς χαλεπόν. De Chers.

Segneri. P. 35. n. 1. *E chi credete.*

103. *Apostrophe* est, cum eos alloquimur, ad quos instituta oratio non dirigitur.

Fit variis modis: 1. Accusatorem vel reum, vel unum aliquem ex audientibus alloquitur orator: cuius generis exempla passim occurrunt. — 2. Deum, superos tum poetae tum oratores compellant; sed nec huiusmodi exempla deesse poterunt. — 3. Illud audacius, cum ad mortuos sermo convertitur. Exemplum depromo ex Fabio, cuius

utinam non praecepta tantum, sed opera etiam eloquentiae ad nos pervenissent! In prooemio ad lib. VI Inst. de filii morte in haec verba loquitur:... *Illa maiora, constantia, gravitas, contra dolores etiam ac metus robur. Nam quo ille animo, qua medicorum admiratione, mensium octo valetudinem tulit! ut me in supremis consolatus est! quam etiam deficiens iamque non noster, ipsum illum alienatae mentis errorem circa solas litteras habuit! Tuosne ego, o meae spes inanes, labentes oculos, tuum fugientem spiritum vidi? Tuum corpus frigidum exsangue complexus, animam recipere auramque communem haurire amplius potui? dignus his cruciatibus, quos fero; dignus his cogitationibus. Tene consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum patris admotum, te avunculo praetori generum destinatum, te omnium spe Atticae eloquentiae candidatum, superstes parens tantum ad poenas, amisi?*

Segneri. N. 37. n. 3. *Oh Sansone.*

4. Maxima audacia, cum urbes, patriam, res denique inanimas alloquimur: *Vos enim iam, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque testor vosque, Albanorum obrutae arae, sacrorum populi Romani sociae et aequales, quas ille, praeceps amentia, caesis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat: vestrae tum* (cum Clodius occideretur) *arae, vestrae religiones viguerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat.* Pro Mil. 31.

Segneri. P. 35. n. 1. *Tu sarai.*

104. *Prosopopoeia* est, cum personas vel res,

quasi sint personae, loquentes fingimus. Huius species eaedem sunt quae apostrophae.

1. Et adversariorum cogitationes velut secum loquentium protrahimus; quae tamen ita demum ab fide non abhorrent, si ea locutos finxerimus, quae eos cogitasse non sit absurdum; et nostros cum aliis sermones et aliorum inter se credibiliter introducimus.

Init consilium non improbi praetoris... sed importuni atque amentis tyranni: statuit... navarchos omnes, testes sui sceleris, vita esse privandos. Occurrebat illa ratio; quid Cleomeni fiet? Poterone animadvertere in eos, quos dicto audientes esse iussi? missum facere eum, cui imperium potestatemque permisi?... Pereat Cleomenes una. Ubi fides? ubi exsecrationes? ubi dextrae complexusque? ubi illud contubernium muliebris militiae in illo delicatissimo litore? Fieri nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur. Cleomenem vocat; dicit ei, se statuisse animadvertere in omnes navarchos... Tibi uni parcam... Agit gratias Cleomenes: approbat consilium: dicit, ita fieri oportere... De suppl. 40.

Et suadendo, adiurando, querendo, laudando, miserando personas idoneas damus: *Me quidem, iudices, exanimant et interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue et quibus intersum quotidie. Valeant, inquit, valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati* (Pro Mil. 34), et totus ille pulcherrimus locus. Qt. 9, 2.

2. Quin deducere Deos in hoc genere dicendi, et inferos excitare, concessum est. Vide Eleg. Propert. *Cornelia Paulo.*

3. Urbes quoque populique vocem accipiunt :

Patria tecum, Catilina, sic agit et quodammodo tacita loquitur: Nullum iam tot annis facinus extitit, nisi per te, nullum flagitium sine te; tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera; tu non solum ad negligendas leges et quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc vero, me totam esse in metu propter te unum; quidquid increpuerit, Catilinam timeri, nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam. 1 Cat. 7.

Schol. Quintilianus fuisse refert, qui sermones hominum assimilatos dialogos et eas tantum prosopopoeias dicerent, in quibus rebus inanimis sermo tribuitur. Blair et alii recentiores similiter in rebus tantum inanimatis veram prosopopoeiam fieri volunt, eius autem tres species ponunt: primam, cum rebus proprietates hominum, alteram cum actiones, tertiam cum locutionem damus. At duae illae priores species ad metaphoram revocantur (n. 59).

Segneri. P. 36. n. 1. *Guerra.*

105. De usu apostrophae et prosopopoeiae praecipiuntur quatuor:

1. Breviores apostrophae etiam ad res inanimas apud poetas frequentes esse solent.

2. Sed in audacioribus illis magna quaedam vis eloquentiae desideratur. Haec enim nisi inflamment et abripiant animos pro vanis accipi et rideri contingit. Quapropter in soluta maxime oratione raro sunt usurpandae. Qt. cf. Bl. 1, 16.

3. Animi eorum quoque, qui audiunt, permoti

et quasi parati esse debebunt. Vide quam caute Cicero per multos velut gradus ad sublimem illum locum, quem modo attuli, ascenderit.

4. Temperari tamen possunt, ut in leniori etiam motu locum habeant:

Ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μόνον οὐχὶ λέγει φωνὴν ἀφιεὶς, ὅτι τῶν πραγμάτων ὑμῖν ἐκείνων αὐτοῖς ἀντιληπτέον ἐστὶν, εἴπερ σωτηρίας αὐτῶν φροντίζετε. Dem. Ol. 1.

106. *Exclamatio* animi motus exprimit, omnes quidem, sed praecipue vehementiores. Quare usurpari solet post rem insignem congrue amplificatam, ut: *O nomen dulce libertatis! o ius eximium nostrae civitatis! o lex Porcia legesque Semproniae! o graviter desiderata et aliquando reddita plebi Romanae tribunicia potestas! Huccine tandem omnia reciderunt, ut civis Romanus in provincia P. R., in oppido foederatorum ab eo, qui beneficio P. R. fasces et secures haberet, deligatus in foro virgis caederetur?* De suppl. 63.

Segneri. P. 7. n. 4. *Ah cristiani.*

Sed nonnunquam etiam, praesertim post sustentationem, subita exclamatione motus erumpit, ut: *Dii immortales! ubinam gentium sumus?* 1 Cat. 4.

Schol. Negat Quintilianus figuram esse, nisi simulata sit.

Usus moderatus sit. Tantum enim movet exclamatio, quantum eum, qui dicit, vere et pro rei natura motum esse ostendit *).

*) Qui saepius et sine ratione exclamant, eorum sunt similes, qui scripta solent exclamandi notis replere, quasi his signis orationi communi et frigidae aliud accedat, nisi quo risum moveat legentibus vel taedium. Bl. 1. 16. — Notanda etiam est putida quaedam mollities, qua nonnulli in dicendo identidem quasi ingemiscunt.

Optatio est oratio, qua desiderium aliquod exprimimus. Tum maxime figurae rationem habet, cum pro aperta sententiae declaratione ponitur, ut: *Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium copiam tantam haberetis, ut haec vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello praeficiendum putaretis!* Pro lege Man. 10.

Execratio est, cum malum imprecamur.

Populi Romani igitur est patronus L. Antonius? Malam quidem illi pestem! Clamori enim vestro assentior. 6 Phil. 5.

Segneri. P. 3. n. 11. *Pera.*

Obsecratio est, cum misericordiam opemve alicuius imploramus.

Quamobrem hoc nos primum metu, C. Caesar, per fidem et constantiam et clementiam tuam libera; ne residere in te ullam partem iracundiae suspiciemur. Per dexteram istam te oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti; istam, inquam, dexteram non in bellis et praeliis, quam in promissis et fide firmiorem. Pro Rege Deiot. 3.

Segneri. P. 38. n. 9. *Però a voi tocca.*

Haec figura saepe vehemens est et maximis motibus aptissima; quare in perorando frequenter usurpatur.

Art. III.

DE USU FIGURARUM

Quid in dicendo figurae valeant n. 107; quae in iis usurpandis servanda n. 108; quomodo usus acquiratur n. 109.

107. Figurarum demonstratio est et ipsa do-

ctrina vulgaris, usus autem gravissimus et in hoc toto dicendi studio difficillimus. De or. 3, 55.

Gravissimus est usus, quoniam et vim rebus adiiciunt *) et gratiam praestant **).

*) Motus namque est in his orationis et actus, quibus demtis iacet et velut agitante corpus spiritu caret. Quare etiam affectus nihil magis ducit: nam si frons, oculi, manus multum ad motum animorum valent, quanto plus orationis ipsius vultus ad id, quod intendimus efficere, compositus? Qt.

**) Gratiam, quam figurae in oratione efficiunt, idem Quintilianus similitudine bellissima ostendit Recti quidem corporis vel minima gratia est. Neque enim adversa sit facies, et demissa brachia, et iuncti pedes, et a summis ad ima rigens opus. Flexus ille et, ut sic dixerim, motus dat actum quendam effictis. Ideo nec ad unum modum formatae manus et in vultu mille species. Cursum habent quaedam et impetum, sedent alia vel incumbunt: nuda haec, illa velata sunt, quaedam mixta ex utroque. Quam quidem gratiam et delectationem afferunt figurae, quaeque in sensibus, quaeque in verbis sunt. L. 2, 13.

108. Sed hanc utilitatem ut consequamur, nonnulla sunt diligenter observanda.

1. Sententia subsit idonea et verus animi motus *).

2. Ne eae quidem, quae recte fiunt, densandae sunt nimis. Nam et vultus mutatio oculorumque coniectus multum in actu valet; sed si quis ducere os exquisitis modis, et frontis ac luminum inconstantia trepidare non desinat, rideatur **). Qt. 9, 3.

3. Quo minus tamen artificiose et a simplici ratione deflexae fuerint, eo crebrius usurpari poterunt ***).

4. Naturales sint, ita ut non solum in rem et locum conveniant. sed etiam obviae fuisse dicenti,

non conquisitae aut multa arte formatae esse videantur ****).

5. Saepe denique plures figurae uno in loco magna virtute miscentur.

Πότ' οὖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πότε ἃ χρή, πράξετε; ἐπειδὰν τι γένηται; ἐπειδάν, νὴ Δία, ἀνάγκη τις ᾖ· νῦν δὲ τί χρὴ τὰ γιγνόμενα ἡγεῖσθαι; ἐγὼ μὲν γὰρ οἴομαι, τοῖς ἐλευθέροις μεγίστην ἀνάγκην τὴν ὑπὲρ τῶν πραγμάτων αἰσχύνην εἶναι. ἢ βούλεσθε, εἰπέ μοι, περιιόντες αὐτοῦ πυνθάνεσθαι κατὰ τὴν ἀγοράν· λέγεταί τι καινόν; γένοιτο γὰρ ἄν τι καινότερον, ἢ Μακεδὼν ἀνὴρ Ἀθηναίους καταπολεμῶν, καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων διοικῶν; τέθνηκε Φίλιππος; οὐ μὰ Δί', ἀλλ' ἀσθενεῖ. τί δ' ὑμῖν διαφέρει; καὶ γὰρ ἂν οὗτός τι πάθῃ, ταχέως ὑμεῖς ἕτερον Φίλιππον ποιήσετε, ἄνπερ οὕτω προσέχητε τοῖς πράγμασι τὸν νοῦν. Phil.

Segneri. P. 3. n. 8.

*) Sunt, qui neglecto rerum pondere et viribus sententiarum, si vel inania verba in hos modos depravarint, summos se iudicent artifices, ideoque non desinunt eas nectere: quas sine sententia sectari tam est ridiculum, quam quaerere habitum gestumque sine corpore. Qt. 9, 3.

**) Hic illud etiam opportune monent, non ita esse sive figuras, sive tropos necessarios putandos, ut sine illis virtus dicendi esse nusquam possit (Bl. 14). Non sine virtute magna, quamvis sine ornamentis dixit Virgilius:

Sternitur infelix alieno vulnere, coelumqne
Adspicit, et dulces moriens reminiscitur Argos. Aen. 10, 781.

***) Sunt enim quaedam figurae ita receptae, ut paene iam hoc ipsum nomen effugerint: quae etiamsi fuerint crebriores, consuetas aures minus ferient. Nam secretae et extra vulgarem usum positae ideoque magis nobiles, ut novitate aurem excitant, ita copia satiant. Qt. 9, 3.

****) Demosthenes certe, ut Cicero (Br. 37) ac Quintilianus (l. c.) testantur, idirco ab hominibus doctis oratorum est princeps iudicatus, quod hoc genere praestat omnibus. Ita tamen apud eum figurae sententiis rebusque consentiunt, ut fere ne appareant quidem nisi studiosius inquirenti.

109. Optimus figurarum usus discitur inprimis assidua exercitatione legendi *), interpretandi **) imitandi ***).

*) Observa legendo, quam apud optimos quosque scriptores vim figurae singulae habeant, et quo pacto in locum orationis conveniant. Quapropter etiam exempla hic illata, ut bene intelligantur, fere in orationis contextu sunt consideranda.

**) Graeca et Latina frequenter in vernaculum sermonem converte.

***) Imitare denique optima quaeque tam in simili, quam in dissimili argumento; nec sine utilitate eandem sententiam et plerasque figuras duces.

CAPUT VII.

DE NONNULLIS ALIIS ORNAMENTIS

Quinque hoc loco nobis tractanda restant: Similitudo, sententia, periphrasis, epitheton et transitio.

Schol. Sunt, qui haec vel ad tropos vel ad figuras referant: nos hic quoque rem videamus, de nomine ac specie minus solliciti.

Art. I.

DE SIMILITUDINE

(Qt. 8, 3.)

Quid similitudo, qui varii eius modi n. 110; qua ratione sit vera, decora et perspicua n. 111; unde illustris n. 112.

110. Similitudo est oratio, quae traducit ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile. Ad Her. 4, 45.

Ut quidam morbo aliquo et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt, sic libidinosi, avari, facinorosi verae laudis gustum non habent. Philippica 2, 45.

Usus duplex est: aliae enim ad res difficiles

explicandas assumuntur, aliae ad ornatum; et hae quidem orationem non solum iucundam, sed nonnunquam etiam mirabilem et sublimem faciunt.

Fit autem similitudo multis modis: 1. Nunc paucis verbis perficitur, nunc exponitur latius. Breves illae non solum aperte ponunt rem ante oculos, sed acute, circumcise atque velociter, ut illud Ciceronis in Clodium: *Quo ex iudicio velut ex incendio nudus profugit.* Qt. 8, 3.

2. Aut praecedit similitudo et res sequitur, aut contra rei subiicitur simile. Id.

Οἷος δὲ βροτολοιγὸς Ἄρης πολεμόνδε μέτεισι,
Τῷ δὲ φόβος, φίλος υἱὸς, ἅμα κρατερὸς καὶ ἀταρβὴς,
Ἕσπετο, ὅστ᾽ ἐφόβησε ταλάφρονά περ πολεμιστὴν...
Τοῖοι Μηριόνης τε καὶ Ἰδομενεὺς ἀγοὶ ἀνδρῶν
Ἤισαν ἐς πόλεμον, κεκορυθμένοι αἴθοπι χαλκῷ. Il. 13, 298.

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;
Vicinae ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt, saevit toto Mars impius orbe:
Ut cum carceribus sese effudere quadrigae;
Addunt se in spatia, et frustra retinacula tendens,
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Georg. 1, 509.

3. Nunc similitudo libera est et separata, ut in loco Virgilii modo allato, nunc cum re, cuius est imago, connectitur, ut: *Nam ut tempestates saepe certo aliquo coeli signo commoventur, saepe improviso nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa concitantur; sic in hac comitiorum tempestate populari saepe intelligas, quo signo commota*

sit; saepe ita obscura est, ut casu excitata esse videatur. Pro Mur. 17.

Segneri. P. 1, n. 9. *Però se un.*

Dante. Inf. c. 1, t. 8; c. 2, t. 43.

111. Dotes similitudinis quatuor sunt: vera, decora, intellectu facilis, illustris. *Veritas* postulat, ut inter res, quae conferuntur, reapse illa sit similitudo, quam instituta oratio requirit *). De *decoro* in hunc locum conveniunt, quae dicta sunt n. 69. Ut vero similitudo *perspicua* sit, duo faciunt: si et res, a qua ducitur simile, nota sit **), et eius similitudo cum re, cui confertur, pateat***).

*) Res, quae comparantur, quamvis in aliis discrepent, in eo tamen, in quo comparantur, convenire debent: et hoc vocatur *tertium comparationis*. Porro in rebus considerari possunt non natura tantum et proprietates, sed effectus etiam, causae, adiuncta, etc. si in quopiam ex his convenientia reperiatur.

**) Debet enim, quod illustrandae alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo, quod illuminatur. Qt. Cf. Bl, 1, 17. — Praestat etiam, rem esse usu cognitam, quam sola descriptione; quare, ut exemplo utar, minus feliciter apud nos a belluis vel plantis Africanis similia petuntur.

***) Neque tamen similitudo rerum, quae comparantur, suapte sponte, sed brevi nostro sermone adhibito patere debet. — Saepe obscuritas oritur, cum omissa re, quam illustrare simili volunt, allegorias faciunt: hinc tamquam obscura et falsa reprehendit Quintilianus: *Magnorum fluminum navigabiles fontes sunt;* — et: *Generosioris arboris statim planta cum fructu est.*

112. *Illustris* dicitur, quae minime vulgaris rem praeclare illuminat et auget. — Vulgaria videri possunt et utilia tantum ad conciliandam fidem: *ut terram cultu, sic animum disciplinis meliorem uberioremque fieri:* — et; *ut medici abalienata morbis membra praecidunt; ita turpes ac perniciosos cives etc.* *). — Vis autem illustrandi crescit, quo

res et in ea parte, in qua comparantur, magis conveniunt et longius distant in reliquis.

*) Multa sunt apud primos auctores praeclara, quae postea frequentatione viluerunt. Ea tamen mediocres poëtae larga manu profundere, et velut iure haereditario sibi transmittere solent (Bl. 1, 17). Egregie Sophocles de Antigone lugente:

> Ἡ παῖς ὁρᾶται κἀνακωκύει πικρᾶς
> Ὄρνιθος φθόγγον ὡς ὅταν κενῆς
> Εὐνῆς νεοσσῶν ορφανὸν λέχος,
> Οὕτω δὲ χ᾽ αὕτη ψιλὸν ὡς ὁρᾷ νέκυν,
> Γόοισιν ἐξῴμωξεν. Ant. 429.

Idem simile praeclare usurpat Virgilius:

> *Qualis populea moerens Philomela sub umbra*
> *Amissos queritur foetus; quos durus arator*
> *Observans nido implumes detraxit : at illa*
> *Flet noctem ramoque sedens miserabile carmen*
> *Integrat, et moestis late loca questibus implet.* Georg. 4, 511

Sed quid hodie hac similitudine magis vulgare?

Habet similitudo plerumque hyperbolem, habeat certe amplificationem. Sed id quoque a tertio comparationis, non a rerum genere et natura petendum. Optime enim Virgilius Poenos aedificantes urbem composuit cum apibus. Aen. 1, 430.

Elocutio denique, ut in ornatu exquisito, diligentissime curanda est.

Vitanda maxime verbositas; non ea tantum, quae inutiliter verba cumulat, sed illa etiam, quae rei partes omnes singulatim exsequitur. Sufficit paucis, sed lectis verbis ea perstringere, in quibus praecipua est similitudinis ratio. Cf. n. 62.

Art. II.

DE SENTENTIA

(Qt. 8. 5)

Quid sit et quomodo dividatur n. 113; ubi usurpetur n. 114; quae eius elocutio n. 115; quis usus n. 116.

113. Sententia hic dicitur grave, sed simplex de hominum vita in universum effatum, ut:

Dulce et decorum est pro patria mori.

Dicitur 1. effatum *grave* sed *simplex*, ut cui nec probatio nec illustratio addatur: optime tamen ratio dicti ipsa brevissima sententiae enuntiatione includitur: ut: *Immortalem iracundiam fovere, mortalis, noli* (Ar. 2, 21). 2. *De hominum vita;* quia ostendit, quid sit aut quid esse oporteat in vita. 3. *In universum:* quia sententia non de certis rebus aut personis effertur *).

*) Sunt qui definitione minus restricta duo genera ponant, alterum quod in universum pronuntiat, quam sententiam *apertam* vocant; alterum, quod de certa persona, quam *occultam* appellant, qualis est: *Nihil habet (Caesar) nec fortuna tua maius, quam ut possis, nec natura melius, quam ut velis servare quam plurimos.* Pro Lig. 12.

Dividitur in simplicem et duplicem, in acutam et non acutam. Simplex est: *Nihil est tam populare, quam bonitas;* duplex: *Obsequium amicos, veritas odium parit.* — Acuta: *Tam deest avaro, quod habet, quam quod non habet.*

114. Proprius sententiarum locus in clausulis est; quamquam etiam initium ab iis non raro ducitur. Qt.

1. In clausulis ponitur, ut ratio in hac gravitate veluti consistat; ubi inprimis illud genus notandum, quod *epiphonema* dicitur, rei scilicet narratae vel probatae summa acclamatio, ut: *Tantae molis erat, Romanam condere gentem!* Aen. 1, 37. — et: *Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit.* Pro Mil. 4. Segneri. P. 35, n. 1. *Del re.*

2. Inchoat a sententia orationem Caesar apud Sallustium: *Omnes homines, Patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet.* Cat. 51; Carmen Sophocles

Πολλὰ τὰ δεινὰ κ' οὐδὲν ἀνθρώπου δεινότερον πέλει. Ant. 332.

115. Elocutio, quamvis simplex, nonnunquam tamen maiorem vim accipit usurpatione figurae, ut: *Usque adeone mori miserum est?* Similitudini quoque et allegoriae locus est, ut: *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos* (Prov. 10, 4) et:

Ἀξιοπιστότερα τραύματα φίλων ὑπὲρ ἑκούσια φιλήματα ἐχθρῶν.

— quam Scripturae sententiam praeclare tractat S. Chrys. in Eutrop.

116. Si postremo de usu quaeritur; sententiae graves et incorruptae orationi dignitatem conferunt et gratiam *), sed cavendum, ne crebriores sint **), praesertim acutae ***).

*) Oratori sententiae inprimis ad conciliandos animos prosunt. Nam et delectantur audientes, si, quae ipsi usu norunt, per sententias enuntiantur (ut *Nihil vicinia molestius* — libenter audiunt, qui malos vicinos habent): et oratoris mores commendant. Qui enim sententias dicit, profitetur, quas in vita ratio-

nes sequendas putet, quo fit, ut si bonae sunt sententiae, ipse quoque orator vir bonus esse videatur. Ar. 2, 21.

**) Ego vero, ait Fabius, haec lumina orationis velut oculos quosdam esse eloquentiae credo. Sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cetera membra suum officium perdant. Facit res eadem concisam quoque orationem. Subsistit enim omnis sententia, ideoque post eam utique aliud est initium. Unde soluta fere oratio et e singulis non membris, sed frustis collecta.

***) Prudenter etiam monent, sententias vix decere nisi aetate provectos, et in iis dumtaxat rebus, quarum quisque peritus sit (Ar. ibid.). Iuvenes igitur vel illas communi usu receptas sententias, quae proverbia dicuntur, vel gravis viri testimonia, vel denique occultas sententias usurpent.

Art. III.

DE PERIPHRASI

Quid sit et quae genera eius n. 117 ; quid de usu et vitiis n. 118.

117. Periphrasis est oratio, quae rem omissis propriis nominibus, per adiuncta vel signa paullo longiori sermone significat, ut pro *vesperascit* Virgilius :

Et iam summa procul villarum culmina fumant,
Maioresque cadunt altis de montibus umbrae...
Ecl. 1, 83.

Dante, Purg. c. 10, t. 32; c. 8, tt. 1, 2.

Duo plerique genera ponunt, verborum alterum, alterum sententiarum. Verborum periphrasis aliquot vocabulis, quae velut aliud rei nomen usurpantur, perficitur. Sic Virgilius pro aquila et avibus:

Namque volans rubra fulvus Iovis ales *in aethra*
Litoreas agitabat aves, turbamque sonantem
Agminis *aligeri*. Aen. 12, 247.

Hoc genus vides esse antonomasiae simillimum (n. 67. Sch.). Alterum vero totas per sententias efficitur, ut idem Virgilius pro : *Nondum homines bella norant*.

Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.
Georg. 2, 539.

118. Nonnunquam periphrasis necessitatem habet, quoties scilicet dictu deformia operit : saepe ornatum petit solum, qui est apud poëtas frequentissimus, et apud oratores non rarus (Qt. 8, 6). Cavendum autem, ne sit obscura, ne otiosa aut inepta. *Obscura* plerumque fit per locutiones incertas (n. 22, 24). *Otiosa* est, quae nihil affert vel gratiae vel ponderis : obstat autem, quidquid non adiuvat. Ut denique *apta* sit loco, ubi adhibetur, bene seligenda sunt ea vel signa, vel adiuncta, ex quibus fit periphrasis *).

*) Considera, quae apud Virgilium allatam modo periphrasin praecedunt, quae sequuntur; eadem observa in hac:

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit, et dono divum gratissima serpit. Aen. 2, 268.

Art. IV.

DE EPITHETIS

Quomodo dividantur ; quid valeant ; quo crescant n. 119 ; quid de usu n. 120 ; ut collocanda n. 121.

119. Per epitheta hic non adiectiva tantum, sed participia quoque et substantiva, dum nominibus per modum adiectivi apposita sunt, intelligimus, ut:

Duo fulmina belli — Scipiadas. Aen. 6, 843.

Dividuntur epitheta 1. ex *usu*, quem habent; nam vel necessitati serviunt vel ornatui, et haec rursus vel delectationem afferunt vel vim; ut: *malum facinus*, *improbus homo; flos purpureus*, *laetae segetes; detestabile factum*, *execrabilis homo.* 2. Ex *sede*, a qua petuntur; aut enim a rei natura et necessariis vel consuetis proprietatibus, aut ab illis, quae cum re coniuncta sunt, et maxime a praesente eius fortuna et conditione sumuntur.

Prius secundae divisionis genus valet praecipue ad collustrandam rei imaginem, quare in poëtica descriptione locum proprium habet:

Molli paullatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et durae quercus sudabunt roscida mella.
Ecl. 4, 28.

Alterum genus poene totum accommodatum est ad animorum motus:

Arma diu senior desueta trementibus aevo
Circumdat nequidquam humeris, et inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.
Aen. 2. 509.

Schol. Sed illa etiam, quae illustrandi gratia adsciscuntur, hoc ipso, quod rem acrius demonstrant, vim ad movendos animos saepe acquirunt:

Scilicet et tempus veniet, cum finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabra robigine pila,
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris. Georg. 1, 493.

Utriusque generis vis mirum in modum crescit 1. troporum usu, ut: *Cupiditates effrenatae, insanae substructiones*, et alia passim apud oratores et poëtas; 2. felici quadam iunctura, praesertim cum iunguntur, quae inter se pugnare videntur: *silentium eloquens, dulcis labor, inimica amicitia, viridis senectus* (n. 78).

120. Usus autem epithetorum apud poëtas et liberior et frequentior, quam apud oratores est *). Id quoque monent, fere nomini uni unum modo epitheton esse addendum, etsi singulari de causa aliquando conglobantur.

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum. Aen. 3, 658.

*) Nonnulla dedecent solutam orationem, ut: *roseis it Lucifer alis, — Conscia purpureus venit in ora pudor: mare insanum; — co-*

mans galea; -- *fumus undans*, et paene totum illud genus, quod a rei natura et proprietatibus petitur. Etenim extra poësin fere redundant epitheta, nisi rem vel declarant accuratius vel augent aut minuunt. -- Sed cetera etiam, si frequentiora sunt, poëticum morem ostendunt. Quamobrem, ait Aristoteles (3, 3), Alcidamantis scripta fastidiuntur ut frigida, qui non *isthmios ludos* dixit, sed *conventum isthmiae celebritatis* · non *leges*, sed *civitatum principes leges;* non *sollicitudinem*, sed *tristem animi sollicitudinem* etc. etc. Generatim talis est ratio huiusce virtutis, ut sine appositis nuda sit et velut incomta oratio: ne oneretur tamen multis; nam fit longa et impedita Qt. 8, 6.

121. Quod postremo ad collocationem attinet, Latini quoque poëtae epitheta plerumque ante substantiva collocant, sed ab iis separant, aliis interpositis; quod si interdum postponunt, ad finem tamen non reiiciunt, nisi admodum gravia. Amant etiam duo diversorum nominum epitheta iungere.

Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ecl. 5, 56.

Ille etiam exstincto miseratus Caesare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.
Georg. 1. 467.

Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens, et simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis. Ib. 476.

Art. V.

DE TRANSITIONE

Quid efficere debeat transitio; quae eius genera n. 122; unde transitus sint faciles et naturales; quomodo varientur n. 123.

122. *Transitionis* est, efficere, ut apte inter se iuncta orationis membra cohaereant, et nihilominus a se invicem distinguantur *).

*) Itaque omnium illustriores censentur, quae orationis partes ita delicate committunt, ut ipsae commissurae vix appareant. Haec tamen concinnitas minime impedit, quominus novum argumentum proponi intelligatur. Et certe distingui argumenta, cum probamus, fere necesse est. Nec omnino huius rei artificium in eo cernitur, ut in alium nos locum transire lateat, sed ut in hunc institutae orationis cursu sponte delati esse videamur.

Ceterum de transitione hoc loco agimus, non quod ipsa per se ornamentum sit, sed quod ornate eam fieri plerumque prodest.

Duo sunt genera: perfecta et imperfecta. — *Imperfecta* quae dicturi sumus, breviter proponit, ut: *Venio nunc ad M. Catonem, quod est firmamentum ac robur totius accusationis.* Pro Mur. 28. *Perfecta* etiam, quae dicta iam sunt, breviter repetit: *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Pro lege Man. 8.

123. Videndum autem maxime, ut transitus sint faciles et naturales, nec omnes coloris unius. Faciles et naturales esse solent, qui fiunt per *conclusionem*, cum ex praecedentibus ad consequentia

via paratur : *Nihil igitur in vitam Murenae dici potest? nihil, inquam, omnino,..... quo constituto facilior est mihi aditus ad contentionem dignitatis, quae pars altera fuit accusationis.* Pro Mur. 6 : — per aliquam priorum et sequentium *comparationem : Neque vero illa pax cum Antonio turpior, quam periculosior censeri debet. — Magna sunt ab eloquentia ad honorem praesidia, maiora ad virtutem.*

Variantur maxime figuris : correctione: *Quis consideratior illo? quis tectior? quis prudentior? Quamquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio et prudentia, quam fide et religione vitae defendendum puto.* Pro Dei. 6: — communicatione : *Sed iam satis multa de causa : extra causam etiam nimis fortasse multa. Quid restat, nisi ut orem obtesterque vos, Iudices, ut misericordiam tribuatis fortissimo viro?* Pro Mil. 34: — subiectione: *Multi et graves dolores inventi parentibus, et propinquis multi : verumtamen mors sit extrema. Non erit. Estne aliquid ultra, quo progredi crudelitas possit? Reperietur. Nam illorum liberi cum erunt securi percussi ac necati, corpora feris obiicientur.* De suppl. 45. Praeteritione v. n. 24. Concessione n. 91. Paradoxo n. 95 (exemp. sancti Chrys.). Occupatione n. 97.

Schol. Quoniam tirones haud facile solent aptas transitiones reperire, en tibi nonnullae e variis Ciceronis libris collectae.
1. *Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum ; restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus praeficiendo dicendum esse videatur.* — 2. *Satis multa de turpitudine : dicam deinceps, quod proposui, de periculo.* — 3. *Uni epistolae respondi, venio ad alteram.* — 4. *Sed nimis multa de nugis: ad*

maiora veniamus. — 5. *Sed haec vetera: illud recens, Caesarem meo consilio interfectum.* — 6. *Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis causa ducitur.* — 7. *Sed haec privatim: nunc quae publice gesta sunt, videamus.* — 8. *Iam quantum illud est, quod in occupationibus summis numquam intermittis studia doctrinae.* — 9. *De multitudine quondam, quod satis est, admonui, de obscuritate pauca dicam.* — 10. *Quod ad definitiones hactenus, reliqua videamus.* — 11. *Illud tamen, quamquam ad exitum festinet oratio, praetermittere nullo modo possum.* — 12. *Magna sunt haec, vel potius maxima. Iam vero quanto maius videbitur.* — 13. *Sed quid ego his argumentis utor, quasi res dubia aut obscura sit?* — 14. *Atque haec oblectationis, illa necessitatis.* — 15. *Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque meditemur.*

Adiicio vulgares aliquot et breviores formas:

His adde. Accedit his. Huc accedit, quod. Huc pertinet. Eodem pertinet. Iam vero, quid dicam. Age vero; explicemus nunc. His simillimum est. Restat, ut dicam. Nunc vero superest. Nam illud quid attinet commemorare. Hoc enim vere mihi dicturus videor. Quid? quod etiam. Iam vero videamus.

CAPUT VIII.

DE PROPRIETATIBUS STILI QUAE AD ORNATUM PERTINENT

Quatuor praecipue stili proprietates hoc loco nobis considerandae sunt: varietas et novitas, quae suavitatem, copia et brevitas, quae vim gravitatemque conciliant.

Art. I.

DE VARIETATE ET NOVITATE

I.

Quare varietas delectet; quid in rebus servandum; quid digressio, et quae eius regulae n. 124; quid curandum in verbis n. 125.

124. Varietatem delectare tritum sermone pro-

verbium monet: scilicet non modo taedium levat et satietatem, sed mentem etiam reficit, et quandam cognoscendi aviditatem excitat.

Itaque seligendae sunt res inter se dissimiles, omnes tamen ad id, quod quaerit oratio, accommodatae*), nec eae semper eodem ordine distribuendae.

*) Vix est res, quae diffusius tractari mereatur, quin possit copiosius: quapropter seligendi copia cogitantem fere non deficit. Sed tamen perutilis saepe ad variandam orationem est digressio.

Digressio est tractatio rei, quae cum argumento necessario non coniungitur. Sic Georgicorum argumentum est res rustica, digressio pastoris Aristaei fabula. L. 4, 315.

Huius regulae sunt tres: *Prima* exigit, ut res, ad quas digredimur, sint iucundae aut graves *): *altera*, ne longius quaerantur **): *tertia*, ut totus ille digressus propositae orationi consentiat ***).

*) Scilicet ne propter nugas gradum remorari, aut a via deflectentes inepta diverticula quaerere videamur.

**) Digressio non debet esse argumento nostro necessaria, sed ita tamen connexa, ut sponte videatur oblata, nec laborandum sit in reditu.

***) Varietas digrediendo quaeritur, sed non ea, quae discrepantia miscet: atque hoc non de rebus tantum, sed de stilo etiam intelligendum est.

Schol. Hoc loco ii, qui *Romantici* dicuntur, reprehendi solent.

125. In verbis autem vitanda est ὁμοιολογία, i. e. dicendi ratio, quae est tota coloris unius, qua maxime deprehenditur carens arte oratoria. Haec si longa fuerit, sive in iungendis verbis sive in figuris et numeris, non animis solum, sed etiam

auribus est ingratissima (Qt. 8, 3). Quomodo autem verba, qua simplicia, qua coniuncta variari possint, ex iis, quae hactenus disputavimus, sua sponte quisque intellexerit.

II.

Quid insolentia n. 126; quae sit laudabilis novitas, et unde petenda n. 127.

126. Novitatem cum audis, cave ne illam credas insolentiam commendari, qua res quidam inauditas et verba, quibus nemo ante ipsos sit usus, consectantur. Huiuscemodi enim nova admodum rara esse, neque tam conquiri, quam cum sponte se obtulerint, cum iudicio accipi debent *).

*) Res sane et cogitationes occurrunt nonnunquam novae, sed perpendendae sunt, num verae quoque et sanae: vix autem sine periculo errandi quaeruntur. De verbis novandis dixi n. 21.

127. Iam vero laudata illa novitas, qua non raro, sed quoad possumus, semper utendum est, in eo consistit, quod non tam sententiae verbaque singula insueta, quam tota quasi facies orationis sit minime communis. Ad hoc consequendum

1. Suadent vulgo, ut relictis ornamentis et loquendi formis, quae frequentiori usu contrita vim fere perdiderunt suam, ea quaeras, quae minus sunt usitata. Est in hoc aliquid, sed maius quiddam requiritur:

2. Contentus ne fueris, rem propositam communi quodam modo cognovisse, sed tamdiu verses animo, donec in succum et sanguinem, ut aiunt,

versam vere feceris tuam: tum in eloquendo verba quaere, quae maxime sint propria, et proinde cogitata tua optime demonstrent *).

*) Hoc pacto duabus de causis novitatem habebit oratio: primum quod rem ita pernovisse et ita eloqui, minime est vulgare. Etsi enim utrumque orationis natura ipsa videatur postulare semper, nihil tamen in scriptorum vulgo rarius quam optima rerum scientia et verborum proprietas. Altera causa est, quod ita qui dicit, modo sibi proprio dicit. Tanta est enim eloquentiae copia, ut de eadem re in eamdem sententiam diversissimis modis recte dici possit; tanta autem ingeniorum varietas, ut quotquot rem ita, ut dixi, pertractaverint, etsi opinione consentiant, cogitandi tamen et eloquendi ratione differant.

Schol. Itaque illud quoque iam vides, quo pacto in oratione nascatur is, quem a nonnullis proprie stilum vocari dixi, quo scilicet scriptor velut a vultu cognoscatur (n. 10).

Art. II.

DE COPIA ET BREVITATE

I.

Quid copia, et quae eius utilitas n. 128: unde rerum copia n. 129; quid de elocutione n. 130.

128. Copia dicendi ubertas est sententiarum et verborum, qua res proposita illustrius et gravius declaratur.

Curiam incendite quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo romano concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari. Pro Mil. c. 33.

Haec igitur sententiarum et verborum copia ad

omnem dicendi virtutem multum valet; praecipuus tamen eius fructus est, quod rei gravitatem amplo quodam et magnifico dicendi genere demonstrat *).

*) Sine dubio enim, ait Fabius (8, 3.), qui dicit *expugnatam esse civitatem*, complectitur omnia, quaecumque talis fortuna recipit. Sed in affectus minus penetrat brevis hic velut nuntius. At si aperias haec, quae verbo uno inclusa erant, apparebunt et *fusae per domos ac templa flammae, et ruentium tectorum fragor, et ex diversis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu suorum cohaerentes, et infantium feminarumque ploratus, et male usque in illum diem fato servati senes: tum illa profanorum et sacrorum direptio, efferentium praedas repetentiumque discursus; et acti ante suum quisque praedonem catenati, et conata retinere infantem suum mater, et, sicubi maius lucrum est, pugna inter victores*. Licet enim haec omnia, ut dixi, complectatur *eversio*, *minus est* tamen *totum dicere, quam omnia.*

129. Ad hanc dicendi copiam consequendam inprimis necesse est, rem ad disputandum propositam diligentius meditari, naturam, partes, adiuncta, causas et effectus, similia et contraria expendendo.

Itaque iisdem fere modis, quibus brevis enuntiatio in periodum dilatatur (n. 46, et seqq.), gravis quisque locus copiosius tractari poterit.

1. Saepenumero satis est, sententiae alicuius voces vel partes singulas considerare; ut si de morte sermo est, Horatii dictum expendes: *Omnes eodem cogimur. Omnes* -- nulla igitur aetas, nulla conditio, nulla virtus, nulla fortuna eximit, *eodem* -- in sepulcrum, ad inferos, ante aeterni iudicis tribunal etc. Ad hanc vero tractationem eae cumprimis sententiae idoneae sunt, quae rei naturam definiunt: quamquam hae etiam per se ipsae amplificant, ut definitio curiae paulo ante allatae, et: *Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetutastis.* De or. 2, 9.
2. Enumeratione partium Cicero funestum Pisonis consulatum describit:

Omnes memoriam consulatus tui, facta, mores, faciem denique, ac nomen a republica detestantur. Legati, qui una fuere, alienati: tribuni militum inimici: centuriones, et si qui ex tanto exercitu reliqui milites existunt, non dimissi abs te, sed dissipati, te oderunt, tibi pestem exoptant, te exsecrantur. Achaia exhausta, Thessalia vexata, laceratae Athenae, Apollonia exinanita, Ambracia direpta, Bullienses illusi, Epirus excisa, Locri exusti, Athamanum gens vendita, Macedonia condonata barbaris, Aetolia amissa, Dolopes finitimique montani oppidis atque agris exterminati, cives Romani, qui in iis locis negotiantur, te unum solum suum depopulatorem, vexatorem, praedonem, hostem venisse senserunt. In Pis. 40.

Idem Tullius multiplicem bonarum artium fructum commendat:

Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Pro Arch. 7.

3. Adiuncta dicuntur, quae una cum re vel ante vel post eam contigere. Per haec Quintilianus nobis paulo ante, quae uno verbo eversionis inclusa essent, monstravit. Vide etiam apud Virgilium Georg. l. 1, v. 466, prodigia et monstra, quae Caesaris necem vel antecessere vel subsecuta sunt.

4. Quam vere sacra volumina, quae de Filii Dei Incarnatione exponunt, evangelia vocentur, S. Chrysostomus mysterii effectibus demonstrat:

Εὐαγγέλιον δὲ αὐτοῦ τὴν πραγματείαν εἰκότως ἐκάλεσε. Καὶ γὰρ κολάσεως ἀναίρεσιν, καὶ ἁμαρτημάτων λύσιν, καὶ δικαιοσύνην, καὶ ἁγιασμὸν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ υἱοθεσίαν, καὶ κληρονομίαν τῶν οὐρανων, καὶ συγγένειαν πρὸς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, πᾶσιν ἦλθεν ἀπαγγέλλων, τοῖς ἐχθροῖς, τοῖς ἀγνώμοσι τοῖς ἐν σκότῳ καθημένοις. Τί ποτ' οὖν ἴσον τῶν εὐαγγελίων τούτων γένοιτ' ἄν; Θεὸς ἐπὶ γῆς, ἄνθρωπος ἐν οὐρανῷ· καὶ πάντα ἀναμὶξ ἐγένετο, ἄγγελοι συνεχόρευον ἀνθρώποις, ἄνθρωποι τοῖς ἀγγέλοις ἐκοινώνουν, καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς ἄνω δυνάμεσι. καὶ ἦν ἰδεῖν τὸν χρόνιον λυθέντα πόλεμον, καὶ καταλλαγὰς Θεοῦ πρὸς τὴν ἡμετέραν γεγενημένας φύσιν, διάβολον αἰσχυνόμενον, δαίμονας δραπετεύοντας, θάνατον δεδεμένον, παράδεισον ἀνοιγόμενον, κατάραν ἠφανισμένην, ἁμαρτίαν ἐκ ποδῶν γεγενημένην, πλάνην ἀπεληλαμένην, ἀλήθειαν ἐπανελθοῦσαν, τῆς εὐσηβείας τὸν λόγον παντα-

χοῦ κατασπειρόμενον καὶ κομῶντα, τὴν τῶν ἄνω πολιτείαν ἐπὶ τῆς γῆς πεφυτευμένην, μετὰ ἀδείας τὰς δυνάμεις ἐκείνας ὁμιλούσας ἡμῖν, καὶ τῇ γῇ συνεχῶς ἀγγέλους ἐπιχωριάζοντας, καὶ πολλὴν ὑπὲρ τῶν μελλόντων τὴν ἐλπίδα οὖσαν. Διὰ τοῦτο εὐαγγέλιον τὴν ἱστορίαν ἐκάλεσεν. Hom. 1 in Matth.

5. Magnam denique dicendi copiam suppeditat rerum similium comparatio et dissimilium oppositio. Huius exemplum habes supra n. 78 et in Catil. II. c. 11. Similitudine una cum enumeratione praeclare usus est S. Chrysostomus, orationem in Eutropium a Scripturae sententia: *Vanitas vanitatum* etc. exordiens.

130. Elocutio copiosa redditur maxime ornamentorum usu idoneo. Huc prae reliquis pertinent ex *tropis* metaphora et hyperbole; ex *figuris* repetitio, synonymia et expolitio, antithesis et gradatio, hypotyposis et prosopopaeia.

Vitia autem, copiose dicenti fugienda, sunt duo. redundantia et inflatum ac corruptum dicendi genus, de quo mox plura.

II.

Quid brevitas; quis in rebus modus tenendus n. 131; quid in tractatione servandum n. 132; quibus modis contrahantur sententiae n. 133; quae cavenda vitia n. 134; quid de simplicitate in rebus magnis n. 135; quando brevitate, quando copia utendum n. 136.

131. Brevitas virtus est orationis, quae superflua praecidit et paucis multa complectitur. Quare: Merito, ait Quintilianus (8, 3), laudatur brevitas integra, sed ea minus praestat, quoties nihil dicit, nisi quod necesse est: —est vero pulcherrima, cum

plura paucis complectitur. Exemplum vide n. 113. *Nihil habet.*

Primum igitur in rebus tenendus est modus, ut non aliae, quam utiles proposito orationis assumantur. Ne igitur undelibet omnia conquiras, quae rem aliquo quidem modo contingunt, sed ad finem, propter quem nunc de re dicis, nihil conferunt *).

*) Contra hoc praeceptum multi peccant in narrando longe repetitis exordiis, expositione rerum nullius momenti etc.; alii in argumentando, cogitata, quaecumque se offerunt, quoquo versus persequentes; adolescentuli inprimis difficulter sibi persuadent, non omnia quae excogitaverint, esse dicenda, quare illa quocumque possint modo, in argumentum infarciunt.

Quid, si neque ea, quae ad rem pertinent, et per se ipsa non inutilia fuerint, semper dicenda sunt omnia? Nam hinc in descriptione monemur pauca, sed ea praestantissima deligere; hinc oratori inculcatur, ne numeret argumenta, sed ponderet *).

*) Id, quod alio in genere praeclare est Xenophon consecutus. Nam ad pueri Cyri vitam narrandam nihil fere nisi adventum eius ad Astyagem, et sermones in una coena refert; atque similiter ex tota adolescentia paucissima aliqua facta selegit. Sed nimirum his velut spirantem quandam imaginem expressit, quae non modo iucundius, sed clarius etiam, quin imo plenius universos pueri et adolescentis mores declaravit, quam fecisset, si ex generali quadam divisione, ut multi solent, tempora atque rerum et personarum genera pertractasset singula.

132. Sententiarum et verborum generatim idem selectus habendus est, qui rerum; maxime autem videndum, ne sine causa pluries idem dicas, aut inutiles explicationes intexas, aut denique rerum adiuncta loquaciter enumeres.

Mali cives, qui pacem et quietem odio habent, cum nihil in vita his sit dulcius ad perturbandam civitatem multa conantur; nefaria consilia, quae probissimus quisque horret, ad evertendam pacem inter se conferunt, et labefactare rempublicam scelesto ausu aliis aliisque rationibus tentant. Boni autem, quorum esset maximè unanimi consilio rempublicam tueri, inter se dissident, et aliis alia sectantibus diversis studiis agitantur. Itaque timendum est magnopere, ne, quae multi iam e sapientissimis civibus praesagiebant, surdis quidem auribus canentes, nemo enim facile credit, quae non amat, ne, inquam praedicta mala eveniant, et rebus omnibus perturbatis, libertate ipsa, qua nunc dulcissima fruimur, sublata cives miserae servituti subiiciantur. Haec sane vitiosa; attamen saepenumero, utrum quis locus vitiose sit dilatatus, an cum virtute amplificatus, nonnisi ex totius orationis contextu iudicari potest. Nam et *pleonasmus* (n. 34) et *tautologia* (n. 75) tum solum vitia sunt, cum quae ad rem significandam necessaria non erant, ad ornandam etiam orationem nihil conferunt.

133. Saepe sententiae secundariae, maxime interiectae, contrahi possunt per participia, nomina, apposita et ellipses.

1. Participiorum usu Latini, maxime Livius, iucundissimam brevitatem consequuntur:

Subditis calcaribus equo, per confertissimam hostium turbam impetum fecit, obtruncatoque prius armigero, qui se infesto venienti obvium obiecerat, consulem lancea transfixit. Spoliare cupientem triarii obiectis scutis arcuere. Liv. 22, 6.

Unam (Romanam feminam) in ipsa porta sospiti filio repente oblatam in conspectu eius exspirasse ferunt; alteram, cui mors filii falso nuntiata erat, moestam sedentem domi, ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam. 22, 7.

Notanda etiam illa: *Servilius et recusare et deprecari, ne iniquis iudicibus, nullo adversario, iudicium capitis in se constitueretur.* De suppl. 54.

2. Nomina sive substantiva sive adiectiva saepe

pro integris sententiis poni possunt: ut pro: *Postquam a proelio cessatum erat*, — *Post proelium*; — pro: *Pax, cuius dulcedine nemo non vehementer delectatur*; — *Pax nemini non dulcissima.*

3. Apposita ipsa brevitate vim afferunt: *Quum duo fulmina nostri imperii subito in Hispania, Cn. et P. Scipiones, extincti occidissent.* Pro Balb. 15.

4. Item ellipses: *Hunccine hominem? hanccine impudentiam? hanccine audaciam?* (intellige *feremus*.

134. Sed breviter dicenti cavenda est obscuritas et ieiunitas, quae, modo res satis significata sit, ut intelligi possit, nihil addit, quod ornet, illustret, augeat. *) Br. 55.

*) Nonnulli brevitatis aemuli necessaria quoque orationi subtrahunt verba, et velut satis sit scire ipsos, quae dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. At ego otiosum sermonem dixerim, quem auditor suo ingenio intelligit. Qt. 8. 2.

Schol. Sed, dixerit hoc loco quispiam, si ita est, iusta copia et integra brevitas vix inter se differre videantur. Eae vero differunt quam plurimum, sed inter se non pugnant. Sic etiam in vita parsimonia et liberalitas virtutes sunt minime sibi contrariae, attamen diversae. Cavet parsimonia ne liberalitas fiat prodiga; contra liberalitas a parsimonia sordes arcet avaritiae; neque tamen parsimoniae actio actio est liberalitatis.

135. Laudari etiam hoc loco solet brevis quaedam simplicitas, ut quae in rebus saepe maximis vim et dignitatem habeat singularem.

Quae res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus:

quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos iacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidum cadavera proiecta iaceant? Visne tu te, Servi, cohibere, et meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Ad div. 4, 5.

Dubitaveris, an haec simplicitas copiosae orationi anteponenda sit: sed utrique generi sua est laus; utrum adhibendum sit, ex rebus, personis et ipsa oratione iudicandum erit.

Primum igitur in *rebus* est discrimen, quarum aliae brevi et simplici sermone satis ostendi possunt, aliae non possunt; deinde in *personis*, nam alii aliis haec alta facilius capiunt; post in *orationis genere* maxime. Itaque si in epistola vel historia res sublimes tractandae veniunt, simplicitate utamur, si in concione copia. Videndum etiam, quid intendat oratio: nam si tranquillam quandam mirationem, sedatum et simplex genus dicendi; si animorum perturbationem, copiosum adhibebimus.

136. At vero non solum si sublimia eloquimur, sed omnino in omni genere breviores aut copiosiores esse debemus, prout instituta oratio postulaverit. Saepe tamen et iusta brevitas et sana copia in eodem genere et loco laudabilis.

Brutus Ciceroni:

Si de tua in me voluntate dubitarem, multis a te verbis peterem, ut dignitatem meam tuerere. Sed profecto est ita, ut mihi ver-

suasi, me tibi esse curae. Progressus sum ad Inalpinos cum exercitu, non tam nomen imperatorium captans, quam cupiens militibus satisfacere, firmosque eos ad tuendas nostras res efficere: quod mihi videor consecutus. Nam et liberalitatem nostram et animum sunt experti. Cum omnium bellicosissimis bellum gessi, multa castella cepi, multa vastavi. Non sine causa ad senatum litteras misi. Adiuva nos tua sententia, quod cum facies. ex magna parte communi commodo inservieris. Vale. Ad div. 11, 4.

Cicero Bruto:

Lupus noster cum Romam sexto die Mutina venisset, postridie me mane convenit, tuaque mihi mandata diligentissime exposuit, et litteras reddidit. Quod mihi tuam dignitatem commendas, eodem tempore existimo, te mihi meam dignitatem commendare, quam mehercule non habeo tua cariorem. Quare mihi gratissimum facies, si exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec consilium nec studium meum defuturum. Cum tribuni plebis edixissent, Senatus adesset ad XIII Kal. Ian. haberentque in animo, de praesidio consulum designatorum referre: quamquam statueram in Senatum ante Kal. Ian. non venire, tamen cum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi senatum, ut de tuis divinis in rempublicam meritis sileretur (quod factum esset, nisi ego venissem), aut etiam, si quid de te honorifice diceretur, me non adesse. Itaque in Senatum veni mane. Quod cum esset animadversum, frequentissimi senatores convenerunt. Quae de te in Senatu egerim, quae in concione maxima dixerim, aliorum te litteris malo cognoscere. Illud tibi persuadeas velim, me omnia, quae ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quae est per se amplissima, summo semper studio suscepturum et defensurum, quod quamquam intelligo, me cum multis esse facturum, tamen appetam huius rei principatum. Vale. Ibid. ep. 6.

Iam adverte, quam diversus in eodem genere stilus. Uterque enim ad familiarem scribit, uterque amicitiae sensus exponit, uterque narrat, in conclusione alter petit, alter promittit; sed quam copiosus Cicero, quam praecisus Brutus! Huius virili simplicitate magis forte capiaris in epistola praesertim; esto, sed cave alterius copiam vitiosam dixeris. Uterque bene, sed pro sua uterque indole et moribus. -- Et quod hic de copia et brevitate dixi, de aliis etiam stili proprietatibus aestimandum est. De or. 3 7. Br. 55. cf. infra n. 153.

CAPUT IX.

DE VITIIS QUAE EX ORNATUS ABUSU NASCUNTUR

Quid generatim de dicendi vitiis n. 137; quomodo peccetur cultu nimio n. 138; quibus in ornamentis maxime n. 139; quam orationem inprimis dedeceat n. 140; quid vitiosa superlatio; quomodo per eam in verbis peccetur n. 141; quomodo in rebus et sententiis n. 142; quare haec vitia nonnullis placeant n. 143.

137. Cum dicendi virtutibus vitia quaedam vicina sint, in adhibendo ornatu mediocritas, quae est inter nimium et parum, tenenda est.

Decipimur specie recti: brevis esse laboro,
Obscurus fio, sectantem levia nervi
Deficiunt animique; professus grandia turget;
Serpit humi tutus nimium timidusque procellae.
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum sylvis appingit, fluctibus aprum:
In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Ars poet. v. 25.

Sed haec quidem vitia, quae singulis ornamentis proxima sunt, suis locis notavimus; κακόζηλον autem i. e. *mala affectatio* per omne dicendi genus peccat *).

*) Nam, ut ait Fabius, et tumida et exilia et praedulcia et abundantia et arcessita et exultantia sub idem nomen cadunt, denique κακόζηλον vocatur, quidquid est *ultra virtutem*, quoties ingenium iudicio caret, et specie boni fallitur: omnium in eloquentia vitiorum pessimum. Nam cetera cum vitentur, hoc petitur (8, 3.). Hoc igitur est illud *corruptum dicendi genus*, de quo saepes veteres.

138. Porro mala haec ornatus affectatio, duobus praecipue se modis prodit, cultu nimio et vitiosa superlatione.

Nimio cultu peccant, qui superstitiosa quadam diligentia orationem expoliunt *), ac venustates exquisitas per omnes orationis partes frequentant **).

*) Diligentior cura, quae se ostendit, ut in vita, sic in oratione displicet, quia naturam, quam perficere deberet, exterminat. Hinc talis oratio *frigida* nec corpori viventi, sed cereae imagini, fuco et pigmentis illitae, similis.

**) Ut porro conspersa sit oratio quasi verborum sententiarumque floribus id non debet esse fusum aequabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint quasi in ornatu disposita quaedam insignia et lumina. Genus igitur dicendi est eligendum, quod non solum delectet, sed etiam sine satietate delectet. De or. 3, 5.

139. Hoc vitium praecipue in sententiosa illa brevitate, in anthitetis et longe maxime in acumine notatur *). Omnino ea, quae maxime sensus nostros impellunt voluptate, et specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam et satietate abalienamur. Nam omnibus in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum. Ibid.

*) Vix est, monet Iuventius (Inst. poët. 5, 2. 1.), ut qui studet acute omnia dicere, non dicat pleraque frigide, et quaesitam acumine uno alterove non inepto laureolam ingenii sexcentis aliis contortis infertisque corrumpat. — Exempla profert ex Lucano, qui de Pompeio: *Coelo tegitur, qui non habet urnam:* — quasi id non de proiecto cuiusvis malefici cadavere dici possit: et: *Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni;* quo Catoni altiores sensus, quam ipsis Diis tribuuntur. Nonnemo tamen ex nostratibus hanc sententiam sublimem dixit.

140. Dedecet autem inprimis orationem, quae vel familiarem sermonem imitari, vel affectionem

animi exprimere debet. Animus enim vere commotus, quae sentit, libere effundit, non expendit verba, non metitur syllabas, non intorquet compositionem; multo autem minime sectatur argutias *).

*) Merito igitur Plinius Iun. reprehenditur, qui in familiari quoque epistola exquisitum nitorem et omnem elegantiam, praecipue vero antitheses et sententias acutas aucupari soleat.
Plinius Tironi:
Quamdiu ego trans Padum, tu in Piceno, minus te requirebam; postquam ego in Urbe, tu adhuc in Piceno, multo magis: seu quod ipsa loca, in quibus esse una solemus, acrius me tui commonent, seu quod desiderium absentium nihil perinde ac vicinitas acuit; quoque proprius accesseris ad spem fruendi, hoc impatientius careas. Quidquid in causa, eripe me huic tormento. Veni: aut ego illuc, unde inconsulte properavi, revertar, vel ob hoc solum, ut experiar, an mihi, cum sine me Romae coeperis esse, similes his epistolas mittas. Vale. Lib. 6. ep. 1.
Iam audi eodem in genere Tullium.
Cicero Trebatio:
Quam sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest: moleste ferebam antea, te invitum istic esse: pungit me rursus, quod scribis, esse te istic libenter. Neque enim mea commendatione te non delectari, facile patiebar, et nunc angor, quidquam tibi sine me esse iucundum Sed hoc tamen malo, ferre nos desiderium, quam te non ea, quae spero, consequi. Ad div. 7, 15.

141. *Vitiosa superlatio* sive in verbis, sive in rebus quoque et sententiis, plus audet, quam decet aut natura patitur; in quam conveniunt Horatii versus:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Sat. 1. 1, 106.

In verbis superlatio est, cum in re vulgari gravitatem elocutione affectant. Quod vitium *tumor* dicitur, et eorum est, qui nubes et inania captant, qui humi ingredi velut nesciunt *).

*) Illa grandia nomina, epitheta magnifica, sententias ampullatas excute et comprime: omnia inani distenta vento, solidum fere nihil deprehendes. Iuv. l. c.

Vicina tumori est *redundantia*, qua et languet et inobscuratur oratio *).

*) Audi Fabium: Est in quibusdam turba inanium verborum, qui, dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris circumeunt omnia copiosa loquacitate, quae dicere nolunt; ipsam deinde illam seriem cum alia simili iungentes miscentesque, ultra quam ullus spiritus durare possit, extendunt. — Unde illa scilicet egregia laudatio; *Tanto melior: ne ego quidem intellexi.* l. 8, 2.

Pessimus est tumor, qui in soluta oratione poeticum ornatum usurpat, ut quidam de maris descriptione.

Dum salum quaeris verbis compositis et incerta liquentis elementi placida oratione describis, dum sermonum cymbam inter scopulos, rector diligens, fraenas: curiosum artificium fabricatus, pelagus oculis meis, quod aquarum simulabas eloquiis, demonstras.

In re vulgari turgidus sermo maxime ridiculus, sed tamen in magnis quoque rebus vitiose saepe intumescit oratio. Persius ridet Neronis Imper. versus.

Torva Mimallòneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, et lyncen Maenàs flexura corymbis
Evion ingeminat; reparabilis adsonat echo.
Sat. 1. 99.

142. Si iam non verba tantum, sed fictiones etiam, cogitata et sensus naturae modum exce-

dunt, tota oratio monstruosa efficitur. Sunt enim qui in sententiis nunquam satis sibi singulares videantur, et inaudita sectantes, ultra quam possunt, contendant, donec velut turbulento quodam ardore animi prorepti miras rerum species effinxerint. Iidem in sensibus nunc molles et effeminati, nunc vasti et aestuantes, semper autem violenti et naturam paene aspernati. — Qui in eloquendo translationes audaces, acutissimas antitheses, verba rara et nova quam possunt plurima coacervant, ac tum demum sibi ornate dixisse videntur, cum in sententiis veritas, in fictione probabilitas, in rebus et personis decentia, in cunctis denique modestia perierit.

En tibi huius rei breviora nonnulla exempla; nam longiora utilius apud vernaculos scriptores, quos Romanticos appellant, consideraveris, quorum non pauci nostra aetate ob haec ipsa vitia magnum apud multos nomen adepti sunt.

1. Dixerat Virgilius Augusto:

Ipse tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius, et coeli iusta plus parte relinquit. Georg. 1, 34

Sed hoc quidem non satis erat Lucano, qui Neronem alloquitur ita:

Sed neque in arctoo sedem tibi legeris orbe,
Nec polus adversi calidus qua mergitur austri;
Aetheris immensi partem si presseris unam,
Sentiet axis onus. Librati pondera caeli
Orbe tene medio. Phars, 1, 53. Cf. de his Blair 15.

2. Hercules apud Senecam ita ad iovem:

Numquid timemur? Numquid impositum sibi
Non poterit Atlas ferre cum coelo Herculem?
. . . . . . Herc. Oet. 11.
Da, da tuendos, Iupiter, saltem Deos!
Illa licebit fulmen a parte auferas,
Ego quam tuebor. Ib. 87.

In huiusmodi scilicet convenit, quod ait S. Augustinus: *Nullo modo mihi sonat diserte, quod dicitur inepte.*

3. Sex. Rufus narrat: *Hispanias per Decimum Brutum obtinuimus, et usque ad Gades et Oceanum pervenimus.* Haec ita Florus: *Decimus Brutus aliquanto latius Celticos Lusitanosque et omnes Gallaeciae populos formidatumque militibus flumen oblivionis, peragratoque victor Oceani littore non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem obrutumque aquis ignem non sine quodam sacrilegii metu et horrore deprehendit.* 2, 7.

143. Haec autem ideo a plerisque laudantur, quod sermo rectus et secundum naturam enuntiatus nihil habere ex ingenio videtur, illa vero, quae utcumque deflexa sunt, tamquam exquisitiora mirantur (Qt. 2, 5); quod ipsum corruptis moribus Seneca *) attribuit (1).

*) Quare quibusdam temporibus provenerit corrupti generis oratio, quaeris, et quomodo in quaedam vitia inclinatio ingeniorum facta sit, ut aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta et in morem cantici ducta, quare alias sensus audaces et fidem egressi placuerint, alias abruptae sententiae et suspiciosae, in quibus plus est intelligendum, quam audiendum, quare aliqua aetas fuerit, quae translationis iure uteretur inverecunde. Hoc, quod audire vulgo soles, quod apud Graecos in proverbium cessit, talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Quemadmodum autem uniuscuiusque actio dicenti similis est, sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores. Si disciplina civitatis laboravit, et se in delicias dedit, argumentum est luxuriae publicae orationis lascivia, si modo non in uno aut altero fuit, sed approbata est et recepta. Non potest alius esse ingenio, alius animo color; si ille sanus est, si compositus, gravis, temperans, ingenium quoque siccum ac sobrium est... Cum assuevit animus fastidire, quae ex more sunt, et illi pro sordidis solita sunt; etiam in oratione, quod novum est,

(1) Non ea est mens nostra, ut huius corruptelae singulos, qui dicendi vitiis indulserint, accusemus. Quamvis enim in unoquoque magna soleat esse vitae et orationis similitudo, tamen singulorum iudicium aliis etiam rebus corrumpi potest. At ubi communiter haec dicendi vitia placuerint, communis etiam vivendi licentia animos corruperit necesse est.

quaerit, et modo antiqua verba atque exoleta revocat et profert; modo fingit, et ignota deflectit; modo id, quod nuper increbuit, pro cultu habetur, audax translatio et frequens... Quomodo conviviorum luxuria, quomodo vestium aegrae civitatis indicia sunt, sic orationis licentia, si modo frequens est, ostendit animos quoque, a quibus verba exeunt, procidisse. Mirari quidem non debes, corrupta excipi non tantum a corona sordidiore, sed ab hac turba quoque cultiore. Togis enim inter se isti, non iudiciis distant. Hoc magis mirari potes, quod non tantum vitiosa, sed et vitia laudantur... Haec vitia unus aliquis indúcit, sub quo tunc eloquentia est; ceteri imitantur et alter alteri tradunt. Ep. 114.

Et hic unus apud Romanos, quis alius magis, quam Seneca fuit? — Huiusmodi autem scriptores plus bonis artibus nocuisse, quam Vandalos et Gothos, non immerito scripsit Batteux 1. 2, 3.

CAPUT X.

DE ORATIONE APTA

Art. I.

DE ORATIONE APTA GENERATIM

Quis sermo aptus n. 144; in qua parte orationis necessarius n. 145; num in sententiis tantum n. 146.

144. Aptus dicitur sermo, qui rei, proposito, personis, loco quoque et tempori consentaneus est. *Rei* consentiet oratio, si inter illam et dicendi genus quaedam est similitudo, ita ut de re humili summisse, de mediocri temperate, de magna graviter dicas. In *proposito* videndum est, quid maxime spectare debeat oratio, doctrinam, an delectationem, an graviores animorum motus. *Personis* accomodanda est oratio non solum eorum, ad quos

dirigitur, sed ipsius etiam dicentis, et illorum de quibus sermo est, vel quos loquentes facies. *Locorum* autem et *temporum* eadem fere, quae personarum ratio habenda est.

145. Semper quidem in omni parte orationis, ut vitae, quid deceat, est considerandum *) : sed tamen inprimis videndum, ut mentis affectibus consentiat **). Cf. Or. 21.

*) Reliquarum virtutum plerumque alias in alio loco requirimus, decorum nuspiam in oratione abesse debet, ut nec in vita, semper enim in omnibus dictis et factis, minimis et maximis hoc decere, illud non decere dicimus. Ibid.

**) Animorum motus pro rei et personarum conditione variant quamplurimum; nusquam autem, quam in his, periculosius peccatur. Quapropter natura quam diligentissime observanda est. Habet enim suum quisque motus sermonem, quem imitari debet oratio; in quo genere multo plus arte valet natura et usus.

146. Neque vero solum in sententiis, sed etiam in verbis videndum est, quid deceat vel rem vel personas *) vel ipsum, quod assumsisti, genus dicendi **). Etsi enim sine re nulla vis verbi est, tamen eadem res saepe aut probatur aut reiicitur, alio atque alio elata verbo. Or. 22.

*) Non omnis fortuna, non omnis honor, non omnis auctoritas, non omnis aetas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus est aut sententiarum. (Or. 21). Et saepe vox una, quae inprudenti excidit, plus nocuit, quam longa profuerat oratio.

**) Sicut in oratione nitida notabile est humilius verbum et velut macula, ita a sermone tenui sublime nitidumque discordat, fitque corruptum, quia in plano tumet. Magno ergo iudicio ornamentis dicendi utendum est. Qt. 8, 3.

Art. II.

DE TRIPLICI GENERE DICENDI

(Or. 23-30. Qt. 12, 10.)

Quot sint genera dicendi; tenue quale sit, et quem ornatum admittat n. 147; quale sit medium n. 148; quale grande n. 149; quis horum trium usus n. 150; quae oratio sublimis, n. 151; quid in rebus sublime n. 152; qualis doceat elocutio n. 153.

147. Tria omnino sunt genera dicendi, unum subtile seu tenue, alterum grande atque robustum, tertium alii medium ex duobus, alii floridum addiderunt: quorum primum docendi, secundum movendi, tertium delectandi sive conciliandi praestat officium. Qt.

Tenue illud genus dicendi summissum est et humile, consuetudinem imitans *).

*) Hoc qui utitur ab indisertis re plus, quam opinione differt. Nam orationis subtilitas imitabilis quidem illa videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus. Etsi enim non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet, ut etiamsi illis maximis viribus careat, sit, ut ita dicam, integra valetudine. Cic.

Ab hac igitur forma dicendi removetur omnis insignis ornatus, elegantia modo et puritas remanet: eo magis vero curanda perspicuitas et verborum proprietas. Decent etiam sententiae acutae et sales, et excitanda oratio, ne languor subrepat *).

*) Ergo, tenuis ille orator 1. nec in faciendis verbis erit audax, et parcus in priscis, in transferendis fortasse crebrior, sed verecundus, omnino utetur verbis usitatissimis. 2. In reliquis etiam ornamentis et verborum et sententiarum demissior erit. Itaque vitabit quaesitas venustates, quae sunt in nonnullis verborum figuris, nec assumet illa sententiarum lumina, quae vehementer sunt illustria. 3. Numeris minus se adstringit. Solutum quiddam sit, nec vagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare: quaedam etiam negligentia est diligens. Cic.

148. De *medio* sic Tullius: Est quoddam insigne et florens orationis, pictum et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. Itaque, prosequitur Quintilianus, hic modus et translationibus crebrior, et figuris erit iucundior; egressionibus amoenus, compositione aptus, sententiis dulcis; latae eruditaeque disputationes in eodem explicabuntur et loci communes sine contentione dicentur.

149. *Grande* sive robustum dicendi genus omnem vim verborum et sententiarum adhibet, qua animi vehementius permoventur.

Tertius est ille amplus, copiosus, gravis, ornatus, in quo profecto vis est maxima. Hic est enim, cuius ornatum dicendi et copiam admiratae gentes eloquentiam in civitatibus plurimum valere passae sunt, sed hanc eloquentiam, quae cursu magno sonituque ferretur, quam suspicerent omnes, quam admirarentur, quam se assequi posse diffiderent. Huius eloquentiae est, tractare animos, huius, omni modo permovere. Haec modo perfringit, modo irrepit in sensus, inserit novas opiniones, evellit insitas. Cic.

Hoc ergo maxime inter se floridum genus et robustum differunt, quod alterum totum compositum est ad suavitatem et conciliationem, alterum ad gravitatem et contentionem.

Quare Fabius: Medius hic modus..... lenior, ut amnis lucidus quidam et virentibus utrinque sylvis inumbratus. At ille, qui saxa devolvat, et pontem indignetur, et ripas sibi faciat, multus et torrens iudicem vel renitentem contra feret cogetque ire, qua rapit.

150. Si iam de usu quaeritur, genus tenue convenit inprimis epistolae, dialogo et disputationi, historia et descriptio ad medium accedunt. Propriam vero hoc sedem habet in poësi, quamvis et haec ipsa non raro acri illo et gravissimo utatur. Orator, prout res exiget, omnibus non pro causa modo, sed pro partibus causae utetur. Is enim est eloquens, qui et humilia subtiliter et magna graviter et mediocria temperate potest dicere.*) Cic.

*) Pauca sunt opera, quae in una dicendi forma se continent. Contingit hoc tamen saepius in illa subtili forma, raro in mediocri; in gravissima, si excipias breviora aliqua carmina, nunquam. Quare Cicero: At vero hic noster, quem principem ponimus, gravis, acer, ardens, si ad hoc unum est natus, aut in hoc solo se exercuit, aut huic generi studet uni, nec suam copiam cum illis duobus generibus temperavit, maxime est contemnendus. — Itaque nec semper hae formae accurate discerni possunt. Multa enim sunt earum intervalla. Nam et subtili plenius aliquid atque subtilius; et vehementi remissius atque vehementius invenitur, et illud lene aut ascendit ad fortiora aut ad tenuiora summittitur: ac sic prope innumerabiles species reperiuntur, quae utique aliquo momento inter se differant. Qt.

151. Tertium dicendi genus saepe etiam *sublime* appellatur; magis tamen proprie hoc sibi nomen vindicat ea tantum oratio, quae singulari quadam vi ad sensus altiores animum attollit rapitque *). Porro singularis illa vis in eo esse videtur; quod in rei sublimis apta commemoratione aeterni et infiniti cogitatio, etsi interdum latenter, animum subeat **).

*) Vehemens est oratio, qua Cicero Catilinam senatum ingredientem compellat; gravissimus ad movendos animos totus ille de Gavii supplicio locus (De suppl. 62-65): ardent quam maxime, quae idem Tullius de incensa curia eloquitur (Pro Mil. 23): neque tamen in his reperitur id, quod proprie sublime dicitur. Propius ad eius rationem accedit nobilis prosopopoeia, qua Cicero patriam cum Catilina loquentem facit (n. 104); plane autem sublimis est locus ex Servii ad Tullium epistola nuper (n. 135) allatus.

**) Ita cum Servii locum legimus, aeternitatem etiam non advertentes cogitamus, ex eius scilicet stabilitate rerum humanarum inconstantiam colligentes. Apertius Dei infinitam potentiam Moyses declarat: *Ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum.* Ex. 14. Itaque oratio sublimis pro subiecta materia nunc placida nos admiratione afficit, nunc stupore percellit vehementi, nunc veneratione et sacro quodam horrore perfundit.

152. Reperitur autem sublime 1. *in rerum natura*, ut in vasti oceani astrorumque conspectu; in procellis, incendiis, terrae motibus; 2. *in vita et moribus*, ut si quæ sunt facinora magno consilio suscepta et eximia fortitudine perfecta; quo inprimis pertinet bonorum, famae et vitae ipsius magnanimus contemtus; 3. maxime vero *in rebus divinis*, ut sunt mundi creatio, diluvium, legis latio in monte Sinai. — Quae autem in rerum natura magna videntur, sublimia non apparent, nisi quatenus in iis aliquo modo vis animi aut divinitatis numen ostenditur.

153. Elocutio modo simplex et concisa, modo audax, uber et velut exaestuans *). Nullus enim ornatus tam amplus est, quem sublime respuat, errantque, qui aliter praecipiunt. Delectamur sane et approbamus, cum sermo quasi nudus et tenuis summa eloquitur; sed non minus iucundum et de-

cens, si genus dicendi rerum magnitudinem adaequare videatur **).

*) Simplicissimo sermone Servius, utpote in epistola, usus est, brevissime Homerus de Apolline pestem exercitibus illaturo:

ὁ δ᾽ ἤιε νυκτὶ ἐοικώς.
Il. 1. 47.

Sed haud ita Ovidius:

Nec mora; Tisiphone madefactam sanguine sumit
Importuna facem, fluidoque cruore rubentem
Induitur pallam, tortoque incingitur angue:
Egrediturque domo. Luctus comitantur euntem
Et Pavor et Terror trepidoque Insania vultu. Met. 4, 480.

Nec Virgilius:

Interea fessos ventus cum sole reliquit,
Ignarique viae Cyclopum allabimur oris.
Portus ab accessu ventorum immotus, et ingens
Ipse: sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,
Turbine fumantem piceo et candente favilla:
Attolitque globos flammarum, et sidera lambit.
Interdum scopulos avulsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exaestuat imo. Aen. 3, 568

**) Utrumque locis utile (cf. 35, 36). Mundi creationem Moyses simplicitate admirabili narravit, qui idem Iudaeorum transitum per mare rubrum diffuse et magnifice descripsit, hymnoque celebravit maiestatis pleno (Exod. 14 et 15): qua quidem narratione et carmine haud scio an uspiam sublimius quidquam inveniatur. Vide etiam Ps. 28. et Is. 14. et 40

CAPUT XI.

DE EXERCITATIONIBUS ARTIS DICENDI

Quare necessariae, et quae in iis universe custodienda n. 154.

154. Eloquendi praecepta, sicut cognitioni sunt necessaria, ita non satis ad vim dicendi valent, nisi illis firma quaedam facilitas accesserit: quae paratur exercitatione legendi, scribendi et declamandi. Haec vero tria ita inter se connexa et indiscreta sunt, ut si quid ex iis defuerit, frustra sit in ceteris laboratum. Nam neque solida atque robusta fuerit unquam eloquentia, nisi multo stilo vires acceperit, et citra lectionis exemplum labor ille carens rectore fluit. Qt. 10, 1.

In singulis porro videndum est: ne temere, sed cum magna circumspectione suscipiantur *); ut in bene coeptis labores constanter **); ut denique diligentia non vulgari utaris***).

*) Accommodandae enim sunt cuiusque aetati, doctrinae; variari etiam convenit, aliae haud ita diu tractandae, in aliis haerendum: quare opus est perito duce, cuius consilia sequatur adolescens.

**) Pauci sibi constant, pauci, quod recte inchoatum est, absolvunt, degustant omnia, nihil toto hauriunt pectore. Tu ergo. quod magister suaserit, arripias alacriter, et in eo perstes tamdiu, donec voti penitus compos fias.

***) Quod Tullius de inventione argumentorum dicit, id recte in universas dicendi exercitationes transfertur: Ars demonstrat tantum, ubi quaeras, atque ubi sit illud, quod studeas invenire; reliqua sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore, complector uno verbo, quo saepe iam usi sumus, diligentia, qua una virtute omnes virtutes reliquae continentur. De or. 2, 35.

Art. I.

DE LECTIONE

(Qt. 10, 1.)

Quare legendum n. 155; qui prae ceteris legendi, a quibus incipiendum, quid de vernaculis n. 156; quomodo legendum et repetendum n. 157; quomodo iudicandi auctores n. 158.

155. Quatuor potissimum utilitates affert lectio: primum copiam parat rerum et verborum, nec eam indigestam *); deinde artis praecepta melius, quam sola doctrina ostendit **); tum efficit, ut sponte assuescamus melioribus ***); postremo ingenii facultates incitat, exercet et perpolit.

*) Nobis, ait Fabius, copia cum iudicio paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus. Id autem consequemur optima legendo et audiendo. Non solum enim nomina ipsa rerum cognoscimus hac cura, sed cui quodque loco sit aptissimum. Haec ille de verbis; porro eadem est ratio rerum et sententiarum.

**) Omnium quaecumque docemus, hoc sunt exempla potentiora etiam ipsis, quae traduntur, artibus, quia, quae doctor praecipit, orator ostendit. Qt.

***) Ut cum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer, sic cum istos libros studiosius legerim, sentio orationem meam illorum tactu quasi colorari. De or. 2, 14.

156. Legendi autem sunt scriptores cuiusque generis optimi. Sed horum ipsorum qui classici dicuntur, tironibus nec multi simul legendi, et a nonnullis etiam plane abstinendum erit *).

*) Nonnulli ex ipsis classicis vel vitio laborant aliquo vel certe a communi dicendi ratione longius audaciusque recessere, quos

qui temere imitantur, pro ipsorum virtutibus vitia his vicina assumunt, obscuritatem pro brevitate, tumorem pro gravitate. Imitari autem solent maxime pueri, quoscumque legunt

Quare errant vehementer, qui recte saltem incipi a mediocribus existimant: imo etiam diu nonnisi optimus quisque, et qui credentem sibi minime fallit, legendus est *).

*) Ego, ait Quintilianus (2, 5), optimos quidem et statim et semper, sed tamen eorum candidissimum quemque et maxime expositum velim. Cicero, ut mihi quidem videtur, et iucundus incipientibus quoque et apertus est satis, nec prodesse tantum, sed etiam amari potest, tum, quemadmodum Livius praecipit, ut quisque erit Ciceroni simillimus. Qui aliquantum profecerint, alios illos, quos dixi, scriptores noscendi causa delibent potius, quam assiduo studio pervolvant. Formato autem ingenio et multa arte imbuto proderit, hos etiam diligenter pertractare.

Vernaculorum quoque selectus ex his iisdem regulis faciendus est, et eo quidem maiori cura, quo periculosius in hoc genere peccatur. Ut mittam periculum pietatis et morum, primum adolescentes in pervolutandis vernaculis minime illud, quod dicitur: *multum non multa*, observant, sed promiscue omnes legunt, qui ingenio arrident, leguntque delectandi causa, non discendi; deinde imperitorum iudicio falluntur, ut optimos credant, vel qui longissime a naturali simplicitate deflexerint, vel qui cummaxime celebrentur.

157. Neque vero solum assidue, sed diligenter quoque et paene ad scribendi sollicitudinem legendum est. Porro diligens erit lectio, si non contentus quid dicatur, novisse, inquiras etiam, quorsum et quemadmodum dicatur *).

*) In hoc idem fere modus servandus est, quem in explicando praeceptores, ex Quintiliani regulis (2, 5), tenere solent. Primum igitur argumentum et quaestio cognoscenda; quaerendus deinde rerum nexus ac dispositio et ipse sensus verborum: postremo exploranda praecepta artis de inventione, dispositione et elocutione.

Nec fere haec semel observasse satis est, sed insigniora saltem iterum iterumque lustranda sunt *); nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber utique ex integro resumendus **). Qt.

*) Repetamus autem et tractemus, et ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita et velut confecta memoriae imitationique tradatur. Qt.

**) Praecipue ita tractanda oratio, cuius virtutes frequenter ex industria quoque occultantur. Saepe enim praeparat, dissimulat, insidiatur orator, eaque in prima parte orationis dicit, quae sunt in summa profutura. Itaque suo loco minus placent, adhuc nobis, quare dicta sint, ignorantibus, ideoque erunt, cognitis omnibus, repetenda. Qt.

158. Denique quoniam cum iudicio utique legendum est, accipe Fabii sapienter monita: 1. Neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quae magni auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando et oneri cedunt et indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum et nonnunquam fatigantur: cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur.

2. Modeste tamen et circumspecto iudicio de tantis viris pronuntiandum est, ne, quod plerisque accidit, damnent, quae non intelligunt.

Art. II.

DE SCRIPTIONE

§ I.

DE SCRIPTIONE GENERATIM

(Qt. 10, 3.)

Quanti momenti sit scriptio; quae eius genera n. 159; quae in scribendo servanda n. 160; quae in emendando n. 161.

159. Caput est, ait Crassus apud Ciceronem, quod, ut vere dicam, minime facimus; est enim magni laboris, quem plerique fugimus; quam plurimum scribere. *Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister* *).

*) Scilicet scriptio magis etiam quam lectio ingenii vires excolit, artis vero praecepta in usum, quo continetur totum, sensim deducit; postremo ad subitam dictionem informat; quae omnia Tullius l. c. fusius disputat; cf. etiam Quintilianus 10, 3.

Praeter interpretationem, de qua paullo post, tria sunt scriptionum genera, quorum primum complectitur exercitationes in singulis dicendi praeceptis *), alterum praevias quasdam ad eloquentiam exercitationes, quas progymnasmata dixerunt, tertium integra opera, ut epistolas, narrationes, dialogos, disputationes, carmina, orationes.

*) Exercitationes in praeceptis sunt, quas una cum ipsis praeceptis iam ostendi: obscuram vel impolitam orationem emendare, sententiam in periodum dilatare, tropis, figuris aliisque

ornamentis illustrare. Sed vitiosa quidem emendare utile est, utilius optima imitari. Plurimum autem tum ad copiam tum ad facilitatem dicendi iuvat, eandem sententiam aliis et aliis modis, mutatis scilicet vel periodi formis vel aliis ornamentis eloqui, ea fere ratione, qua in Syntaxi ornata pueri docentur per synonymiam, metaphoram, periphrasin, etc. sententiam variare. Cf. n. 109, 163.

Schol. Cave igitur, ne e quorundam opinione has exercitationes ut leviores et inutiles despicias. Efficiunt enim, ut praeceptiones non intelligas modo accuratius, sed etiam sequi discas, ad iustam vero orationem, cuius velut particulae sunt recte componendam instruunt. Non aliter pingendi magistr discipulos, antequam totius corporis imaginem adumbrandam proponant, diligenter exercent in delineandis oculorum manuum ceterorumque formis membrorum.

160. Haec autem de scriptione generatim praecipiuntur:

Ante scriptionem diligenter meditandum est, quid et quomodo dicendum sit *), nec in ipsa scriptione quidquam praecipitandum **).

*) Merito enim reprehenduntur, qui primo decurrere per materiam stilo quam velocissime volunt, et sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt; hanc *sylvam* vocant: repetunt deinde et componunt, quae effuderant, sed verba emendantur et numeri, manet in rebus congestis, quae fuit levitas. Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio sic opus ducere, ut caelandum, non ex integro fabricandum sit. Qt.

**) Sit primo vel tardus, dum diligens stilus: quaeramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus, adhibeatur iudicium inventis, dispositio probatis. Delectus enim rerum verborumque agendus est et pondera singulorum examinanda. Post subeat ratio collocandi, versenturque omni modo numeri, non ut quodque se proferet verbum, occupet locum. Id.

Neque tamen semper haec omnia inter primam statim scriptionem expendi debent, sed aliquando affectus sequemur, in quibus fere plus calor, quam diligentia valet *).

*) Si feret flatus, danda sunt vela, dum nos indulgentia illa non fallat. Omnia enim nostra, dum nascuntur, placent, alioqui nec scriberentur. Sed redeamus ad iudicium, et retractemus suspectam facilitatem. Id.

Schol. Generatim autem haec mora, et sollicitudo incipientibus praecipitur, Nam primum hoc constituendum ac obtinendum est, ut quam optime scribamus, celeritatem dabit consuetudo. Paullatim res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio sequetur. Summa haec est rei: *cito scribendo non fit, ut bene scribatur ; bene scribendo fit, ut cito.* Id.

161. Sequitur emendatio, cuius est adiicere, detrahere, mutare *). Nec dubium est, optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur, et ad ea post intervallum velut nova et aliena redeamus **). Qt. 10, 4.

*) Sed facilius in his simpliciusque iudicium, quae replenda, vel deiicienda sunt: premere vero tumentia, humilia extollere, luxuriantia adstringere, inordinata digerere, soluta componere, exultantia coercere duplicis operae: nam et damnanda sunt, quae placuerunt, et invenienda, quae fugerant. Id.

**) Simile praeceptum Plinius habet: Poteris et quae dixeris, post oblivionem retractare, multa retinere, plura transire, alia interscribere, alia rescribere. Laboriosum illud et taedio plenum. Sed difficultate ipsa fructuosum, recalescere ex integro et resumere impetum fractum remissumque, postremo nova velut membra peracto corpori intexere nec tamen priora turbare. Ep. 7, 9.

Sed huic diligentiae tum in prima scriptione *) tum in emendatione **) suus utique modus sit.

*) Sunt, quibus nihil est satis, omnia mutare, omnia aliter dicere, quam occurrant, velint: increduli quidam et de ingenio suo pessime meriti, qui diligentiam putant facere sibi scribendi difficultatem. Huiusmodi adolescenti, cum per tres dies exordium frustra quaesivisset, Florus: Numquid tu, inquit, melius dicere vis, quam potes? — Curandum est, ut quam optime dicamus, dicendum tamen pro facultate.... Quare quid res poscat, quid personam deceat, quod sit tempus, intuiti,

humano quodam modo ad scribendum accedamus... Nec putemus semper optimum esse quod latet; immutescamus alioqui, si nihil dicendum videatur, nisi quod non invenimus Qt. 10, 3.

**) Et ipsa *emendatio* finem habet. Sunt enim, qui ad omnia scripta tanquam vitiosa redeant, et quasi nihil fas sit, rectum esse quod primum est, melius existimant, quidquid est aliud, idque faciunt, quoties librum in manus resumpserint... Sit igitur aliquando, quod placeat, aut certe quod sufficiat. Qt. 10, 4.

§ II.

DE IMITATIONE

(Qt. 10, 2).

Quid sit imitatio n. 162; quae genera; qui modi generis primi n. 163; quae sit imitatio puerilis; quae virilis n. 164; quomodo inventionem imiteris n. 165; quae sint in imitando regulae custodiendae n. 166.

162. Imitari est orationem nostram ad alterius dicendi rationem assimilare. Nec dubitari potest, quin artis magna pars contineatur imitatione. Nam ut invenire primum fuit, estque praecipuum, sic ea, quae bene inventa sunt, utile sequi. Atque omnis vitae ratio sic constat, ut, quae probamus in aliis, facere ipsi velimus *). Qt.

*) Neque tamen imitatio per se ipsa sufficit. Quidquid enim alteri simile est, necesse est, minus sit eo, quod imitatur, ut umbra corpore, imago facie... Namque iis, quae in exemplum assumimus, subest natura et vera vis, contra omnis imitatio ficta est, et ad alienum propositum accommodatur... Adde quod ea, quae in oratore maxima sunt, imitabilia non sunt, ingenium, inventio, vis, facilitas et quidquid arte non traditur. Vide alia multa apud Quintilianum l. c.

163. Imitationis modi sunt plurimi, qui tamen ad duo genera facile revocantur. Aut enim in eadem materia versamur, aut alterius dicendi formam in rem diversam traducimus.

Prioris generis quatuor sunt modi, ex quibus primus est *interpretatio*, quam vulgo versionem dicimus *). Sic autem, cum interpretamur, reddenda est vis verborum et sententiarum, ut interim vernaculae linguae proprietas custodiatur **).

*) De hoc Plinius: Utile imprimis et multi praecipiunt vel ex greco in latinum vel ex latino vertere in graecum. Quo genere exercitationis proprietas splendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, praeterea imitatione optimorum similia inveniendi facultas paratur: simul, quae legentem fefellissent, transferentem fallere non possunt, intelligentia ex hoc et iudicium acquiritur. Ep. 7, 9. cf. de or. 1, 34. Qt. 10, 5.

**) Qui patrii sermonis indolem parum respexerint, aut duram illi vim intulerint, hac ipsa exercitatione stilum corrumpunt. Neque fidelis debet dici interpretatio, quae grecam vel latinam vestem induit, vim autem et sententiam auctoris saepe hoc ipso minus assequitur.

Alter modus est quasi duplex interpretatio. Vertendus scilicet est locus aliquis, Ciceronis exempli causa, in sermonem vernaculum, quem, interposito spatio, convertas in latinum; mox quod a te scriptum fuerit, conferes cum ipso loco Tulliano, atque ex illo emendabis.

Tertius est, locum insignis scriptoris eodem sermone aliter dicere. Quae tamen exercitatio sit necesse est, circa eosdem sensus certamen atque aemulatio *). Qt.

*) Nam neque semper desperandum, aliquid illis, quae dicta sunt melius posse reperiri, neque adeo ieiunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici, nisi semel, non possit... Innumerabiles sunt modi plurimaeque eodem viae

ducunt. Suae brevitati gratiae, suae copiae, alia translatis virtus, alia propriis, hoc oratio recta, illud figura declinata commendat (1)... Nec aliena tantum transferre, sed etiam nostra pluribus modis tractare, proderit: ut ex industria sumamus sententias quasdam, easque versemus quam numerosissime, velut eadem cera aliae atque aliae formae duci solent (cf. n. 59).

Ille denique quartus modus traditur: Conficies analysin orationis Ciceronianae; rationes, figuras rudi quadam delineatione adumbrando; hanc materiam postea tractabis tuo marte, et osseam quasi compagem carne sua vesties; postremo tuum opus cum Ciceroniano comparabis, et quantum ab eo recedas, intelliges.

164. Secundi generis imitandi duplex vulgo species traditur, quarum una puerilis, quia puerorum aetatulae convenit, altera virilis, seu mascula dici solet.

Puerilis imitatio verba elegantiora et phrases ab auctore mutuatur, eaque ad sensa alia convenienter transfert.

Quousque tandem abutere, improbe, patientia divina? Quamdiu illam vita ista tua nefaria eludet? Quem ad finem se effraenata iactabit impietas? Nihilne te impendentia mortis pericula, nihil intentus in te divinae iustitiae gladius, nihil conscientiae timor, nihil severissimi iudicis tribunal, nihil huius os vultusque movebunt?

Virilis imitatio generatim illa dici potest, quae ipsum orationis artificium aemulatur, sive quae virtutes scriptoris per easdem vel similes rationes in diversa materia assequi conatur. Porro ut illud artificium, sic haec imitatio non in elocutione tan-

(1) Haec Quintilianus contra Ciceronem, de or. 1, 34.

tum, sed in inventione etiam atque dispositione posita est.

Elocutionem viriliter imitaris, si locum scriptoris egregium transfers ad aliud vel simile vel contrarium argumentum, utendo figuris iisdem, periodis, commissuris, transitionibus, toto denique ductu orationis ac filo, auctoris quasi vestigia persequendo, mutatis tantum verbis ac sententiis. Cicero v. g. pro domo sua c. 33 describit, quis sit populus romanus. Negat, *multitudinem hominum seditione concitatam P. R. appellandam esse:* similiter tu ostendes, *quis Christianus dicendus sit*, *quis nobilis*, *quis eruditus*.

165. Inventionem imitamur 1. transferendo sententias, argumenta, imagines auctoris ad rem nostram. Quod tamen genus vix imitatio dici potest, nisi aliena inventa felici quadam variatione proposito nostro accommodamus, aut in aliud rerum genus scite deflectimus. Ita Cicero Platonem, Virgilius Homerum, Horatius Pindarum imitati sunt.

2. Deinde observando genus argumentorum, et, ex iisdem locis in re alia similes rationes quaerendo *).

*) Ita non modo maiores orationis partes, sed ipsas etiam integras orationes imitari licet. Demosthenes in Phil. I. Athenienses, clade accepta tristes, hortatur, ut acriter bellum renovent. Oratio commode in tres partes dividi potest: in prima ostendit, minime esse desperandum, modo fungi officio etiamnum velint; in altera exponit vias et rationes, quibus bellum feliciter geri queat; in tertia momenta, quae ad has rationes suscipiendas impellant. Atqui simili tu modo adolescentes, qui malo successu studiorum, aut Christianos, qui delictorum conscientia animum abiecerint, hortaberis. Et si in Demosthenis oratione primam partem accuratius consideraveris, facile erit ad singulos etiam locos orationem assimilare.
Porro ex hisce iam apparet, quomodo dispositio imitanda sit.

166. Regulae autem omnis imitationis hae sunt: Primum vigilemus necesse est in deligendo, quem imitemur; deinde quem probavimus, in eo, quae maxime excellant, ea diligentissime persequamur *). De or. 2, 22.

*) Stultissimum credo ad imitandum non optima quaeque proponere, sed in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa, atque utinam tam bona imitantes dicerent melius, quam mala peius dicunt. Plin. ep. 1, 5. Qt. cf. Cic. l. c.

Neque vero omnibus possunt eadem imitanda proponi, sed consulendae sunt vires, et exploranda cuiusvis natura *). Qt.

*) Ne igitur cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis et vim suam perdat, et elegantiam, quam cupit, non assequatur. Id tamen in universum dici potest, eos, qui maxime sunt naturales et faciles, ut Cicero, Caesar et Virgilius inter Latinos, Homerus, Demosthenes et Xenophon inter Graecos, plerisque convenire; Sallustium vero, Tacitum et si qui alii singulari dicendi genere sunt usi, paucissimis. cf. 156.

Id quoque vitandum (in quo magna pars errat), ne in oratione nobis poetas et historicos, in illis operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. Sua cuique proposita lex, suus cuique decor est. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune; id imitemur, quod commune est. Id.

Iis autem, qui se uni alicui generi dediderunt, cavendum est, ne ubique illud persequi velint. Ut si asperitas placuit alicuius, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere non exuant; si tenuitas ac iucunditas, in asperis gravibusque causis ponderi rerum parum respondeant; cum sit diversa

non causarum modo inter ipsas conditio, sed in singulis etiam causis partium. Id.

In ipsa denique imitatione caput est, ut, quod imitaturus est quisque, intelligat, et quare bonum sit, sciat *).

*) Qui enim non introspectis penitus virtutibus ad primum se velut aspectum orationis aptarunt, cum verbis atque numeris sint non multum differentes, vim tamen dicendi atque inventionis non assequuntur, sed plerumque declinant in peius et proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro gravibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii, simplicibus negligentes. Id.

Art. III.

DE DECLAMATIONE

Quid sit n. 167; quomodo instituenda n. 168; quae ad declamandum praeparatio n. 169; quid de cogitatione n. 170; quid de subitae dictionis usu n. 171; quae in ea servanda n. 172.

167. Declamatio exercitatio eloquentiae est, qua, posita causa ficta, ad similitudinem actionis verae instituitur oratio. Quare a Quintiliano (4, 2) dicitur forensium actionum meditatio; et eiusdem quidem iudicio multo est utilissima *).

*) Nam et cuncta illa, de quibus diximus, in se fere continet, et veritati proximam imaginem reddit, ideoque ita est celebrata, ut plerisque videretur ad formandam eloquentiam vel sola sufficere... Eo quidem res ista culpa docentium recidit ut inter praecipuas, quae corrumperent eloquentiam, causas, licentia atque inscitia declamantium fuerit. Sed eo quod natura bonum est, bene uti licet. Id. 2, 18.

168. Sint ergo et ipsae materiae, quae fingentur,

quam simillimae veritati, et declamatio, in quantum maxime potest, imitetur eas actiones, in quarum exercitationem reperta est *). Ibid., Cf. de or. 1, 33.

*) Nam si foro non praeparat, aut scenicae ostentationi, aut furiosae vociferationi hoc declamandi opus simile est. Si quando ut expatientur nonnihil iuvenes, et gaudeant materia, a verae causae similitudine decedetur, cavendum tamen, ne assumantur plane poëtica et fabulosa, multo minus stulta et acrioribus oculis intuenti ridicula

169. Ut autem ad veram quamvis actionem, sic ad hanc domesticam sive umbratilem exercitationem triplici ratione parati accedere possumus. Nam vel totam orationem scripsimus, vel certe acri cogitatione comprehendimus *), vel denique summis tantum momentis perspectis ex tempore dicimus **).

*) Sed si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidua et diligens scriptura superabit. De or. 1, 33.

**) Plerumque autem multa agentibus accidit, ut maxime necessaria et utique initia scribant, cetera, quae domo afferunt, cogitatione complectantur, subitis ex tempore occurrant. Qt. 2, 10.

170. Cogitatio illa, cum quidem perfecta est, non rerum ordinem modo intra se ipsa disponit, sed verba etiam copulat, totamque ita contexit orationem, ut ei nihil praeter manus desit *).

*) Sed ne ad hanc quidem vim cogitandi perveniri potest aut subito aut cito. Nam primum comparanda multo stilo forma est, quae nos etiam cogitantes sequatur; tum assumendus usus paullatim, ut pauca primum complectamur animo, quae reddi fideliter possint: mox per incrementa modica progrediamur. Id. 10, 6.

171. Facultas autem dicendi ex tempore si recte est maximus studiorum fructus, et velut praemium quoddam amplissimum longi laboris appellata; sequitur, non modo ut in perfecto oratore iure requiratur *), sed etiam ut eius praeproperus et temerarius usus damnandus sit **).

*) Necessaria est oratori perfecto, tum ne eius auxilium, cum innumerabiles accidant subitae necessitates, in praesentissimis quibusque periculis desit, tum quia saepe ea, contra quae scripsimus, fallunt, ac tota subito causa mutatur. Id. 10, 7.

**) Sed plerique in hac subita dictione vocem modo, neque eam scienter, et vires exercent suas, et linguae celeritatem incitant, verborumque frequentia delectantur. In quo fallit eos, quod audierunt, dicendo homines, ut dicant, efficere solere. Vere enim etiam illud dicitur, *perverse dicere homines perverse dicendo facillime consequi.* De or. 1, 33. Quare Quintilianus: Neque ego, ait, hoc ago, ut ex tempore dicere *malit*, sed ut *possit*. Ibid.

172. Ut igitur hac facultate recte utamur, servanda sunt haec quatuor: 1. Nota sit dicendi via, ars scilicet argumenta reperiendi, dispensandi, tractandi; nec non copia sermonis optimi multo ac fideli stilo ita comparata sit, ut scriptorum colorem etiam quae subito effusa sunt, reddant.

2. Nec quisquam tantum fidat ingenio, ut id sibi speret incipienti statim posse contingere, sed sicut in cogitatione praecepimus, ita facultatem quoque extemporalem a parvis initiis paullatim perducemus ad summam, quae neque perfici neque contineri nisi usu potest.

3. Neque tantam esse unquam fiduciam facilitatis velim, ut non breve saltem tempus, quod nunquam fere deerit, ad ea, quae dicturi sumus, dispicienda sumamus. Quosdam enim perversa ducit

ambitio, ut exposita controversia, protinus dicere velint; sed qui stultis videri eruditi volunt, stulti eruditis videntur.

4. Scribendum certe nunquam est magis, quam cum multa dicemus ex tempore: ita enim servabitur pondus. Ac nescio an utrumque, cum cura et studio fecerimus, invicem prosit, ut scribendo dicamus diligentius et dicendo scribamus facilius.

Qt. 10, 7

ARTIS DICENDI

PARS ALTERA

DE NONNULLIS ORATIONIS SOLUTAE GENERIBUS

Quae sint solutae orationis genera, et quid de iis in universum praecipiatur n. 173.

173. Plurima sunt solutae orationis opera, quae tamen ad quatuor genera revocari solent: *Epistolare*, *historicum*, *didascalicum*, *oratorium*. Quodnam sit genus *epistolare*, nomen ipsum indicat; ad *historicum* autem pertinent narratio, descriptio, vita et ea, quae proprie historia dicitur; ad *didascalicum*, praeter libros, in quibus artes et disciplinae traduntur, disputatio (vulgo dissertatio) et dialogus. Nobis in hac parte satis erit, postquam de utroque priori genere pro instituto nostro breviter exposuerimus, unius dialogi praecepta explicare. De disputatione enim ex alibi dictis et de ipso dialogo dicendis aestimari facile potest (1); de *oratoria* autem facultate, cum et genus ipsum ab his, de quibus nunc quaerimus, longe distet, et praecepta multa et difficilia sint, in parte quarta seorsum praecipiemus.

Tribus autem his generibus, epistolari, historico

(1) Vide maxime n. 13 et seqq. et, cf. Append. I. n. 446.

et didascalico, commune est, quod inprimis perspicuam et accuratam rei demonstrationem requirunt; cui parcus adiungitur ornatus, ut quemadmodum in poesi utile dulci, ita hic dulce misceatur utili. Itaque minus elegans quidem est ille, qui nihil novit, nisi perspicue narrare, accurate disputare; sed plane ineptus et paene insanus, qui huic generi ornatum quidem adhibet maximum, sed utilitatem propositam non assequitur. Hic enim similis est opificis, qui fontem exaedificavit pulcherrimum, sed nullius aquae.

CAPUT I.

DE EPISTOLA

174. Epistola definitur sermo scriptus ad absentem.

Varia sunt genera pro fine vel argumento; ut epistola commendatitia, consolatoria, monitoria, etc. Illa vero carmina vel disputationes, quae interdum epistolae inscribuntur, cum praeter nomen et ingressum nihil epistolae habeant, huc non pertinent.

Art. I.

DE EPISTOLA GENERATIM

Quid de argumento n. 175; quae minime scribenda n. 176; quid de dispositione n. 177; quid de elocutione n. 178; quae sint stili epistolaris virtutes; quid de convenientia n. 179; quid de perspicuitate n. 180; quid de brevitate n. 181; quid de venustate n. 182.

175. Si primum de argumento quaeritur, in universum ea, quae colloquio tractamus, epistolae quoque conveniunt, paullo tamen diligentius excussa *).

*) Utrumque ex definitione colligitur; est enim epistola *sermo* ad absentem, sed sermo *scriptus:* scripta autem, ut aiunt manent, accuratius considerantur, saepius releguntur.

176. Itaque si ab omni sermone, multo magis ab epistola removenda sunt turpia *), inutilia **), et eiusmodi, de quibus sine tuo vel alieno periculo scribere non potes ***).

*) Meminisse nos oportet iudicii, in quo de verbis otiosis, nedum inhonestis, rationem sumus reddituri.

**) Ea ut scribas vide, quae etiam saepius lecta fastidium non sint allatura.

***) Prudentia opus est. In alias enim manus, quam volumus, haud raro epistolae perveniunt, et eos ipsos, quibus nunc amicis scribimus, postmodum fortasse adversarios habebimus. Tu ea scribe, quae vel inimici iure carpere non possint.

177. His, quae dixi, servatis, non est, cur familiarem epistolam scripturus de rerum selectu et

ordine multum labores. Sed iis, quae scribenda sunt, ne quid memoria excidat, brevissime notatis, ad scribendum te conferas, ut sub calmo nascatur epistola.

Si vero res gravioris momenti accuratius tractanda est, rationes, quibus, quod intendis, persuadeas, diligentius expendendae sunt. His, quas nonnulli elaboratas vocant, epistolis breve exordium, quo res modeste proponitur, et conciliatur benevolentia, fere necessarium est. Incipiendum deinde ab iis rationibus, quae nihil habere possunt offensionis, et si molestum quid dici necesse erit, ad id lenius accipiendum legentis animum disponunt *).

*) Ad recte disponendum non minus, quam ad inveniendum iuvabit cogitare, quid, si coram ageremus, primum, quid deinde, quid postea, quid postremo loco diceremus. Sic enim ratio epistolae invenitur quam maxime naturalis.

178. Elocutio sit cultiorum hominum sermoni similis, paullo tamen eo castigatior. Quapropter Seneca: Qualis sermo meus esset, ait, si una sederemus aut ambularemus, illaboratus et facilis, tales esse epistolas meas volo, quae nihil habeant accersitum, nec fictum (Ep. 75). Vacua tamen sit epistola iis, quae in colloquio potius indulgemus, quam probamus.

Ceterum etsi in epistolam conveniunt paene omnia, quae de tenui genere dicendi (n. 147) praecepta sunt, iuverit tamen, nonnullas virtutes singillatim paucis tractare.

179. Virtutes epistolae praeter simplicitatem illam, de qua paullo ante Seneca, quatuor recen-

sentur, convenientia, perspicuitas, brevitas et venustas.

Ut *convenientiam* servare possis, ante scriptionem diligenter considera, non solum de qua re, sed etiam quis ad quem scribas et maxime, quae sit praesens illius, cui loqueris, fortuna et animi affectio *).

*) Audi Erasmi monita: Ego, inquit, epistolam optimam iudico, quae argumento, loco, tempori, personae quam maxime sit accommodata: quae amplissimis de rebus agens sit gravissima, de mediocribus concinna, de humilibus elegans et faceta, in iocis acumine delectet ac lepore, in encomiis apparatu, in exhortando vehemens sit et animosa, in consolando blanda et amica, in suadendo gravis et sententiosa, in narrando lucida et graphica, in petendo verecunda, in commendando officiosa, in rebus secundis gratulabunda, in afflictis seria. Neque rei solum obsecundabit epistola, verum etiam temporum personarumque rationem habebit; nec eadem de re quovis tempore, nec apud quosvis loquetur: alia specie sese offeret senibus, alia iuvenibus; alia tetricis ac severis, alia iis, qui festiviore sunt ingenio; alia aulicis, alia philosophis; alia familiaribus, alia ignotis; alia vacuis, alia negotiosis; alia fictis amicis ac parum benevolentibus.

180. Perspicuitas in epistola, quippe quae nihil laboris afferre legentibus debeat, quam maxime est necessaria. Neque tamen necesse est, ut omnis, in cuius forte manus litterae nostrae incidant, intelligere eas possit, sed ut is, ad quem datae sunt *).

*) Hac de causa Cicero, alias omnium planissimus scriptor, in epistolis ad Atticum nobis persaepe obscurus est.

181. Praescindenda exordia et conclusiones, quas nec argumentum nec humanitas postulat; vitanda amplificatio per synonyma et minus necessaria epi-

theta: argumenta strictim ut in colloquio proponenda, eodem modo facta narranda.

Sed haec quidem brevitas commendanda maxime in epistolis ad viros nobis non familiares, dignitate conspicuos, negotiis oneratos: ad quos ita est scribendum, ut praeter ea, quae ad rem ipsam debita cum reverentia explicandam necessaria sunt, nihil adiiciamus. Contra familiaris epistola latior et verbosior esse potest, amici enim inter se omnia communicare amant. In illo denique graviori genere (n. 177) rationes ita quidem declarandae sunt, ut vis earum et pondus sentiatur, neque tamen diffusius et magnificentius oratorum ritu amplificandae.

182. Venustas autem postulat, ut non modo caveantur vitia sermonis *); sed ad puritatem accedat naturalis quaedam et non quaesita elegantia ex structura verborum et ornamentis stili minime splendidis. Itaque similitudo, translatio, brevis narratio vel descriptio, sententia, acute dictum minime vetantur: sed in his omnibus atque maxime in acumine artificium nullum appareat.

*) Vitia sermonis, orthographiae et interpunctionis eo magis fugienda, quod haec negligentia et epistolam iniucundam reddit, et scribentem vel ignorantiae vel exiguae erga illum, ad quem scribit, observantiae coarguit.

Art. II.

DE ALIQUIBUS EPISTOLIS SINGILLATIM

Quid de commendatione n. 183; quae in petitione facienda n. 184; quae in gratulatione n. 185; quomodo consolatio instituenda; quae in ea vitanda n. 186; quis monendus et quomodo n. 187.

183. De *commendatione* si quaeritur,

Qualem commendes etiam atque etiam aspice; ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Horat. ep. 1, 18.

Generatim autem in commendatitiis litteris mentionem facere possumus de nostra cum commendato amicitia, vel necessitudine, de illius erga nos observantia; de eius virtutibus, doctrina, peritia; de dotibus illi muneri vel negotio aptis, ad quod commendamus; denique gratum animum pollicemur, et commendati et nostrum.

Nulla commendatio, apud amicum praesertim, gravior esse solet ea, quam ex intimo animi affectu profectam esse apparet, ut ad Div. 7, 5. — Alias vide 10, 16; et in l. 15. paene omnes.

184. In *petitione* tria plerumque facienda sunt: captanda est benevolentia, explicandae rationes, gratia pollicenda.

Captamus *benevolentiam* modesta laude, commemoratione beneficiorum, quae antehac accepimus, excusatione petitionis.

Rationes rei et personae, quoad licebit, accommodandae sunt; itaque modo honestam et aequam

esse petitionem, modo laudem et honorem illi, quem rogamus, ex concessione accessurum, modo nostram ipsorum necessitatem utilitatemque maxime demonstrabunt. Videndum tamen ne indoli alterius argumenta ita accommodentur, ut probo et christiano homine indigna fiant.

Cum *grati animi* memoriam pollicemur, cavendum, ne iis, qui opera nostra haud facile indigebunt, mutua beneficia promittamus; id enim indecorum. — V. ad Fam. 5, 4 et 12.

185. In *gratulatione* primum est, ut sincerum gaudium, quod ex alterius felicitate concepimus, in epistola nostra eluceat. Habet autem gratulatio plerumque laudem, spem, optationem, interdum etiam adhortationem et consilia.

Laudamus dotes vel merita, propter quae alter felici fortuna dignus videatur. *Speramus* emolumenta sive eius, cui gratulamur, familiae, sive reipublicae et Ecclesiae; sed cavendum, ne quid nobis emolumenti sperare videamur. *Optamus* vel stabilem fortunam vel etiam ampliorem.

Schol. Aliquando etiam licebit varia sensa, prout res fert, communicare, ut de statu reipublicae, Ecclesiae, de rerum humanarum vicissitudine. Statae vero illae gratulationes, quae festis quibusdam diebus fieri solent, quoniam in iisdem fere locis versantur, sermone simplici ac brevi absolvendae sunt, nisi forte propria, minimeque vulgaria argumenta occurrant. Ad fam 2, 9; 15, 12.

186. *Consolaturus* primum ostende, quanta sit doloris causa, te probe perspicere, ideoque cum afflicto condolescere *); paullatim deinde stilum ad ea converte, quae delinire possunt moerorem, ac tum denique illa prome, quae, dolorem ut vincamus, imperant.

*) In litteris consolatoriis fortasse magis quam in ullo alio genere insinuatione opus est; dolor enim vehementer turbat mentem, et impedit, quominus vel videat vel admittat contrarias rationes

Duo autem in hoc genere maxime cavenda sunt: facetiae et elocutionis quidem splendor. Risus enim et iocus, non modo, quod quis crediderit, dolentis animum non exhilarant, sed gravius etiam vulnerant. Tametsi vero huius generis argumenta saepe sint eiusmodi, quae ad splendidum illud et amplificatum genus dicendi possint allicere: persuasum habeas, hic vel maxime servandam esse summam orationis simplicitatem. Ad Fam. 4, 5; 5, 16.

187. In *monitione* primo videndum est quam maxime, num adhibenda sit. Nisi enim muneris officio monere alios teneris, parcus esto consilii et hortationis; maxime autem servato reverentiam aetati et conditioni debitam, ne inferior superiorem, adolescens velle senem docere videaris.

Cum autem adhibenda videtur, magna semper temperantia opus est, quo scilicet et modestia tua et fiducia de alterius prudentia et probitate appareat *).

*) Sapientes quidem viri, etiam cum illos monent, quibus aetate vel dignitate superiores sunt, non solum amorem, sed etiam pro personae statu spem bonam et fiduciam ostendere solent. Simili modo reprehensio temperanda erit, cum his, qui monetur, deliquerit. Praeclare haec te docebunt Ciceronis epistolae ad Curionem. Fam. l. 2; et ad Marcellum, l. 4.

CAPUT II.

DE NARRATIONE

Quid sit.

188. Narratio definitur rei gestae vel quasi gestae expositio a principio usque ad finem. Dicitur *rei gestae* vel *quasi gestae* expositio, quia narrationis argumentum etiam fictum esse potest; additur autem *a principio usque ad finem*, quia narratio rem totam exsequitur *).

*) Neque igitur quoties factum aliquod commemoramus, vel partem eius aut adiuncta exponimus, narratio vocatur; sed cum et initium, et progressum, et exitum ostendimus.

Art. I.

DE NARRATIONE IN UNIVERSUM

Quid postulet veritas n. 189; quid probabilitas n. 190; quid de dispositione n. 191; quae in principio, in progressu et conclusione servanda n. 192; unde suavitas in narrando; quae elocutio deceat n. 193.

189. In rebus, quas narrabimus, consideranda est veritas et probabilitas.

Veritas postulat, ut non solum actio ipsa, sed adiuncta etiam, saltem praecipua *), ita narrentur, ut ea evenisse compertum est. Haec veritas historico quidem semper, oratori autem, quoties ex rebus gestis argumenta petit, sectanda est.

*) Quae levioris momenti sunt, cum saepe ignorentur, vel inferri ex cognitis, vel etiam ex probabili ratione addi possunt; in quo paulo maior oratori, quam historico libertas datur. Id tamen utrique providendum, ut, quae sic adduntur, cognitam veritatem non solum non adulterent, sed magis etiam illustrent.

190. *Probabilis* narratio est, quae fidem sibi apud audientes facit. Id autem obtinebimus, si personis, si temporibus, si locis ea, quae narrabuntur, consentient; si cuiusque facti et eventi causa ponetur; si cum hominum opinione, auctoritate, si cum lege, cum more, cum religione coniuncta; si probitas narrantis significabitur, si antiquitatis memoria, si orationis veritas et vitae fides *). Part. 9.

*) Probabilitas haec in omni narratione necessaria est. Ubi enim ad veritatem narrandum est, satis non erit, ea, quae dicuntur, vera esse, nisi etiam vera esse videantur. Quando autem ad delectandum narratione utimur, ea ipsa, quae ficta sunt, placere non poterunt, nisi veris simillima fuerint.

191. Ita autem narratio disponenda est, ut qui audiunt, rem gestam totam animo complecti et intueri facile possint. Quod ut obtineamus: 1. Efficiendum est, ut *sit quodvis simplex dumtaxat et unum*, abiectis, quae ad rem non pertinent *), multoque magis, quae ab ea etiam abhorrent **).

*) Saepe, quae eodem tempore et loco acciderunt, cum re, quam tractamus, aliquo etiam modo coniuncta sunt, ita tamen, ut ad eam cognoscendam parum vel nihil contulerint. Haec si persequeris, narrationem languidam et impeditam, saepe etiam confusam reddideris.

**) Peius faciunt, qui arrepta quavis vel etiam quaesita occasione ad dissita digrediuntur; et pessime, qui neque rerum indolem respectantes, summa imis, parvis grandia, dulcia horridis insulsa varietate miscent (n. 124).

2. Is deinde rerum ordo et nexus quaerendus est, quo fiat, ut actio primaria per varios casus et vicissitudines paullatim ad exitum progrediens distincte notetur. Ac generatim quidem ita narrandum est, ut quae consequuntur, ex iis, quae antecesserunt, intelligi queant; nec fere narrationis cursus (nisi forte orator id faciat ad finem sibi proprium) interrumpendus.

3. Sectanda nobis est ea, quam Fabius dixit, *brevitas integra* (n. 131), ut nulla re praetermissa, quae ad facti causas, progressum et exitum ostendendum necessaria est, ex reliquis ea tantum addamus, quae ad finem, propter quem narramus, aliquantum conferunt.

192. Porro ut facti *causae* cognoscantur, saepe necesse est, brevem aliquam rerum expositionem praemittere. Sed haec principia non longius petenda, ut

Qui gemino bellum Troianum orditur ab ovo;
Ars. p. 147.

et distincte quidem, at minime fuse significanda sunt.

In *progressu* quoque, ut Tullius iam monuit, facti et eventi cuiusque causa ponenda, nec tamen morandum in minutis, praesertim iis, quae etiamsi dicta non fuerint, per se ipse quisque cogitabit; ut: *In portum veni, navem paratam aspexi, de pretio conveni, sublatae sunt anchorae, e portu solvi.* Satis erat dixisse: *E portu solvi.* Qt. 4, 2.

Concludi narratio ita debet, ut, qui audiunt, neque dubitatione suspensi haereant, neque necesse

sit, quid personis rebusque factum sit, singillatim enarrare. Hoc enim inde ab initio providendum erit, ut cum absolvitur narratio, rei totius exitus paucis possit significari.

193. Placet autem maxime et voluptate homines in audiendo retinet narratio, quae excitat animorum motus. Hinc Tullius: Suavis narratio est, quae habet admirationes, exspectationes, exitus inopinatos, motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, laetitias, cupiditates (Part. 9). Quos tamen motus vide, ut rerum ipsarum ad vivum significatione efficias, non vero frequenti exclamatione, magnificis verbis et saepe interposita consideratione quasi obtrudere videaris.

Elocutio, etsi varia sit pro rerum genere et fine narrationis, generatim tamen lucidissima, excitata, magisque concisa quam diffusa esse debebit.

Art. II.

DE VARIIS NARRATIONUM GENERIBUS

Quomodo narratio historica, poëtica et oratoria fine et forma differant; num quae alia divisio n. 194; quae de simplice narratione praecipiantur n. 195; quo ab ea differat ampla n. 196; quid de huius exordio, rerum selectu et ordine n. 197; quae elocutio n. 198; quae praecipua ornamenta n. 199.

194. Tria plerique narrationis genera ponunt: historicam, poëticam, oratoriam, quae et fine et forma differunt.

Historicus enim narrat, ut, quid gestum sit, pro rei veritate ostendat; poeta, ut illustri rerum specie delectet; orator, ut sive arguendo sive conciliando sive commovendo persuadeat.

Ut vero fini *forma* narrationis respondeat, historicus fere ordinem temporis in narrando servans, et dicendi ornatum modeste usurpans, omnia sic exponit, ut rei gestae quam verissimam imaginem exprimat; poeta contra rerum seriem frequenter invertit, eamque totam ad pulchritudinis speciem fingendo accommodat, in verbis et sententiis omni cultu et lepore liberrime utens; orator ante omnia probabilem facit narrationem, in re gesta ea, quae sibi futura sunt utilia, maxime ostendit, et diverso pro re nata dicendi genere utitur.

Schol. Alii etiam scriptores, ut qui artium praecepta vel graviores disciplinas tradunt, inter disputandum narrare solent, sive ut doctrinam vitae exemplo illustrent, sive ut varietate rerum studium in legendo erectum teneant. Ac prisci quidem non solebant narrationes scribere, nisi quas aliis operibus, ut orationi, dialogo, epistolae intexebant; recentiores autem narrationem etiam extra contextum maioris operis ut genus proprium usurpant, quod ut est maxime ad delectandum compositum, ita etiam forma et fingendi libertate ad poëticam rationem propius accedit.

Quoniam vero ad eundem finem non una via itur, et praeterea non fini tantum, sed etiam rerum generi oratio accommodanda est; aliae multae divisiones fieri possunt, quarum nos eam inprimis consideremus, quae narrationem simplicem et brevem ab ampliori secernit *).

*) Oratoria etiam et ipsa poëtica narratio hanc divisionem admittit; sed nobis nunc de historica potissimum agendum est. Leges enim, quas sive orator sive poëta in narrando sequitur, nisi utriusque artis natura perspecta, intelligi vix possunt.

195. *Simplex* igitur narratio rem ordine, quo gesta est, presse et vix non nude, distincte tamen et iucunde exponit.

In ea cuncta praecepta, quae de narratione in universum tradita sunt, servari possunt et debent. Itaque et causas actionis et progressum et exitum distinguemus, et quo est minutius opus, eo diligentius aliena resecabimus. Sed illa quoque, quae ad motus animorum pertinent, non dimittenda; quandoquidem haec paucis etiam, at lectis verbis et significantibus, consequi poterimus. Rem disce exemplo :

DIONYSIUS ET DAMOCLES

Cum quidam ex eius assentatoribus, Damocles, commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum, negaretque umquam beatiorem quemquam fuisse: Visne igitur, inquit, Damocle, quoniam haec te vita delectat, ipse eamdem degustare, et fortunam experiri meam? Cum se ille cupere dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque complures ornavit argento auroque caelato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eosque nutum eius intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronae, incendebantur odores, mensae conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium, e lacunari seta equina aptum, demitti iussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pul-

chros illos ministratores adspiciebat, nec plenum artis argentum; nec manum porrigebat in mensam; iam ipsae defluebant coronae: denique exoravit Tyrannum, ut abire liceret, quod iam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil ei esse beatum, cui semper aliquis terror impendeat?

Tusc. 5, 21.

Giambullari. Storia d' Europa l. 1. *Morte di Suembaldo.*

196. *Ampliorem* dico narrationem, quae rem gestam accuratius pertractat, et partes eius singulas uberiori sermone exsequitur. Itaque vel sola hac amplitudine vel praeterea eloquendi etiam ornatu a simplici narratione distinguitur.

197. Ut vero in tali narratione id, quod apta dispositione quaerendum esse dixi (n. 192), facilius obtineatur,

1. Incipi solet a descriptione loci, cuius facies universa paucis delineanda; partes quoque illae, quae aliqua ratione cum re, quae narratur, coniunctae sunt, notandae, sed hae vel a principio vel in decursu narrationis. Duo enim haec prospicienda sunt, ne loci descriptio partium expositione longior et implicatior fiat, nec vicissim narrationis cursus earundem notatione interruptus turbetur*).

*) Nonnulli praesertim ex recentioribus, in locorum ratione quandam similitudinem quaerunt eorum motuum, quos res narranda in animis efficere possit, in quo tamen facile in κακοζηλον itur (n. 137). Etiam morum notatio praemittitur, sed raro, nec nisi illorum hominum, qui eminent.

2. In ipsa expositione selectus rerum habendus est, ut gravissimae quaeque, eae praesertim, ex

quibus multa alia sponte intelliguntur, reliquarum vero paucae ad delectationem et ornatum assumantur.

3. Ordo autem rerum triplex usurpatur; primus est ipsius temporis, quo res acta est; alter ex rerum gravitate petitur; tertius partes facit tum rei tum temporis. Porro ex rerum gravitate ordo sumitur, cum res princeps narratur tota ex ordine temporis, deinde adiuncta maioris momenti separatim. Sic Livius in transitu Rhodani, I, 21. Tertius vero ille ordo, ut exemplo utar, in pugnae descriptione servatur, cum exponitur, quid a singulis partibus exercitus primis horis, quid insequentibus, quid denique in fine gestum sit. Vide apud Livium pugnam Cannensem l. 22 et alias passim.

Schol. Qui ficta argumenta soluta oratione tractant, in eo quoque poëtas interdum imitantur, ut rerum ordine inverso a media actione incipiant, quod nec saepe et admodum caute agendum est, ne scilicet ipsa insolentia non opportuna offendat, vel ordo perturbatus officiat claritati.

198. Eloquendi ratio pro natura rerum, quas narramus, e triplici dicendi genere distingui potest, ut modo tenuis, modo gravis sit, modo media inter utramque: semper tamen ea, quae historicae narrationis sunt propria, servabimus.

Itaque si quando contingit, res nec magnitudine graves, nec mirabilitate illustres uberius enarrare, sit purus ille et prope quotidianus sermo, parco cultu et illaborato nitens. At cum narranda est res grandis, atrox, miserabilis, ut pugna, seditio, terrae motus, praeclarum facinus vel scelus insigne; assumendus est ornatus illustrior, firmus ta-

men et virilis, qui copiam rerum cum brevitate sermonis coniungat. Vide apud Livium l. 1. Horatiorum et Curiatiorum certamen. — Expolitum autem et floridum dicendi genus praecipue in fictis narrationibus usurpant.

Ceterum hae dicendi species si alibi quoque accurate discerni saepe nequeunt (n. 150), in narratione multo minus inter se distant. Nam neque ornatus ille grandior ad oratoris vehementiam et copiam, neque haec politior venustas ad cultum usque poëticum accedere debet.

199. Inter ornamenta autem, quibus illuminatur narratio, praeter *hypotyposin*, praecipue notanda est *sustentatio*. Exspectationes enim et exitus inopinati miram saepe vim ad commovendos animos habent; quibus tamen cave ne in rerum cursu vulgari utaris; nihil enim hoc frigidius. Commendatur etiam *meditatio* sive oratio narrationi interposita, qua, quid in re, quae narratur, considerandum sit, ostendimus: quae si rara est, brevis et sapiens, multum ornat. Fieri autem saepe potest simplici sententia, maxime epiphonemate (n. 114).

CAPUT III.

DE DESCRIPTIONE

Quid sit et quae eius genera.

200. Descriptio generatim est rei cuiuslibet accuratior expositio. Dividitur si forma consideratur, ut narratio; si materia, in descriptionem rerum, et notationem morum.

Tertium nonnulli genus addunt, descriptionem casuum et rerum gestarum; sed ea potius narratio dicenda.

Art. I.

DE DESCRIPTIONE RERUM

Quod huic generi propositum n. 201; quid de argumenti meditatione et rerum selectu n. 202; quae dispositio conveniat n. 203; quae elocutio n. 204; quid de usu n. 205.

201. Hoc descriptionis genus non tam commutationes, quae per casus vel actiones eveniunt, quam naturam rerum et statum permanentem explicat. Ut autem perdifficile est, quae sibi tempore succedunt, pingendo exprimere, ita non minimi est operis, quae in locorum spatiis iuxta se collocata sunt, sermone dilucide explicare. En exempla in quibus tibi deinceps praecepta ostendam.

1. Plinius regionem, in qua sita erat ipsius villa, amico describit:

Regionis forma pulcherrima. Imaginare amphiteatrum aliquod immensum, et quale sola rerum natura possit effingere. Lata et diffusa planities montibus cingitur. Montes summa sui parte procera nemora et antiqua habent; frequens ibi et varia venatio. Inde caeduae sylvae cum ipso monte descendunt. Has inter pingues terrenique colles (neque enim facile usquam saxum, etiamsi quaeratur, occurrit), planissimis campis fertilitate non cedunt, opimamque messem serius tantum, sed non minus percoquunt. Sub his per latus omne vineae porriguntur, unamque faciem longe lateque contexunt. Quarum a fine, imoque quasi margine arbusta nascuntur: prata inde campique. Campi, quos nonnisi ingentes boves,

et fortissima aratra perfringunt: tantis glebis tenacissimum solum, cum primum prosecatur, assurgit, ut nono demum sulco perdometur. Prata florida et gemmea trifolium aliasque herbas, teneras semper et molles, et quasi novas alunt. Cuncta enim perennibus rivis nutriuntur. Ibi aquae plurimum, palus nulla: quia devexa terra, quidquid liquoris accepit, nec absorbuit, effundit in Tyberim. Medios ille agros secat, navium patiens, omnesque fruges devehit in urbem, hyeme dumtaxat et vere: aestate summittitur, immensique fluminis nomen arenti alveo deserit, autumno resumit. Magnam capies voluptatem, si hunc regionis situm e monte prospexeris. Neque enim terras tibi, sed formam aliquam, ad eximiam pulchritudinem pictam, videberis cernere; ea varietate, ea descriptione, quocunque inciderint oculi, reficiuntur. Ep. 5, 6.

Maffei. Storia delle Indie trad. dal Serdonati. *L'Isola di Taprobana.*

2. Cicero de providentia divina disputans:

Licet enim iam, ait, *remota subtilitate disputandi, oculis quodammodo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas divina providentia dicimus constitutas.*

Ac principio terra universa cernatur, locata in media mundi sede, solida et globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines, immensitatesque

camporum: adde etiam reconditas auri argentique venas, infinitamque vim marmoris. Quae vero, et quam varia genera bestiarum vel cicurum vel ferarum? qui volucrum lapsus atque cantus? qui pecudum pastus? quae vita sylvestrium? Quid iam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terrae constituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferrari, nec stirpium asperitate vastari: quorumque operibus agri, insulae, litoraque collucent, distincta tectis et urbibus. Quae si, ut animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram de divina ratione dubitaret.

At vero quanta maris est pulchritudo? quae species universi? quae multitudo et varietas insularum? quae amoenitates orarum et litorum? quot genera quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium et innantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhaerentium? Ipsum autem mare sic terram appetens litoribus alludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur.

Exinde mari finitimus aer die et nocte distinguitur, isque tum fusus et extenuatus sublime fertur; tum autem concretus, in nubes cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus; tum effluens huc et illuc, ventos efficit. Idem annuas frigorum et calorum facit varietates; idemque et volatus alitum sustinet, et spiritu ductus alit et sustentat animantes.

Restat ultimus, et a domiciliis nostris altissimus, omnia cingens et coercens, caeli complexus, qui idem aether vocatur, extrema ora et determinatio mundi: in quo cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos definiunt. De nat. deor. 2, 39.

202. Huiusmodi igitur descriptionem facturus

inprimis rem ipsam recte, dilucide et acriter cogita, quin etiam in ea contemplanda mentem usque defige. Illud deinde quaere, quod pro rei natura et descriptionis fine praecipuum est, ad quod reliqua referantur *).

*) Hoc praecipuum, quam nonnulli vocant descriptionis notam characteristicam, Plinius enuntiavit: *Regionis forma pulcherrima*, apud Ciceronem a fine cognoscitur; vult enim ex admirabilitate rerum omnium rectorem mundi et moderatorem demonstrare. Nisi vero hoc cognitum habueris; nec rerum dicendarum nec verborum ipsorum delectum recte instituere poteris.

Ex iis, quae in re meditanda notasti, deligenda sunt, quae maius aliquod momentum habent, et generatim pauca, praesertim cum describuntur inanima *). Momentum autem illud ex ratione, quam quaeque cum fine descriptionis habent, aestimandum est. Illud etiam recte monent, in minutis rebus, maxime si delectandi gratia describantur, diffusius orationem versari posse. — Vide de Senect. c. 15.

*) Nusquam alibi magis, quam in hoc genere multitudo rerum sermonem inobscurat; vide, quam pauca Cicero ex rerum universitate delegerit, quam multa etiam Plinius transierit. — Omnino id statuas, hanc rerum brevitatem, sed eam sagaciter delectam, tanti esse, ut nihil pluris (n. 131).

203. De dispositione si quaeris, initio fere convenit, totius rei lineamenta paucis adumbrare, partes deinde ita sine saltu et intercapedine percurre, ut is, qui legit, quam facillime animo sequi, et universae rei speciem intueri possit *).

*) Prima illa lineamenta fecit Plinius: *Imaginare amphiteatrum aliquod immensum, et quale sola rerum natura possit effingere.*

Lata et diffusa planities montibus cingitur. — Cicero: *Ac principio terra universa cernatur, locata in media mundi sedes solida et globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata.* — Vide deinde, quam lenis, quam naturalis sit apud utrumque ad varias partes transitus, quam facilis totius rei aspectus. Id quidem in opere alieno consideranti facile factu videtur, quia scilicet naturale est: sed experienti vix quidquam difficilius

204. Verba quoque selecta sint, et pauca. Seligenda autem sunt maxime propria, significantia et vivida, ut illa: *fontium gelidas perennitates*, et quae sequuntur in eadem periodo: — *quorumque operibus agri, insulae litoraque collucent; — quot genera, quamque disparia inhaerentium etc.; volatus alitum sustinet etc.* Vulgaria, si multa sunt, lentam et obscuram orationem reddunt; magnifica vero et splendida, si in rem conveniunt et modice usurpantur, procul dubio exornant; sin minus, fastidio erunt. Ita in pictura iusta variorum colorum temperatio, non prodiga lucidissimorum effusio laudatur.

Illud tandem in hac descriptione praecipue cavendum est, ne languescat: quare iuverit quae in rebus consideras, ad hominum vitam referre, actiones, casus, colloquia, animi motus paucis verbis intexere.

205. Quod denique ad usum pertinet, generatim haec rerum descriptio sit rara, nisi operis ratio frequentiam fecerit necessariam. Nam qui voluptatis causa multas easque longas huius generis descriptiones libro intexunt, vel, quod peius est, iis solis librum componunt, quam quaerunt, legentis delectationem, minime assequuntur. Maximi quique scriptores tum prisci tum hodierni rari, mediocres in hoc genere frequentissimi esse solent.

Schol. Commemorari hic etiam solet *imago oratoria* vel *poëtica*, quae est rei vel personae brevissima descriptio, ut:

Aeneas moesto defixus lumina vultu
Ingreditur. Aen. 6, 156.

Erat admodum amplum et excelsum signum cum stola; verumtamen inerat in illa magnitudine aetas atque habitus virginalis. Sagittae pendebant ab humero; sinistra manu retinebat arcum. dextra ardentem facem praeferebat. De sign. 34.

Art. II.

DE NOTATIONE MORUM

Quid per mores intelligatur; quibus rebus notentur n. 206; quae huius descriptionis sint dotes n. 207; qualis elocutio n. 208.

206. Vocabulo morum hic non tam ipsi mores, quam eorum proprietas designatur, quam graeco vocabulo *character* dicimus. Χαρακτήρ enim generatim nota est, qua res alia ab alia discernitur. Quare cum de homine loquimur, propriam quandam eius conformationem intelligimus, qua distinguitur ab aliis.

Itaque morum notatio iis rebus constat, quibus propria hominis conformatio effici, quibusque cognosci solet Efficitur autem non a sola cuiusvis natura et indole, sed etiam a patria, aevo, educatione, aetate, vitae genere et consuetudine. In ipsa deinde descriptione non modo animi et corporis dotes in universum significantur, sed modus etiam loquendi, agendi, iudicandi; lineamenta oris, et totius corporis figura; incessus, habitus denique totus; quia his omnibus, qui et qualis homo sit, deprehenditur.

Missus Hannibal in Hispaniam primo statim adventu omnem exercitum in se convertit. Hamilcar em

iuvenem redditum sibi veteres milites credere; eumdem vigorem in vultu vimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri; dein brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. Nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit. Itaque haud facile discerneres, utrum imperatori, an exercitui carior esset: neque Hasdrubal alium quemquam praeficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset; neque milites alio duce plus confidere, aut audere. Plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat; nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat; caloris ac frigoris patientia par; cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate, modus finitus; vigiliarum somnique nec die, nec nocte discriminata tempora; id quod gerendis rebus superesset, quieti datum: ea neque molli strato, neque silentio arcessita; multi saepe militari sagulo opertum, humi iacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter aequales excellens; arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus erat; princeps in praelium ibat: ultimus confecto praelio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia aequabant: inhumana crudelitas; perfidia plus quam Punica; nihil veri, nihil sancti, nullus deûm metus, nullum iusiurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutum atque vitiorum triennio sub Hasdrubale imperatore meruit: nulla re, quae agenda audendaque magno futuro duci esset, praetermissa. Tit. Liv. 21, 4.

Pallavicini, Storia del Conc. di Trento. l. 1. c. 4. *Carattere di Lutero.*

207. Notatio morum sit vera, propria, definita et aequabilis. *Veritas* in hominibus, de quibus historiae referunt, summa fide tenenda est; in personis fictis veri sit quam magna similitudo. Ut *propria*, id est minime communis sit, iuvat inprimis notare, quae eminent, et tamquam primaria quaedam lineamenta designari poterunt. Ceterum hinc est, cur homines vulgares, qui a reliquis nihil admodum differunt, huic descriptionis generi non conveniant. — *Definita* plerumque erit notatio, si propria est. Videndum tamen, ut quae sunt in rebus propria, verbis etiam minime vagis enuntiemus. Proderit etiam saepe disparia coniungere, modo *aequabilis* notatio sibique constans maneat, ut nihil in sequentibus occurrat, quod prioribus repugnet.

208. Elocutio optima acris, concisa et gravis.

Lucius Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, vigiliae, algoris supra quam cuiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius, cuiuslibet rei simulator ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Sall. Cat. 5.

Schol. Neque singulorum modo hominum mores, sed etiam populi et aetates populorum eadem ratione describuntur. Vide apud Sall. Cat. c. 8.; Tacit. Germ. c. 14.; Demosth. Phil. III et Olynth. III.

CAPUT IV.

DE VITIS

Quid huic generi propositum; quae prima cura n. 209; quis rerum delectus habendus n. 210; quae de ipsa narratione n. 211.

209. Vita hic dicitur narratio vel descriptio vitae. Huic autem generi propositum est, una cum actis fatisque indolem hominis et mores ostendere.

Prima igitur cura esse debebit, ut persona seligatur, cuius vita et mores digna sint, quae memoriae prodantur. Gesta quidem et eventa magna esse et insolita, necesse non est, quamquam id melius; at certe ingenium et mores illius, cuius vita scribitur, ne sint communes, res vero gestae saltem cognitu iucundae.

210. Rerum, quae permagni momenti sunt, nullam esse omittendam, patet, reliquarum ad propositum huius operis et legentium delectationem prudentissimus selectus faciendus.

Saepe enim rebus parvis iisque perpaucis indoles et mores praeclare ostenduntur, quod exemplo Xenophontis monstratur n. 131. Ut vero narratio varietate delectet, non semper in rebus illis gravissimis versari debet, sed aliquando iucunda, licet per se ipsa minora, tractare.

Digressiones autem in hoc genere et utiles et iucundae esse poterunt, praesertim in aliorum hominum vel temporis, quo is cuius narrantur fata vixit, historiam.

211. Iam vero in ipsa narratione haec potissimum servanda sunt: 1. Ut res verae certaeque esse debent, sic etiam in iis demonstrandis nulla sit intemperantia, quae sive ad laudandum, sive ad vituperandum a veri ratione deflectat. 2. Causae autem et rerum nexus ita ostendendi sunt, ut non solum intelligatur, qualis ille fuerit, cuius vita narratur, sed etiam quomodo talis effectus sit. 3. Stilus denique etsi generatim simplicis narrationis est, tamen pro re nata ad illud ornatius describendi genus aliquando assurgit.

CAPUT V.

DE HISTORIA

Quot sint historiae genera; quis fructus n. 212; quae prima historiae lex n. 213; quae porro in rebus ipsis praestanda n. 214; quae stili historici virtutes n. 215; quid de concionibus n. 216; quae harum forma n. 217; quae elocutio, et unde in hac perspicuitas, vis, brevitas et motuum celeritas n. 218.

212. Historiae triplex est divisio; in generalem et propriam (vel specialem); in sacram et profanam; in chronicam, pragmaticam et philosophicam. — *Chronica* dicitur, quae res nude et simpliciter ordine, quo evenerunt, adnotat; *pragmatica* quae causas quoque eventorum ostendit, omnemque rerum varietatem uno quodam vinculo continet; *philosophica*, quae in fatis hominum et rebus gestis aeternae sapientiae rationes demonstrat.

Haec ergo postrema non tam historia, quam disputatio de historia dicenda est; contra illa quae chronica dicitur, materiam tantum subministrat scribendae historiae, unde medium illud genus est, quae vere et proprie dicitur historia *).

*) Nonnullis tamen libris, qui modestum nomen *annalium* vel *commentariorum* ferunt, iusta historia continetur.

Historia autem non id modo efficit, ut eorum, quae ante nos gesta sunt, memoriam conservemus, sed etiam, ut recte eadem iudicemus *).

*) Ex hoc intelligitur admirabilis historiae utilitas, quae cum sit testis temporum et nuntia vetustatis, iure est vitae magistra et lux veritatis a Tullio appellata (De or. 2, 9). Si enim ipsa vita nos experientia multarum rerum erudit; historia non unius aetatis nec paucorum hominum, sed multorum populorum et omnium aetatum gestis et fatis ante oculos positis, demonstrat, quid res quaevis in usu vitae, quid in civitatum administratione valeat. Tum eadem invicto robore confirmat, quae sapienter de virtute et vitio praecipiuntur; necnon quae de Dei adoranda providentia sancte credimus, velut magno in spectaculo revelat. Accedit ad mentis eruditionem animi in omnem honestatem inflammatio, et ipsa delectatio humanissima.

213. Prima autem est lex historiae, ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat *); ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis **). De or. 2, 15.

*) Hac lege historicus hoc magis tenebitur, quod sive fingendo sive tacendo mendax esse non poterit sine magna in plurimos et saepe in universum genus humanum fraude et iniuria.

**) Non solum tamen hominum gratia vel simultas, sed virtutis quoque et praecipue religionis odium vel ignoratio persaepe facit, ut a veritate historici deflectant. Et tale quidem pretium studium omni alio detestabilius est.

214. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de consiliis significari, quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari, non solum quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo, et cum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes vel casus vel sapientiae vel temeritatis; hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui fama ac nomine excellant, de cuiusque vita atque natura. Id.

Schol. Scriptorem, quid probet, significare, recentiores nonnulli vetant, quin etiam ita scribere iubent, ut ne appareat quidem, quam religionem, quas vivendi rationes sequatur. Cavere quidem historicus debet, ne veritatis, quamvis certae et sanctae amore res aliter accidisse vel credat vel narret, quam reapse acciderunt, in iudicandis etiam rebus et personis parcus et brevis esse debebit; sed ut nulla ratione, quid sentiat, declaret, non est postulandum. Nam ut illud mittam, non esse postulandum, quod fieri a nemine possit; hoc novum praeceptum ex impia doctrina derivatum est, quae nullam esse veritatem ponit, de qua hominibus satis constiterit, quamque in dubium vocare nefas sit. Deinde, ut recte notavit Blair, hoc modo historia dignitate spoliatur sua, iniucunda fit et frigida. Prael. 30.

215. Stilus praeter dilucidam rerum demonstrationem inprimis dignitatem habeat et suavitatem. *Dignitas* non iocos solum et ineptias, sed etiam ornamentorum luxuriem, maxime autem vilia quaevis et inficeta excludit. De *suavitate* autem Tullius: Genus orationis, fusum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabili profluens, sine hac iudiciali asperitate et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est. l. c.

216. Scriptores veteres narrationi frequenter oratiunculas intexere solebant: quae *conciones* vulgo appellantur, propterea quod pleraeque ad plebem vel milites habebantur.

Schol. Hoc ornamentum, quod omnes mirifice delectare fatentur, plerique tamen hodie reiiciunt, eo quod omnis fictio historiam dedeceat. Responderi possit, non tantam esse in ea re fingendi licentiam, quanta prima specie videatur; sed quidquid sit de hac controversia, ut cum utilitate historicos legas, id enim solum praecepta nostra spectant, aliqua de his orationibus praecepta breviter tibi proponam, iam nunc non inutilia, post explicatam vero rethoricam maiori fructu recolenda.

217. Harum igitur concionum forma fere est simplicissima: 1. Modo breve exordium ab adiunctis praemittitur, modo statim ad rem ipsam et animorum motus venitur. 2. Afferuntur deinde argumenta pauca, sed selecta; plerumque ex iis quos locos morales dicunt, petita, ab honesto scilicet, utili, facili, glorioso, iucundo, necessario. 3. Ex his illa primo loco ponenda sunt, quae non solum attentionem quamlibet, sed motus animorum excitare possunt. Ultimo autem loco argumentum maxime robustum tractari solet. 4. Plerumque conclusio verbis paucis, sed robore plenis subiicitur.

218. Dictio ad popularem sensum et rerum, quae aguntur, conditionem sit accomodatissima. Ex quo generali documento non solum colligitur, quae sint virtutes dicendi in hoc genere maxime petendae, sed etiam quo pacto obtineri possint.

Requiruntur scilicet perspicuitas summa, vis, brevitas et motus celerrimi. Porro

Perspicuitas obtinetur, si seligantur argumenta.

quae paucis et apertis rationibus declarari possunt: si illustrentur maxime similitudinibus, exemplis, comparatis et contrariis; si verba sint usitatissima et luminosa, ambitus non implicati et plerumque breves.

Vis nascitur ex argumentis, quae a praesenti rerum statu deprompta, et consentanea sunt indoli et studiis eorum, qui audiunt: hi autem solent rebus necessariis et utilibus praecipue commoveri. Verborum vis cum ex iis oritur, quae generatim orationem gravem faciunt, tum maxime ex reliquis duabus virtutibus:

Brevitas tum rerum tum verborum hic eo magis sectanda, quod in ea rerum conditione, in qua tales conciones habentur, multitudo hominum minus etiam, quam alias in rem unam diu animum intendere solet.

Celeres autem *motus* agitare eam orationem debent, quae non modo rem agendam spectat, sed ipsas inter res agendas habetur, et plerumque ad subitaria consilia incitat.

CAPUT VI.

DE DIALOGO

Quid sit dialogus, et quibus a vera collocutione differat; quomodo dividatur n. 219; quae sint partes eius; quid de exordio n. 220; quid in tractatione praestandum n. 221; quid in conclusione n. 222; quae deceat elocutio n. 223; quid de personarum moribus n. 224.

219. Dialogus hic dicitur scriptum, in quo duo vel plures de re certa et definita colloquentes fa-

cimus. Fit ergo ad imitationem verae collocutionis, sed tribus ab ea differt: 1. arctius in re una continetur; 2. rem pro consilio scriptoris totam absolvit et accuratius expendit; 3. dicendi modum postulat paulo elegantiorem, fere ut de epistola dictum est (n. 178).

Dividunt dialogos in *philosophicos* et *describentes*. In illis doctrina aliqua traditur vel quaestio agitatur, quales sunt Ciceronis et Platonis; in his hominum indoles, mores et vitae rationes per ipsorum sermones declarantur, ut apud Lucianum. — Sed huic divisioni non nimis inhaerendum est. Nam ipsa dialogi natura ita fert, ut et cum quaestio philosophica disceptatur, colloquentium mores atque ingenia monstrentur, et cum horum notatio maxime intenditur, argumentum tamen aliquod paulo accuratius sermone tractetur. Quin etiam ambo genera omnino permisceri possunt, ut apud Xenophontem in memorabilibus Socratis. Et hoc quidem mixto genere optime monstrari potest, quo pacto ex indole atque moribus hominum plerumque pendeat sententia, quam quisque de re controversa sequatur.

220. Partes dialogi distinguuntur exordium, tractatio, conclusio. Quae vero de his dicuntur, potissimum philosophico conveniunt.

Exordium, in quo personae et argumentum dialogi innotescere debent, peti solet a causa et adiunctis colloquii *).

*) Huiusmodi ingressus si apposite sapienterque inventus sit, non vulgari ornamento est. Vide Cic. de orat. et Plat. Phaed. — Sed tamen non solum Lucianus in brevioribus illis dialogis, sed nonnunquam etiam Plato in gravissimis, omissa narratione, ab ipso colloquio incipit.

Saepe autem dialogus a narratione non tantum inchoatur, verum eadem iucunde interrumpitur. Quod genus recentiores, ut qui divisionum et nominum sint studiosiores, *historicum dialogum* appellant.

221. In *tractatione* quaestio proposita excutienda atque omni ex parte illustranda est. Quapropter danda est opera, ut argumenta apte et distincte disponantur, dilucide et accurate explicentur. In quo videndum erit, ut, quae ad suavitatem conciliandam inseruntur, episodia parva, interrogationes et id genus alia, rerum ordini et subtili tractationi non solum ne officiant, sed etiam inserviant; quod qui fieri possit, opera iam laudata attente legentibus commonstrabunt.

In hac autem disceptatione personarum ratio duplex est: aut enim inter colloquentes unus est doctrina et aetate conspicuus, ut magister inter discipulos, senex inter adolescentes; aut variae de argumento sententiae ita inter colloquentes distribuuntur, ut singuli, quod verum putant, contra alios certando defendant. Hoc cum fit, nonnunquam etiam arbiter controversiae statuitur.

222. In *conclusione* nunc colloquentes de sententia una conveniunt, nunc in sua quisque opinione persistunt, nunc etiam sermonem abrumpunt. Et abrumpi quidem dialogus potest, cum quaestio pro scriptoris consilio satis excussa est; nunquam autem temere et inconsulto. Ceterum naturalis et conveniens exitus haud raro perquam difficilis est inventu.

223. Dicendi genus, etsi generatim tenue esse debeat, pro rerum tamen personarumque condi-

tione aliquando ad medium, quin etiam ad sublime attolli potest. Virtutes autem dialogi propriae sunt *nativa et simplex rerum expressio*, dictio *facilis* et ad similitudinem vitae composita.

224. Quoniam denique in quovis dialogo multum refert, colloquentium naturam et mores quam optime effingi, omnia, quae hac de re supra praecepimus, hic quoque sollerter custodienda sunt *); illud autem inprimis videndum, ut notetur proprietas, qua eorum, qui disputant, mores distinguuntur.

*) Praecepta de notatione morum in dialogo multo sunt difficiliora servatu, quod in eo mores non continenti descriptione, sed sermocinandi ratione sensim ostenduntur. Et quia item magni laboris est, rem ad disputandum propositam per colloquia iucunde et tamen definite et subtiliter exponere; ideo ad hanc formam dicendi permagna facultas, non quibusvis data requiritur. Scientia quidem rerum, quae disceptantur, tanta opus est, ut eas non modo totas teneas perspectas, sed etiam in omnem possis partem cogitando facillime versare. Accedat oportet humanarum rerum non vulgaris cognitio, decori sagacissimum iudicium, et plurima dicendi exercitatio.

ARTIS DICENDI

PARS TERTIA

DE POESI

Liber primus

DE POESI IN UNIVERSUM

CAPUT I.

DE POESIS NATURA, FINE ET CAUSA

Quid sit poësis, et quo differat a soluta oratione n. 225; quis finis eius; quid de mediocri poeta n. 226; quae mentis facultas et habitus in poeta requiratur; an necessarius ille, qui furor dicitur n. 227; num natura per se sola sufficiat n. 228.

225. Poesis est ars dicendi, quae exprimit pulchritudinis speciem vitam cum fictione imitando. Itaque *propositum* poesi, pulchri speciem exprimere; pulchrum autem hic vocatur, quidquid sola sui cognitione animum voluptatis sensu afficit (n. 1.); ergo non solum suave, formosum, illustre, sed sublime quoque, grave, admirabile. 2. Speciem, quam mente tenet, exprimit poeta vera ac potissimum *vitam imitando*, ut scilicet pulchra

iis rebus, in quibus apparent, ostendat. 3. Dicitur postremo cum *fictione* imitari, quia non tenetur res, quales sunt et contingunt, fideliter enarrare, sed quales esse possunt vel debent, libere excogitat; ita nimirum vera, quae imitatur, fictione mutando, ut quam animo concepit venustatis formam, luculenter possint demonstrare: hinc ipsum nomen ποίησις, i. e. effectio seu procreatio. Quae tamen non sic accipienda sunt, ut, quae dicat poeta, conficta esse debeant, verum ut possint; nihil cum referat, ficta an vera, modo verisimilia et ad carminis propositum accommodata sint (1). Haec ergo imitatio coniuncta cum fingendi libertate, quae omnia ad operis pulchritudinem refert, propria est poësis *forma* ac natura.

Itaque a soluta oratione differt poësis praecipue quidem proposito et forma, at etiam ornatu sermonis et numeris.

Etsi enim solutae quoque orationis opera venustate delectent, non tamen ea in re finem constitutum habent; sed proposita est singulis propria quaedam vitae utilitas, et hanc ut consequantur, omnes tenentur eorum, quae dicunt, *veritatem* demonstrare. Ut autem poësis fingendo a rerum communi cursu, sic eloquendo a vulgari sermone frequentius et audacius deflectit, neque contenta communi illa, quam orator usurpat, vocum moderatione, certis et definitis numeris sive metro se adstringit, omnia ad maximam, quam potest,

(1) Haec non ad sensa poëtae, quae procul dubio vera esse debent, sed ad res externas et facta, quibus illa exprimit, referenda esse patet. Atque omnino quae hic breviter significantur, ex iis, quae postea de poëtica fictione dicturi sumus, intelligi et explicari debent.

delectationem machinando. Hic vero sermonis ornatus et rhythmus quoniam ad integritatem quidem, sed non ad ipsam naturam (seu essentiam) poësis pertinent; ideo fit, ut et sermo metro solutus ad poësis rationem prope accedere, et quae metro inclusa sunt, longius ab ea abesse possint; atque ita difficultas, quam in hac quaestione reperiunt, solvitur *)

*) Multa est viris doctis de definienda poësi disceptatio. Recentiores plerique, contenti propositum significasse, poësin dicunt *artem pulchritudinis oratione exprimendae:* veteres, Aristotelem secuti, modum potius, quo fierent carmina, respexerunt, atque poësin *imitationem vitae cum fictione* esse voluere; quam definitionem ut melius enuntiaret, Batteux *imitationem* dixit *pulchrae naturae.* Nihil enim, inquit, aliud est imitari cum fictione, nisi vulgaribus omissis, ea quae excellunt in rebus, ad formam, in qua ipsius naturae perfectio appareat, componere (cf. n. 235). Blair animi affectum, quo panguntur poëmata, potissimum attendens, poësin definit *orationem permoti animi et phantasiae acrius incitatae, metro plerumque adstrictam*; a quo parum recesserint, qui cum Engel in sola elocutione omnia quaerentes, poësis naturam eo pertinere affirmant, ut *cogitata quam fieri possit maxime ad vivum exprimat.* Postremo aliqui solo metro contenti fuere. — Definitiones istae omnes vera de poësi pronuntiant; quandoquidem nihil eorum, quae dicunt, poësi, quae integra sit, deesse potest; sed eo inter se pugnant, quod alia in alia re, et in ea quidem sola, naturam poësis constituunt; pessime sane ultima, dudum ab Aristotele (c. 9.) et Horatio (vid. infra n. 239) explosa, in solis numeris; sed neque feliciter, quae illam proxime antecedunt, in una elocutione. Sermo enim commoti animi, qui omnia ad vivum exprimit, est ille quidem plane poëticus, sed tamen per se solus poësin a soluta oratione non satis discernit; neque tam natura, quam instrumentum poëticae artis appellandus mihi videtur. Sed neque veteres hanc naturam per imitationem cum fictione satis declaraverunt. Nam, et orator, ut exemplo utar, si forte causam exponens rem non fideliter narrat, cum fictione imitatur; quae tamen narratio non est poëtica, propterea quod hic fingit accommodate ad suum finem, i. e. ad utilitatem rei, fingitque fraude, qua detecta ipso fine frustratur. Fictio igitur poëtica accuratius est declaranda; declaratur au-

tem fine. Postremo neque illud satis erit finem tantum notare ut, cum dicunt, poësin esse artem pulchritudinem exprimendi. Saepe enim historicus, orator, aliique scriptores vera referentes pulchritudinis speciem oratione exprimunt; sed hanc pulchrae rei descriptionem poëticam non dicimus, quia in ea primum et maxime veritatem requirimus, vitiumque erit, si rem aliter quam est, perhibuerit. Poëta autem non vera, sed verisimilia dicere tenetur; et si quando vera dicit, non ideo dicit, quia vera, sed quia verisimilia et ad finem eius sua sponte accommodata sunt. Et quoniam hic finis est, pulchritudine delectare, modo id assecutus fuerit, non solum vitium non erit, sed etiam virtus finxisse. Conferatur Aristoteles (c. 9.), qui in hunc modum ad ea, quae Blair aliique obiecere, dudum responderat.

226. Etsi finis poësi proprius delectatio est: non ea tamen ipsa omnis eius fructus continetur. Nam et moratos homines efficit, et praeclara imbuit doctrina, et ad amandam honestatem nunc dulciter trahit, nunc vehementer inflammat (1). Quapropter delectationem *proximum*, multiplicem autem hanc utililatem *remotum* poësis finem recte appellaveris.

Illa enim omnia poësis consequitur primum et maxime ipsa, quam effingit, pulchritudinis specie; tum etiam sapienti doctrina, quam saepe cum illa coniungit. Quemadmodum enim historicus aliique, quibus docere est praecipuum, intexunt operi, quae delectant, ita poëta, quae erudiunt *). Quare Horatius:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
A. p. 343.

*) In quam rem illud tamen recte monent: sicut orator, quae ad delectandum adsciscat, necessitatis causa dicere videatur, ita poëtam, quae ad docendum intexat, delectationis (Batt. 1, 6, 6.)

(1) Vide plura pro Archia, c. 6

Ceterum, quo excellentior poësis esse fructus potest, hoc sane acrius incusandi sunt ii, qui pulcherrima arte pravo consilio abutuntur, et quod ad bene beateque vivendum est datum, in pestem generis humani et perniciem convertunt.

Ex fine poësis pulchritudine oblectandi illud quoque colligitur, non posse in ea ut in aliis artibus, quae utile spectant, mediocritatem probari.

..... Hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi: consultus iuris et actor
Causarum mediocris abest virtute diserti
Messalae, nec scit, quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est. Mediocribus esse poëtis
Non homines, non dî, non concessere columnae.
Ut gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, et Sardo cum melle papaver
Offendunt, poterat duci quia coena sine istis:
Sic animis natum inventumque poëma iuvandis,
Si paulum summo discessit, vergit ad imum.
A. p. 367.

227. Ad efficienda carmina praeter eximiam fingendi facultatem vim ingenii et sapientiam requiri liquet *); sed recte insuper in poëta habitum animi inesse volunt, quo fiat, ut rerum forma et magnitudine facile percellatur validiusque inflammetur.

*) Sunt qui fingendi facultate praestantes ingenio carent: hi saepe imagines agitant, nulla subiecta idonea sententia, non cohaerentia miscent, inepta quaeque incauti effundunt Nempe

Scribendi recte *sapere* est et principium et fons;
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,
Verbaque provisam rem non invita sequentur. A. p. 309.

Habitus animi, quem dixi, apud priscos οἶστρος i. e. *furor* appellatur. Furere enim dicebant, quos numine plenos putabant *); quia vero, antiquitus poëtae iidem erant vates et sacerdotes, nata est fabula, poëtas, cum insolito animorum motu inflammarentur, spiritu divino agitari; quare Ovidius :

At sacri vates et divum cura vocamur:
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.

Eleg. in Tibull.

Ceterum etsi vehementior hic animi impetus non ubique sit necessarius, eo tamen sublimis illa et non imitabilis vis, qua poëta et assurgit ipse et secum lectorem rapit, vel maxime continetur.

*) Nec inepte: ita enim, si veterum scriptis fides, vates et Sibyllae quaedam oracula fundentes, se gerere solebant, ut magis a cacodaemone in furorem acti, quam spiritu divino afflati fuisse videantur.

228. Sed haec naturae dona, ut in oratore, sic in poëta arte et exercitatione perficienda sunt.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaesitum est: ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res et coniurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
Abstinuit Venere et vino; qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum:
Nunc satis est dixisse: Ego mira poëmata pango.

Schol. Hoc praeceptum, quod de omni arte dicendi traditur, hic repetii, quia opponi ei videtur, quod vulgo dicunt, *poëtam nasci*. Quia scilicet poësis a communi dicendi ratione toto genere discreta est, et praeterea nullus in ea mediocritati est locus propria quaedam eaque excellens naturae vis requiritur. Haec vero vis multa utique per se ipsa praestat, non omnia tamen, non perfecta.

Sed non solum ad discendam poësin institutio, sed in ipso etiam opere diligentia necessaria est.

Nec virtute foret clarisve potentius armis,
Quam lingua, Latium, si non offenderet unum-
Quemque poëtarum limae labor et mora. Vos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.
A. p. 289.

CAPUT II.

DE MATERIA POESIS

Quid de materia poësis generatim statuendum n. 229; quid de venustate rerum singularum n. 230; utrum sensibus argumentum obnoxium esse debeat n. 231; quae denique materia poësis maxime propria n. 232.

229. Etsi materia poesis nullo certo in genere rerum statuenda sit, propterea quod in hoc poeta cum oratore prope idem est, nullis ut terminis circumscribat aut definiat ius suum, quominus ei liceat eadem illa facultate et copia vagari, qua velit (De or. 1. 16): nihilominus recte statuit Aristoteles, non tam rerum permanentium na-

turam, quam hominum vitam propriam esse materiam poësis: quare rerum descriptiones, nisi ad vitam referantur, frigent (n. 205.)

E vita igitur assumpta materia videndum, ne sit trita et vulgaris, sed eiusmodi, quae vel venustate allicere, vel excitare novitate, vel permovere magnitudine possit. — Duo tamen hic notanda: 1. Accidit non raro, ut res vulgaris vel vitae casus obvius in poëta sensa excitet minime trita. Vide pulcherrimos Catulli hendecasyllabos *in phaselum*, Horatii odam *Integer vitae*, et *Diras in arborem* (Od. 1, 19; 2, 10). 2. Ut in picturis, sic in carminibus interdum delectant res plane communes, quod ad vivum expressae sunt: scilicet hoc etiam habent artium opera, ut non solum praeclara rerum, quae finguntur, specie, sed ipso etiam imitationis artificio placeant. Cf. n. 33.

230 Etsi opus poetae totum pulchritudine nitere debeat, non tamen ideo res, quas dicit, singulae suapte natura pulchrae sint necesse est; imo vero foeda quoque et horrida tractare poterit, modo nec in illis commoretur diutius *), et horridis magnitudinem quandam et dignitatem consociet **).

*) Foeda dicuntur, vel ut risum moveant, ut Thersites apud Homerum; vel ut pavorem miserationemque augeant, ut in Aeneide Cyclops dormiens, Hectoris cadaver et Philoctetis morbus in Iliade. Saepe etiam ideo tantum narrari possunt, ut venusta, quibus coniuncta sunt, magis nitescant; — nimis vero enucleata nauseam afferunt.

**) Cum horrida quae dicuntur, eadem sunt sublimia, ingratus animi sensus, quem excitant, admiratione temperatur; vide Thisiphones descriptionem apud Ovidium, supra n. 153.

231. Et quoniam poëta omnia per rerum imagines agere debet, argumentum vel sua natura sensibus subiectum sit, vel fictione saltem facile subiiciatur necesse est *).

*) Hinc nonnulli erraruni, ea ex divinis assumentes, quorum certam et aspectabilem speciem animo fingere non possent.

232. His autem omnibus efficitur, ut vita actionesque hominum propria et proxima sint poësis materia. Nisi enim illa sensus expertia, quae ex rerum natura assumuntur, et ipsa quoque divina ad vitam relata et cum hominum gestis et fatis aliquo modo coniuncta fuerint; fictio ad emolliendum cor permovendosque animos parum valebit, et difficillime propria poësi dictione tractabitur *).

*) Hinc carmina, quae nihil nisi meras descriptiones regionum, temporum, aetatum continent, a mediocribus quidem poëtis frequentari solent, apud optimum vero quemque et maxime apud priscos vix reperiuntur.

CAPUT III.

DE FICTIONE POETICA

Quid sit haec fictio et qualis debeat esse; unde efficiatur una n. 233; unde aequabilis n. 234; unde idealis n. 235; quo veritatis fundamento niti debeat n. 236; quid in argumento historico servandum n. 237; quid in rebus mirabilibus n. 238

233. Fictionis nomine comprehenduntur omnia, quae poeta de materia excogitat, et ad opus unum

efficiendum componit. Quapropter fictio non inventionem tantum, sed etiam dispositionem poematis complectitur. Cuius nobis virtutes quatuor expendendae sunt: nam et una sit necesse est, et in magna rerum varietate aequabilis, idealis, ut vocant, et verisimilis.

Ut fictio non quolibet, sed excellenti modo *una* sit et *simplex*, partes eius omnes ad certam quandam speciem seu ideam relatae *), ad eamque exprimendam plane accommodate esse debent **).

*) Ut igitur in templo quopiam satis non erit, columnas, fornices, aras ceterasque partes singulas affabre factas, sed omnia ita inventa et disposita esse oportet, ut ex toto illo aedificio quaedam quasi divinae maiestatis species eluceat; ita in carmine descriptiones, imagines, actiones, oratiunculae non modo singulae venustate nitere, sed etiam ad unum aliquod ostendendum conspirare debent. In miserabili Laocoontis interitu (Aen. 2, 199), ut breviori utar exemplo, poëta speciem horroris coelitus incussi exhibuit: iam considera in partibus singulis, quo sint pacto ad id unum omnes relatae. Quod autem in hac narratione, id idem in tota Aeneide observare licet, quippe qua illud unum ostenditur:

Tantae molis erat, Romanam condere gentem! 1, 33.

**) Ut porro videas, quemadmodum singula ad unum non referenda modo, sed etiam aptanda sint, confer illam narrationem libri II, cum altera, quae lib. V. v. 84 legitur. Utrobique describitur serpens improviso apparens, accessus eius, actiones et circumstantium stupor; sed quanta in singulis non rebus tantum sed verbis quoque differentia! Nimirum illic portentum horroris, hic laetitiae omen narrandum erat. — Iam hoc qui servarit, facilius obtinebit, quod secundo loco praecipitur.

234. Ut cum rerum varietate harmonia quaedam et totius fictionis *aequabilitas* coniuncta sit res ita inter se dissimiles esse debent, ut tamen cum operis totius indole omnes conveniant. Contraria utrique huic praecepto vitia Horatius notavit:

Inceptis gravibus plerumque et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Assuitur pannus.....

Amphora coepit
Institui: currente rota cur urceus exit? . . .
Aemilium circa ludum faber unus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur aere capillos;
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nescit. A. p. 14.

Schol. In iudicandis tamen poëmatis cautus esto: consilium enim poëtae, quo metienda sunt omnia, vulgari carminis inscriptione non raro perperam indicatur. Ita Horatii oda 21. lib. 1, vulgo inscribitur *In laudem Quintilii*, Propertii elegia 4, lib. 3 *descriptio triumphi*, sed propositum, ad quod relata cuncta inter se apta cohaerent, Horatio quidem erat, consolari Virgilium de morte Quintilii, Propertio autem explicare, quae ad beate vivendum desideraret, nempe non bellicam gloriam, non divitias, non philosophiam, sed mediocris vitae placida gaudia.

235. Neque vero fictio ad rerum, quae videntur, exemplar, sed ad perfectam illam pulchritudinis speciem, quam cogitatione tantum et mente complectimur, referenda est *). — Huiuscemodi fictio a recentioribus *idealis* appellata est. Idea enim proprie in omni genere rerum perfectum illud et excellens est, quod sensu percipi non potest, ad cuius tamen cogitatam speciem ea, quae sub oculos ipsa cadunt, velut ad exemplum suum referuntur.

*) Ita in mente nostra insidet species quaedam et forma herois, qua acrius contemplanda inflammatur animus et admiratione afficitur. Sed haec forma in vita, etsi in aliqua parte eluceat aliquando, tamen, ut est in se perfecta, nusquam apparet. Nam et multis aliis rebus, quae simul cum iis, in quibus cernitur,

contingunt, inobscuratur, et humanitatis vitio quasi maculis quibusdam conspergitur. Poëta igitur eam in actis et fatis magni viri expressurus, non ad veritatem historiae, sed ad illam, quam animo informavit, imaginem respicit: abiiciens multa, affingens alia, mutans denique et accommodans omnia ad illius speciei similitudinem. Quod autem de heroe dixi, hoc idem intellige de singulo facinore, quo eximia virtus proditur, item de genere vitae, ut pastoritio, de fortunae casu, de ipsis animi sensibus. Neque hoc in poësi tantum, sed in aliis quoque artibus observatur. Nec enim, ut ait Cicero, Phidias cum faceret Iovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat. Or. 2.

236. Nihilominus tota fictio quodam veritatis fundamento, rerum scilicet natura, nixa esse debet. Et primum quidem ipsa illa pulchritudinis species, quam commentitiis rebus poeta exprimit, naturae consentiat. Nihil est enim aliud vera pulchritudo, quam naturalis rei excellentia, lucidius demonstrata. Itaque non reperiantur pastores, quales ecloga perhibet; ea tamen, quae poeta his attribuit, propria sint et naturalia huic generi; nec fuerit heros, qualem epicus celebrat, mores tamen et indoles, quae fingit, propria sint heroi, et heroi quidem humano. — Hic igitur a poesi excluduntur monstrose commenta, quae vulgo *phantastica* dicimus.

Res deinde singulae ita fingendae sunt, ut fieri potuisse aut, quod melius est, fieri debuisse videntur.

1. Primum igitur nihil personarum rerumque naturae, aut temporum locorumque rationibus repugnet.

Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Scimus, et hanc veniam petimusque damusque (vicissim,
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris;
Nec quodcumque volet, poscat sibi fabula credi.
A. p. 10, 338.

2. Si fingantur, quae esse non possunt, turpe vitium erit; at fingere, quae non potuisse non evenire credas, ea demum virtus est. Quare sic in carmine loquantur, sic agant personae, ut ii homines in ea rerum conditione aliter loqui et agere non potuisse videantur.

237. Ex historia cum argumenta sumpserit poeta, facta personasque illustres, ita tractabit, in quae fingendo immutaverit, veram et propriam eorum hominumque indolem patentius demonstrent. Quo igitur quaeque clariora sunt, hoc minus mutari debent; quae vero latent, ut saepe causae, aut parva sunt, ut adiuncta plurima, ea sic fingenda, ut illa nota ac magna et facilius credantur et magis nitescant. Idem sit Regulus in fabula, qui est in historia; sed quae in vero miramur, ea poetica fictione et verisimiliora et splendidiora appareant.

Schol. Hoc poëtica praescribit, ut fictio sit credibilis; sed idem postulat humanitatis officium, ne sit perniciosa. Etsi enim poëta non tenetur ea lege, ut historicae veritati serviat; cavere tamen debebit, ne mendaciis noceat. Constat autem, de

rebus gestis et personis, de institutis sacris et profanis falsissimas opiniones ex poëtarum libris non sine plurimorum damno et pernicie in vulgus emanasse.

238. Mirabilia sive supra humanam posita naturam veri dissimilia non sunt, dum eorum, per quos fieri dicuntur, naturae congruant.

Schol. Quaeri hoc loco solet, ethnicae mythologiae usus sitne licitus poëtis christianis. Nihil certe miserius, quam his fabulis ingenia ita mancipari, ut sine illis fingere quidquam nesciant: praesertim cum vera religio eiusque historia argumentis poëticae tractationi omni ex parte aptissimis redundet. Sed tamen moderatus mythologiae usus, modo obscuritatem ne afferat, in profanis et maxime in iocosis carminibus interdictus non est. Illud vero non ferendum, commenta ethnicorum sacris rebus et personis admisceri.

CAPUT IV.

DE DICTIONE POETICA

Quae dictio vere poëtica; quî usurpet poëta ornatum; quid de licentiis poëticis, de numeris et metro n. 239; quae sit in sermone poëtico imitatio vitae n. 240; quae sint insuper ei propria n. 241; num alius in alio genere n. 242.

239. Quoniam generatim elocutio fictioni respondere debet, inprimis imitetur necesse est praestantiorem illam formam, quae communem rerum speciem pulchritudine transcendit.

Neque enim concludere versum
Dixeris esse satis: neque si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam:

Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.
Hor. Sat. 4. 39.

Itaque poeta et in ornanda oratione sententiis *) et verbis **) liberior, et in expolienda diligentior, quam orator est.

*) Sententias apud poëtam requirimus minime tritas et vulgares sed excellentes, uberes, illustres; nunc grandiores, fortes et plenas, nunc dulces, concinnas et venustas.

**) Liberior est in verbis cum cura seligendis, novandis, transferendis, et in eo quoque ornatu, quem soluta oratio parce et verecunde usurpat, ut epithetis, similitudine, periphrasi, apostrophe, prosopopoeia, frequentius audaciusque arcessendo.

Verum, non modo insigniori ornatu, sed propriis etiam quibusdam loquendi modis, ac praecipue numeris a communi sermone deflectit. Huc pertinent permutatio numerorum, temporum, modorum, peregrina verborum coniunctio, et ceterae, quas grammatici tractant, *licentiae poëticae:* quibus etsi singulis propria non semper gratia subest, ipsa tamen haec a consueto loquendi modo mutatio excitat orationem et novitate delectat.

Omnem etiam numerorum gratiam, et maxime illam, quae est in imitandis rebus et affectibus, poeta studiosius aucupatur; sed in his cura tantum, in versu genere ipso a soluta ratione recedit.

Metrum igitur si apte selectum est, et facilitate quadam naturali servatur, eo inprimis delectat, quod, rhythmo musicorum simile, varietate ex certa lege modificata orationem distinguit.

240. Nihilominus poeticus sermo, hoc quoque fictioni similis, nativam rerum indolem moresque hominum quam potest maxime ex vero effingit *). Quare

Respicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatorem, et vivas hinc ducere voces.
A. p. 317.

Verissimam imitationem cum excellenti fictione, ut saepe alibi, sic eo in loco Virgilius coniunxit, ubi Aeneas Andromachen parentalia Hectori persolventem offendit (3, 300). Et paulo infra ad puerum Ascanium sic Andromache loquitur:

Accipe et haec, manuum tibi quae monumenta (mearum
Sint, puer, et longum Andromachae testentur (amorem,
Coniugis Hectoreae. Cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei super Astyanactis imago!
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;
Et nunc aequali tecum pubesceret aevo. v. 486.

Dante. Purg. c. 2. t. 20.

*) Huiusmodi autem non ideo tantum placent, quod imitatio per se ipsa delectat (n. 229), sed etiam, quod omnis pulchritudo eo magis commovet, quo naturae humanae adiunctior ac proinde verior esse cognoscitur.

241. Proprium etiam sermoni poetico est, pro universo singularia ponere, res per suos effectus significare, ac praecipue, omnibus quae dicit, vitam afflare, eademque illustri imagine sensibus admovere.

1. Horatius pro *Septimi, quoquoversus me secuture:*

Septimi, Gades aditure mecum, et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra, et
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Aestuat unda..... Od. 2, 4

2. Pro *vere novo arandum est* Virgilius:

Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris se gleba resolvit,
Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.
Georg. 1, 43.

3. Tertium consequimur verbis translatis variisque figuris, sed saepe etiam evidenti rei descriptione:

Ecce, puer Veneris fert eversamque pharetram
Et fractos arcus, et sine luce facem.
Aspice, demissis ut eat miserabilis alis,
Pectoraque infesta tundat aperta manu.
Excipiunt sparsi lacrymas per colla capilli,
Oraque singultu concutiente sonant.
Ov. in mortem Tibulli.

Vide etiam Aen. 1, 81. — Haec autem omnia eo spectant, ut res facilius cognoscantur, et acriter illustratae animum percellant: pulchritudo enim nisi hoc modo cognita mentem non permovet.

Dante. Purg. c. 1. t. 5; c. 10. t. 10.

242. Ceterum ea quoque, quae de apto dicendi genere et stilo vitioso in parte prima praecepta sunt, ad poeticam dictionem traducenda erunt. Etsi enim haec, si cum oratione soluta contuleris, generatim ad medium dicendi genus pertinet (n. 150); suus tamen etiam poetis sermo est tenuis, mediocris et summus: tenuis e. g. in satyra et comoedia; mediocris in idyllio; summus in oda; in epico carmine nunc medius nunc summus, raro tenuis; in tragoedia vero tria illa genera paene ex aequo miscentur.

Liber secundus

DE VARIIS POEMATIS SINGILLATIM

243. Ex diversis modis dividendae poesis ille hodie usitatissimus est, qui quatuor genera ponit: *lyricum*, quo animi sui sensus poeta exprimit; *didacticum*, quo praecepta tradit; *epicum*, quo de factis exponit; *dramaticum*, quo res ipsa coram agitur. Ad lyricam igitur poesin varia odae genera et elegiam referunt; didacticae praeter carmen cognomine satyram et epistolam subiiciunt; epica non solum poema heroicum, sed omnem narrationem complectitur; dramatica in tragicam et comicam tribuitur. Nos posteaquam nonnulla minora, quae ab aliis ad aliud genus revocantur, tractaverimus, reliqua eodem, quo ea modo recensuimus, ordine absolvemus.

CAPUT I.

DE EPIGRAMMATE ET HENDECASYLLABO

Quid epigramma ; quae materia et quae partes eius n. 244; quid propositio n. 245; quotuplex illatio; in quo huius artificium; quid denique de elocutione n. 246 ; quid hendecasyllabum n. 247.

244. Epigramma nomen et originem habet ab inscriptionibus aedium et monumentorum. Definitur autem carmen breve, quod rem singularem proponit, et ex ea aliquid artificiose deducit. Quare 1. brevitas ad huius carminis naturam pertinet; 2. materia ejus res singularis est; non enim actiones implicatas, non casuum seriem. sed unum aliquod simplex pertractat; 3. partes denique distinguuntur duae: propositio, et artificiosa illatio.

245. Rei propositio vel est nuda eius significatio, ut:

Carmina Paulus emit; recitat sua carmina Paulus:
Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

Mart. Lib. 2.

vel paulo uberior per iucundam narrationem expositio. Neque tamen in omni epigrammate propositio distincta requiritur; tum praesertim, quum fit vera inscriptio, siquidem monumentum ipsum pro rei expositione esse potest; ut statua Niobes:

Ἐκ ζωῆς με θεοὶ τεῦξαν λίθον· ἐκ δὲ λίθοιο
Ζωὴν Πραξιτέλης ἔμπαλιν εἰργάσατο

In Anthol. 4, 9.

246. Illatio vel suavem excitat animi motum vel acumine pungit; hinc divisio in epigramma *gratiosum* et *argutum*. Gratiosum etiam *graecum* dicitur, quia Graeci eo inprimis delectabantur. exemplum modo dedi; sed accipe alterum poëtae christiani:

AD BEATAM VIRGINEM

Crescere quae nuper redolenti vidit in horto
Asphalion, foliis lilia puberibus,
Haec tibi decerpsit, sertumque ex hisce paravit,
Staret ut ante tuos, o bona Virgo, pedes.
Lilia pro quo illi haec, si fas est tanta precari,
Des candore animi vincere posse sui.

Schol. Ideo, quod hoc genere animi motus exprimuntur. recentiores epigramma ad lyricam poesin revocant.

Artificium illationis in eo consistit, quod sententia sive suavis sive pungens praeter exspectationem et nihilominus verissime deducta sit. Recte igitur in *acumine* propria huius carminis virtus quaeritur, neque graecum epigramma ab arguto eo differt, quod acumine careat, sed quod acumine non pungit. — Videndum autem, ut sententia non solum acute illata sit, sed propria etiam venustate niteat. Itaque fugiendae non insulsae modo et ineptae, verum communes quoque

et pingue quiddam sonantes, quales non pauca apud Martialem deprehenduntur.

Si vero res paulo fusius proponitur, sustentatio facienda est, qua ad conclusionem, lectore non advertente, via ita sternitur, ut mox illatione brevissime subiecta, quorsum omnia dicta sint, intelligatur.

Elocutio denique sit tersa et polita; nulli enim vitio in tam brevi carmine connivetur.

247. Sunt et alia breviora poemata, quae partim ad epigramma, partim ad anacreonticam odam, proxime accedunt: inter quae notandum *hendecasyllabum*, priscis valde usitatum. — Est autem hendecasyllabum carminis genus concinnum et festivum, quo vel suavis animi sensus dulcisque sententia, aut sales et facetiae tractantur. Nomen a metro accepit, quod etiam ab auctore *Phalaecium* vocatur. — Iam accipe utriusque generis exemplum:

1. *Iam ver egelidos refert tepores,*
Iam coeli furor aequinoctialis
Iucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicaeaeque ager uber aestuosae.
Ad claras Asiae volemus urbes.
Iam mens praetrepidans avet vagari;
Iam laeti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete coetus,
Longe quos simul a domo profectos
Diverse variae viae reportant.

2. *Furi villula nostra non ad Austri*
Flatus opposita est, nec ad Favoni,

Nec saevi Boreae, aut Apeliotae;
Verum ad millia quindecim et ducentos (1).
O ventum horribilem atque pestilentem!
Catull.

CAPUT II.

DE FABULA ET PARABOLA

Quid fabula n. 248; quid de agentibus n. 249; quid de actione et doctrina n. 250; quid de elocutione n. 251; quo a fabula differat parabola n. 252.

248. Fabula definitur narratio simplex actionis allegoricae moribus informandis idonea. Quam definitionem ut rite intelligas, vide, quo fabula differat ab exemplo et simplici allegoria. Eo autem hoc narrationis genus spectat, ut quasi iocando et ridendo utilem vitae doctrinam tradat.

Schol. Quoniam fabula saepe etiam maioris carminis argumentum vel ipsam tragoediam significat, ea, de qua hic quaeritur, a praecipuo etsi non primo auctore *aesopica* vel etiam *apologus* appellatur.

249. In fabula considerandi sunt agentes, actio, doctrina et elocutio. Ad *agentes* quod pertinet, plerumque in fabula animalia agere finguntur, saepe etiam homines, aut homines et animalia simul, raro res inanimae *). Hinc tria genera: fabula *moralis* vel *symbolica*, in qua vel animalia vel sensus expertia; *rationalis*, in qua homines;

(1) Intellige *sestertios* — qui pro ea debentur.

mixta, in qua homines cum brutis; aut etiam cum rebus inanimis agunt.

*) Optime actio animalibus tribuitur: horum enim ingenia et indoles cum certa sint et definita, necnon communiter nota, facile est, per ea, quod volumus, definite et perspicue ostendere. Accedit illa cum hominum moribus similitudo, quae fictionem et iucundam reddit et suo in genere probabilem.

250. *Actio* sit simplex nec longa, probabilis et significans: habeat tamen in illa brevi simplicitate ingressum quendam, nodum et solutionem. Porro *probabilis* est, si naturae agentium optime respondet; *significans*, si ad declarandam doctrinam apta.

Doctrina sit vera, captu facilis, nec nimis trita. etsi doctrinae novitas non tam in ipsa doctrina, quam in modo, quo monstratur, quaerenda est. Solet ante vel, quod fere melius est, post narrationem brevissime enuntiari: non semper tamen id necessarium.

251. *Elocutionis* virtus praecipua est amoena simplicitas cum lucidissima brevitate coniuncta. Fit autem amoena narratio inprimis quidem fictionis quadam hilaritate; sed hanc ipsam augent imagines venustae, argutae sententiolae, colloquia et facete dicta; in quibus tamen omnibus nativus quidam lepos, nullum artificium appareat.

Fabulae longae aut doctis tantum hominibus perspicuae, quales nonnulli recentiores finxerunt, a fine et natura huius carminis degenerant.

Schol. Plerique fabulas versibus scripsere; nonnulli tamen, Aesopum sequentes, soluta oratione utuntur. En tibi breve huius scriptoris exemplum, in quo omnes fabulae virtutes luculenter expressae sunt:

Χειμῶνος ὥρᾳ τῶν σίτων βραχέντων οἱ μύρμηκες ἔψυχον. τέττιξ δὲ λιμώττων ᾔτει αὐτοὺς τροφήν. οἱ δὲ μύρμηκες εἶπον αὐτῷ. Διατὶ τὸ θέρος οὐ συνῆγες τροφήν; ὁ δὲ εἶπεν. οὐκ ἐσχόλαζον, ἀλλ' ᾖδον μουσικῶς. οἱ δὲ γελάσαντες εἶπον· ἀλλ' εἰ θέρους ὥραις ηὔλεις, χειμῶνος ὀρχοῦ.

Ὁ μῦθος δηλοῖ, ὅτι οὐ δεῖ τινα ἀμελεῖν ἐν παντὶ πράγματι, ἵνα μὴ λυπηθῇ καὶ κινδυνεύσῃ.

252. Parabolam hodie vocant narrationem allegoricam, fabulae rationali similem, sed argumento, doctrina et stilo graviorem. Antiquitus omne exemplum vel simile, doctrinam moralem vel sacram demonstrans, apud Graecos autem et Latinos rhetores, omnis rationalis fabula parabola dicebatur.

CAPUT III.

DE IDYLLIO

Quid idyllium, et quod ei propositum n. 253; quae materia n. 254; quales fingendi mores n. 255; quotuplex eclogae forma n. 256; qualem postulet elocutionem n. 257.

253. Idyllium est carmen, quod vitam naturali simplicitate beatam imitatur. Propositum ergo huic generi est, vitam iis aerumnis, quibus civilis societas vitio hominum redundare solet, vacuam effingere, dulcesque animorum motus excitare, quos libertas innocua, beata quies et morum candor afferunt.

Schol. Si vim vocabuli (εἰδύλλιον, parva imago) spectas, idyllium breviusculum poëma significat. Vocatur etiam *ecloga* (ἐκλογή) i. e. carmen selectum, et poëma *bucolicum*.

254. Idyllium fere in ruricolarum, ac praecipue pastorum, vita versatur *), horum hominum labores et curas, casus laetos et tristes, ludos et colloquia, contentiones, querimonias varie pertractans. Licet enim idyllium a narratione poetica hoc differat, quod non rem gestam aut eventum exponit, sed certum vitae genus et indolem describit; ut tamen haec descriptio sit poetica, hominum mores per ipsorum dicta et facta, sortem vero per varios vitae casus ostendere debet.

*) Ipsi Theocritus et Moschus interdum etiam ex vita urbana, quin ex militari, materiam assumpserunt: siquidem naturalis illa simplicitas, ubicumque reperiatur, non vita rustica, proprium huius poëmatis argumentum est.

255. Mores effingendi sunt varii, sed qui nihil tamen habeant, quod amabilem illam simplicitatem tollat. Itaque pastores, et quicunque finguntur, nec artificiosa urbanitate politi, nec rusticitate agrestes aut sordidi esse debent; sint alii celerioris, tardioris alii ingenii, sed nemo doctrinis excultus, nemo plane rudis et stupidus; teneros ostendant animorum sensus, at minime exquisitos; ambitio quaedam notetur, doli, fraudes, sed hominum non malignorum.

256. Forma eclogae triplex est: *epica*, cum narrat poeta; *scenica*, cum colloquuntur pastores; et *mista* ex duabus prioribus *).

*) Colloquentes modo fortunam mutuo recognoscunt, adversam querentes, gratulantes prosperam (Virg. Ecl. 1); modo rixantur, vitia exprobrant, invident, aemulantur (V. Ecl. 3). Saepe etiam cantu certant, de eodem vel simili argumento suum quovis carmen modulante (V. Ecl. 5), aut praecinente uno, altero paribus fere numeris et verbis similibus respondente, quod carminis genus *amoeboeum* dicitur. (V. Ecl. 7).

257. Elocutio suavis sit et lenis, non multae artis, elegans tamen et naturali quodam lepore affluens, in quo illud maxime est providendum, ut ornamenta naturae carminis conveniant. Itaque comparationes et periphrases, quibus abundare solet bucolica poesis, ex rebus ducendae sunt, quas rustici tractant:

Urbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putavi
Stultus ego, huic nostrae similem, quo saepe solemus
Pastores ovium teneros depellere foetus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus hoedos
Noram; sic parvis componere magna solebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Virg. Ecl. 1, 20.

Ornat etiam inprimis iucunda et brevis descriptio:

Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae:
Non ego vos posthac, viridi proiectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo.

Ib. v. 76.

Dante. Purg. canto 28.

CAPUT IV.

DE ODA

Quid sit, et quae eius genera n. 258; quid de ea universe statuendum; quid de dispositione n. 259; quae sint propriae elocutionis virtutes, et unde petendae n. 260; quo differant dithyrambus, canticum et oda n. 261.

258. Oda carmen est, quo poeta permoti animi sensus exprimit. Epici quoque aliique poetae animorum motu certe non carent; sed horum est, res gestas vel fata hominum accommodate ad permovendos animos enarrare; lyrico nihil aliud propositum est, quam sui ipsius animi sensus, ex rei consideratione conceptos, effundere.

Schol. Primitus poëmata omnia modis musicis concinebantur; postea hoc saltem genus, utpote cantui quam maxime accommodatum: inde nomina *ode* et *melos*, i. e. cantus; *lyricum* autem idem poëma dictum est, quia ad lyram cani solebat.

Oda pro vario argumento quatuor in genera dividitur: in sacram, heroicam, moralem, et anacreonticam. *Sacra*, quae *hymnus* dicitur, omnes sensus exprimit, quos religio inspirat. *Heroica* fortium virorum virtutes, gesta et fata celebrat. *Moralis* in gravi de vita praecepto, quo perculsus est poetae animus, versatur. *Anacreontica*, ab auctore nominata, in re tenui suavi animi motu ludit.

259. De oda universe praecipitur, ut animi affectum, in quo versatur, nativa quadam vi quam

verissime effingat. Ut vero hanc vim arte et studio nemo consequitur, nisi animi quodam impulsu feratur, ita inflammatae orationis cursus sapientia regendus est, ne aberret aut impingat.

Dispositio varia est, ut mentis incitatio, quam sequitur. Itaque interdum poeta leniori utitur principio, reique consideratione magis magisque ardescit; alias mediam ruit in rem, id primum effundens, quo maxime percellitur. Exitus quoque nunc mites, tanquam deferbuerit aestus, nunc vehementiori impetu abrupti *).

*) Ita Horatius, lib. 1. od. 3. a tenera precatione, ut amicus sospes naviget, exorsus, mox pericula maris cogitans accenditur et in hominum audaciam invehens carmen indignabundus abrumpit. Contra l, 2. od. 10, cum ab exsecratione arboris incepisset, mox improvisam lethi vim considerans ad inferos delabitur, et concludit, cantum commemorans, qui ipsius tartari horrorem leniat.

Nec in ipso carmine lyricus eundem cursum tenet, nunc rapido ingenii impetu sensa devolvens, nunc, in graviori sententia vel iucunda imagine immorans *); nec solum a coepta via liberius digreditur **), sed aliquando etiam velut saltu ad dissita fertur ***).

*) Est tamen in hac, quae videtur ordinis perturbatio, rectus quidam et naturalis cursus, is nimirum, quem animus acri motu incitatus sua sponte tenet; quocirca sapientem poëtam in praecipiti illo volatu non difficiliter sequimur, eiusque audacem lapsum ab insipientis quasi temulento errore probe distinguimus.

**) Liberrimae digressionis exemplum habes in oda modo laudata (2, 10); neque id novum apud lyricos, ut digressione concludant.

***) *Saltus lyricus* dicitur, cum poëta a re una ad alteram transit dissimilem, omisso, per quod in huius cogitationem incidit; quo fit, ut nulla intercedere coniunctio videatur, quae tamen attentius considerantem latere non potest.

Accidit tamen non raro, ut lyrica quoque carmina a principio usque ad exitum aequabiliter fluant; nec solum ea, quae suavem animi motum exprimunt, sed illa etiam, quae moralia vocantur V. Hor. 1, 4. 8. 19. — 2, 3. 4. — 3, 1. 2. etc.

260. Dictio, quae magnam curam postulat, omnem ornatum liberius usurpat; propriae vero eius virtutes sunt: gravitas, audacia, suavitas. Curam postulat, eo quod lyricus cumprimis *in verbis etiam tenuis cautusque serendis sit* necesse est (A. p. 46); quidquid enim minus congruenter dicitur, animi motum restinguit.

Gravitas non verbis tantum; sed vel maxime sententiis quaerenda, ut:

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae. Hor. 3, 3.

Haec virtus nunc crescit sententiosa brevitate, nunc vasta quadam copia exaestuat: nam

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusque ruit profundo
Pindarus ore. Id. 4, 1.

Audacia quoque cernitur in fictione, ut

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas:
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar. Id. 3, 3.

in imaginibus, ut cum Iupiter, *rubenti dextera*

sacras iaculatus arces, terruit urbem (Id. 1, 2); — in transferendis verbis, ut *macies et nova febrium terris incubuit cohors* (Id. 1, 3); — in novandis, ut *Pluto illacrymabilis* (Id. 2, 11), et *amnis tauriformis* (1), (Id. 4, 12) atque collocandis, ut

Dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus. Id. 3, 3.

Ita Horatius, Fabii iudicio *felicissime audax* (10, 1): sed cavendum poetae, ut nec ubique audax et sublimis esse affectet, nec, parum sibi constans, a sublimi volatu tanquam alis lassatis concidat.

Suavitas requiritur non ea solum, quae rerum iucunditatem imitatur, sed etiam quae vulgaribus nitorem addat, et aspera ac horrida leniat.

261. Ex varietate autem affectus et sermonis alia nata est lyrici carminis divisio. Tria enim genera statuunt: dithyrambum, canticum et odam simpliciter dictam.

Dithyrambus vehementi animorum inflammatione et quasi furore ortus summa audacia fertur, grandia sonat, nec ipsis quidem numeris semper se constringi patitur. Hinc de Pindaro Horatius:

. . . *Per audaces nova dithyrambos*
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis. Od. 4, 1.

(1) Scilicet: Dixeris egregie, notum si *callida* verbum
Reddiderit *iunctura* novum: A. p. 47.

Schol. Dithyrambica antiquitus illa proprie vocabantur carmina, quae in Bacchi honorem fiebant (v. Hor. 3, 19); nam et ipse Bacchus Dithyrambus dicitur. Postea omnis poësis lyrica, quippe quae apud Graecos ab his canticis ortum duxit, dithyrambica appellata est; hodie ab aliis carminibus lyricis, ut in praecepto dictum est, distinguitur.

Cantica nostrates appellant lyrica poemata, quae motum animi aequabilem et moderatum dictione placida et suavi exprimunt. Ut dictio, ita versus cantici faciles et iucundi; lecta verba, sed non liberius mutata nec praeter usum assumpta; imagines illustres et significantes, sed minus splendidae nec audaces; totus denique carminis cursus lenis et aequabilis, sine saltu et digressione. — Ad hoc igitur genus referuntur anacreontica quidem semper, sed saepe etiam sacra et moralia, raro heroica.

Dante. Purg. c. 11. t. 1.

Inter haec duo medium est genus, quae simpliciter *oda* dicitur, grave, varium, nobile et grande.

Schol. Vulgaris sermo alicubi haec tria genera etiam solo metro discernit, dithyrambos vocans, qui certum metrum non servant; odas, quae metris veterum, Alcaico, Sapphyro etc.; cantica, quae facilioribus nostris composita sunt.

CAPUT V.

DE ELEGIA

Quid elegia; quae in ea argumenta et animi sensus tractentur n. 262; quam dispositionem requirat; quam dictionem n. 263.

262. Elegia dicitur carmen, quo poeta, vitae

humanae casus meditando, leniores animorum motus ac praecipue tristitiae exponit.

Elegia (ἐλεγεία, ἔλεγος) proprie carmen lugubre significat; unde Ovidius:

Flebilis indignos, Elegia, solve capillos:
  Ah. nimis ex vero nunc tibi nomen erit!
                In mort. Tibulli.

Et Horatius:

Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est.
                Ap. p. 75.

Sed forma propria, qua ab illis carminibus elegia distinguitur, definitione quam posui, continetur (1); itaque praecipua quidem *materia* sunt tristes humanae vitae casus, vel rerum ac personarum post illos immutata fortuna et conditio: deplorat scilicet hominum carorum vel nobilium interitum, belli aerumnas, diruta oppida, spes vitae inanes: at interdum etiam iucunda suavi quadam animi alacritate pertractat.

Cum huic generi propria sit pacatior quaedam rerum consideratio; animi sensus, etsi nunc molles et teneri, nunc paullo acriores, semper tamen moderati et paene per totum carmen aequabiles esse debent

263. Dispositionem requirit elegia facilem et obviam; lyricos saltus nunquam, raro digressus admittit; sed amat in re, quam tractat, descri-

(1) Ab oda tamen illa leni sive cantico interdum proxime abest

benda morari. Ceterum elegiae quoque dispositio libera et varia est, eo quod magis mentis affectum, quam rei naturam sequitur.

Recentiores saepe a descriptione loci, in quo scilicet vel res contigit vel poëta moratur, exordium ducunt: aptum omnino, si loci adiuncta animi sensui qui exprimitur, consentiant.

Dictio generatim *) est facilis, tenera ac temperata, nec solum odae splendorem et audaciam, sed omnem etiam studiosius quaesitum ornatum, atque inprimis facetias et acumina, respuit (n. 140).

*) Dictio affectum imitetur oportet, sed ea ipsa de causa interdum gravior sermo decet, ut apud Propertium *Cornelia ad Paulum* et cum accenditur dolor validius, ardens quoddam et pungens dicendi genus, ut in elegia laudata Ovidii *in mortem Tibulli.*

CAPUT VI.

DE CARMINE DIDACTICO

Quid sit; quid praecipue in eo requiratur n. 264; qui rerum selectus habendus n. 265; quae in tractatione efficienda n. 266; quae de digressione praecipiantur n. 267.

264. Didacticum vocatur poema, quod praecepta sive vitae sive artium exponit. Dubitatum est, an verum esset poema: sed quemadmodum philosophus, si quando de pulchritudine disputat, non efficitur poeta, ita nec poeta philosophus, si philosophiae praecepta tradit: quandoquidem non argumentum, sed tractatio discrimen facit.

Primum praeceptum est, ut toto carmine rerum, de quibus agitur, vis ac pulchritudo eluceat *).

*) Didactico carmini subiecta quidem esse debet vera et accurata rerum scientia, sed eam poëta cum philosopho communem habet; proprium illi est, cum doctrina delectationem coniungere: quem in finem satis non est, si quidam in verbis ornatus fulgeat, aut hac atque illac spargantur imagines venustae, intexantur iucunda episodia; sed res ipsae et tota, quae traditur disciplina, a poëtica fictione dignitatem quandam suavitatemque accipere debent. Ita Virgilius de re rustica praecipiens, profecto non illo tantum nobili digressu *O fortunatos nimium* (2, 458), — sed per omnes libros vitae agrestis suavitates, necnon vim varietatemque naturae admirabiliter expressit.

265. Quapropter poeta non sine solertia et argumentum ipsum et singula praecepta de eo tradenda seligat. Neque enim est, cur omnes praeceptiones, quae ad rem pertinent, scrupulosius persequatur; sed quae *desperat tractata nitescere posse, relinquat* (A. p. 150). Nec carptim tamen aut sine ordine praecepta enarret, sed et partes disciplinae totius, et in singulis partibus praecepta apte disponat. Belle Virgilius Georgicorum partes initio proponit:

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
Vertere, Maecenas, ulmis adiungere vites
Conveniat; quae cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori; apibus quanta experientia parcis:
Hinc canere incipiam.

266. Ipsa deinde rerum tractatione efficiendum est, ut, quaecumque doceantur, accurate et facile

possint intelligi; ut per acres et illustres imagines atque verborum lumina excitentur; ut ad hominum fortunam et vitam referantur; ut denique iucunda varietate distincta sint.

1. Dictionis ornatus accuratae rerum notitiae officere non debet; nisi autem facilis sit intelligentia, nulla esse potest delectatio.

2. Luminosae dictionis exempla inprimis praebet Virgilius; ut de pugna apum:

Tum trepidae inter se coeunt, pennisque coruscant,
Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos,
Et circa regem atque ipsa ad praetoria densae
Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.
Ergo, ubi ver nactae sudum camposque patentes.
Erumpunt portis; concurritur; aethere in alto
Fit sonitus, magnum mixtae glomerantur in orbem,
Praecipitesque cadunt. Non densior aëre grando,
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.
Ipsi per medias acies, insignibus alis,
Ingentes animos angusto in pectore versant.

Georg. 4, 73.

Vide alia lib. 3. v. 478; lib. 4. v. 116. et hic, n. 241.

3. Idem Virgilius vitae rusticae, de qua praecipit, non labores tantum, sed et vicissitudines, agricolarum spes et metus, dolores et gaudia enarrat. Sed ut praecepta ad hominum vitam referantur, saepe ipsa facit elocutio, praesertim cum rebus inanimis sensum et actum tribuit, aut in mutis animalibus humanos mores et affectus fingit.

Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
Concidit, et mixtum spumis vomit ore cruorem,
Extremosque ciet gemitus. It tristis arator,
Moerentem abiungens fraterna morte iuvencum;
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.

Georg. 3, 15.

4. Varietas iam in seligendis collocandisque praeceptis respicienda, sed maiori cura in tractatione quaerenda est. Eius gratia

267. Digressiones in carmine didactico frequentiores esse possunt, modo tamen argumento aptae et loco positae sint.

1. Itaque si moralis est doctrina, quae carmine traditur, ad naturae amoenitates describendas saepe excurritur; contra si doctrina ipsa vitam non spectat, moralis interponitur locus. Animorum autem motus, res gestae, eventa omni in genere doctrinae per digressum tractari iucunde et utiliter possunt.

2. Breviores digressus, quales fere sunt doctrina moralis et animi motus, ex rebus ipsis, quae tractantur, sponte nasci debent; longiores autem excursus, in quibus gesta vel eventa narrantur, cum praeceptis ita coniuncta esse solent, ut eorum modo causas explicent, modo effectus ostendant et usum commendent. Qui tamen doctrinam abrumpere, aut ea, quae natura connexa sunt, divellere non debent, sed eo potius loco ponendi sunt, ubi mora ad reficiendos animos opportuna sit.

CAPUT VII.

DE SATYRA ET EPISTOLA

Quid sit satyra et quae eius genera; quae materia, quae forma; qualis dictio n. 268; quae sint epistolae poeticae genera n. 269.

268. *Satyra* poema est, quod vitia hominum vel castigando vel ridendo exprimit. Duo igitur sunt genera, *austerum*, quod vitia severe perstringit, *iocosum*, quod facete ridet; utriusque tamen idem finis: mores, quos carpit, corrigere. In priori genere Iuvenalis et Persius; in posteriori Horatius excelluit. — Quod si satyra apta non videatur, quae pravos homines a vitiis revocet; at certe reliquos commonet, ut caveant, et ipsos vitiosos coercet, ne turpitudinem petulanter ostentent.

Materia satyrae tam late patet, quam vitia hominum odio aut risu digna *), unde Iuvenalis:

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, (voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli;
1, 68.

sed fugienda est non solum obscoenitas, sed omnis etiam nimium vilis turpitudo.

*) Satyra igitur per materiam idyllio plane opposita est, cum ea potissimum vitia perstringat, quae nativo candori et innocentiae contraria sunt; sed hoc illi cum eodem convenit, quod vitam hominum et mores depingit, et ad hunc tantum finem acta eorum, dicta et casus narrat.

Forma satyrae varia est; quandoquidem et narrat, et describit, et sermonem hominum inducit. Praestat autem, quo magis poema sit unum et simplex, non modo unum tantum vitium tractari, sed unam quoque certam personam, actionem, eventum fingi, quo vitium demonstretur. Hoc inprimis Horatius servat; Iuvenalis contra et plura vitia, et varia hominum genera uno saepe carmine complectitur. — Ceterum, quod probe notandum est, *certam* personam fingendam esse dixi, non *veram* assumendam. Bene enim Martialis:

Hunc servare modum nostri novere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Epigr. lib. 10.

Elocutio generatim tenuis est, consuetudinem imitans, sed pro re nata nonnunquam assurgit: nihil autem ei magis proprium, quam hominum mores ad vivum effingere.

269. De *epistola* poetica vix est, cur seorsum praecipiatur, cum in eam praecepta iam tradita facile accommodentur. Tria enim epistolae sunt genera: *didactica*, *satyrica*, *elegiaca;* — elegiae scilicet simillima est, quam *heroidem* dixerunt, i. e. epistola, qua vir aut mulier nobilis fortunam suam queritur. Atqui in triplex hoc genus, quae de elegia, satyra et carmine didactico praecepta sunt, conveniunt; dictio tamen magis etiam, quam in his carminibus fieri solet, naturalem facilitatem, epistolis propriam, imitatur.

CAPUT VIII.

DE NARRATIONE POETICA

Quid narratione poetica praestandum; quae ideo dispositio adhibenda; quae in tractatione servanda n. 270; quomodo descriptione utendum n. 271; quid in elocutione praecipuum n. 272.

270. Narratio poetica a vulgari generatim iisdem differre rebus debet, quibus poesis a soluta oratione distinguitur; caput enimvero est, gesta, quae narrantur, ita oratione exprimi, ut, qui legit, ea non aliter ac si coram fiant, intueatur.

Quod ut consequatur, fingendi ac disponendi licentia sic uti debebit poeta, ut carminis structura ad quandam actionis scenicae similitudinem accedat *).

*) Saepe igitur a media actione incipere potest, atque ea, quae praecesserunt, vel paucis ac quasi in transitu significare, vel si coniectura facile prospiciuntur, plane ommittere. Ita fit, ut totius actionis vis animum percellat, cum ea, quae summa sunt, velut uno in spectaculo cernantur. Quamvis autem necesse non sit, rerum seriem semper invertere, eam tamen sic percurrere, ut singulae fideliter enarrentur, vim carminis facile enervat. Ad quem languorem vitandum utile interdum est, actionem in certas partes, actibus fabulae similes, distribuere.

Quod iam ad tractationem pertinet, pauca poeta praefari debet, pauca explicando interponere, sed statim agentes in scenam producere, et in eorum verbis et actis exprimendis paene totam orationem consumere.

Schol. Hoc est, quod Aristoteles in Homero laudat, ut qui solus ex poëtis, quid sibi maxime praestandum sit, intelligat, morum scilicet et actionum humanarum imitationem. c. 24.

271. *Descriptione* rerum et personarum optimus quisque poeta parce *), nec nisi magna quadam solertia, utitur: nam aut paucis eam lineamentis absolvit, quae si bene fuerint selecta, efficiunt, ut mens sibi totum effingat:

Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon: cui plurima mento
Canities inculta iacet; stant lumina flamma;
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Aen. 6, 298.

Aut cum paulo diutius in descriptione moratur, actiones et motus animorum interponit:

In somnis, ecce, ante oculos moestissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus,
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes traiectus lora tumentes.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli,
Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes;
Squalentem barbam, et concretos sanguine crines,
Vulneraque illa gerens, quae circum plurima muros
Accepit patrios. 2, 270. Cf. 2, 205.

Interdum etiam scite in actiones omnia convertit. Sic Homerus, ut currum Iunonis describat, facit eum velut intuentibus nobis ab Hebe componi. Il. 5, 722. Cf. Il. 1, 234.
Dante. Purg. c. 1, t. 11.

*) Si difficile est, rerum faciem et statum permanentem perspicue et distincte verbis exprimere (n. 201), multo difficilius est huiusmodi descriptionem rationibus poësis accommodare. Idcirco poëta potius actiones, eventus et quaecumque in rebus mutantur sibique succedunt, tractare, et his velut signis quibusdam et effectis rerum ac hominum indolem ostendere debet. Homerus quidem navim, heroem, deum uno saepe verbo aut brevissima similitudine describit, ut ὁ δ' ἤιε νυκτὶ ἐοικώς (Il. 1. 47), navigationem autem heroum et deorum dicta et facta diffuse narrat.

272. In elocutione praecipuum est, ut quam optime imitetur, ut actuosa sit et affectuum plena, ut rerum magis quam verborum copia abundet.

Puer Icarus una
Stabat; et, ignarus sua se tractare pericla,
Ore renidenti, modo quas vaga moverat aura,
Captabat plumas flavam modo pollice ceram
Mollibat; lusuque suo mirabile patris
Impediebat opus. Ov. Met. 8. 195.

Vide etiam Virgiliana n. 240 laudata. — Iam his ipsis motus animorum praeclare expressi sunt, quae tamen virtus maxime cernitur, cum rerum summa agitur, ut Aen. 2, 212. ibid. v. 507 Georg. 4. 485, — Ut vero pressae dictionis vim cognoscas, confer descriptionem orci apud Ovidium verbositate aliquando languidum Met. 4, 432. cum Virgiliana Georg. 4, 467.

CAPUT IX.

DE CARMINE HEROICO

Quid sit, et quis finis eius n. 273.

273. Heroicum seu epicum dicitur carmen, quod magnam viri illustris actionem amplo narrationis genere exsequitur. Si vocabuli originem quaeris,

ἔπος verbum vel carmen significat; sed ab hac communi notione ad proprium genus contractum est, ut τὰ ἔπη vel etiam τὸ ἔπος idem sit, quod carmen heroicum. Ἐποποιΐα igitur proprie est scriptio carminis epici, sive poesis heroica, sed saepe etiam pro ipso carmine ponitur.

Finis epopoeiae proprius est, cum rerum eventu, tum maxime virtutis quadam praecellenti specie admirationem movere, quo verae laudis et honestatis desiderium inflammet.

Schol. Quia carmen epicum inprimis aptum est principibus erudiendis et ad praeclara facinora excitandis, Aristoteles hunc ei posuit proprium finem: ac certe ipso monente Alexander Magnus Homeri carmina diurna versabat et nocturna manu.

Art. I.

DE FABULAE EPICAE DOTIBUS

Quid de argumento n. 274; quae fabulae dotes necessariae; unde sit una n. 275; unde tota; quid de monstrandis causis, n. 276; quae iusta amplitudo n. 277; unde varietas petenda n. 278; unde admirabilitas; quae servanda in portentis n. 279.

274. Quo propius legentium animos tangat poema, argumentum praestat verum esse, atque cum fortuna patriae ac religione coniunctum. Solet autem argumentum ex antiquitatis historia peti, ut et maior sit sanctitas et fictio liberior *).

*) Veteres quidem etiam ideo ex *heroico* aevo materiam sumebant, quod mirabilia, quibus in hoc genere proprius est locus propter tritas sermone vulgi fabulas credibiliora erant.

275. Iam vero fabula, quam de argumento poeta componit una sit necesse est, tota, verisimilis, iustae quoque amplitudinis, varia et admirabilis.

Una fabula esse debet non solum ex tempore aut persona, sed maxime actione ipsa *).

*) Quare erraverunt, qui Heracleidem et Theseidem aut similia poëmata, quae totam herois vitam complectuntur, scripserunt; putantes, quia unus esset Hercules, unam etiam fabulam esse: peius etiam, qui facta diversa, eo quod uno tempore contigerunt, eodem carmine complexi sunt. Huiusmodi enim narratio sive vitae sive factorum historica est. Homerus quidem, id probe intelligens, in Odyssea non omnia assumpsit, quae Ulyssi acciderunt, sed in una eius actione versatus est; similiter nec in Iliade totum illud bellum, quamvis unum esset, narrare instituit; sed partem eius decerpsit, quam mirabili varietate ornavit. Ar. 8. et 23.

276. *Tota* sive integra fabula est, quae omnes necessarias partes, principium scilicet, medium et exitum, habet. *Principium* est, ex quo actio sic proficiscitur, ut nihil aliud necessario praecesserit. Ita Iliadis principium est ira Achillis in Agamemnonem; Aeneidos autem profectio herois ex Phrygia in Italiam deorum iussu suscepta. *Medium* est, per quod venitur ad finem; progressus scilicet actionis per difficultates varias et vicissitudines fortunae: in Aeneide labores terra marique tolerati, et bellum cum Turno grave et atrox. *Exitus* est propositi assecutio, post quam nihil aliud requiritur; apud Virgilium caedes Turni et Aeneae regni constitutio.

Plurimum autem ad haec omnia refert, ut quaecunque narrantur, eorum causae demonstrentur. Variae enim partes non efficiunt unum nec totum, nisi aptae inter se cohaereant; cohaerent autem

per causas. — Eadem ex re efflorescit *verisimilitudo*, de qua superius (n. 236) dicta recole. — Causae autem istae in consiliis et moribus hominum, in numine divino, aut rerum natura, non in fortuitis eventis monstrandae sunt.

277. *Iusta* erit *amplitudo*, si et respondet rei narrandae, et carmen totum simul animo facile conspici potest. Porro rei magnitudo poematis respondebit, si consideratis actionis causis, praesidiis et impedimentis, ea, quae inter principium et finem narrantur, necessario vel probabiliter contigisse videantur, ut res ad exitum perduceretur. Servata autem hac cum re convenientia, et illa facilitate totum animo complectendi, quo amplius, hoc pulchrius poema est. Ar.

278. *Varietas* cum rebus ipsis, quae geruntur, personis et fortunae vicissitudine, tum etiam episodiis obtinetur: quae quidem episodia in epico carmine, utpote peramplo, frequentiora et longiora, quam in quovis alio esse possunt. Curandum vero inprimis, ut fabulae sint propria (οἰκεῖα) i. e. quam maxime consentanea. Ar., 17.

Schol. Partes actionis ita inter se cohaerent, ut qualibet dempta, totum immutetur aut mancum efficiatur; episodia autem sic assumuntur, ut iis etiam omissis, fabula integra maneat. Ad ea igitur cognoscenda, in quo non pauci laborant, dispice, utrum ad actionis initium, progressum et finem exponendum necessaria fuerint. — Sic amotis ex Aeneide ludis (l. 5), descensuque Aenae ad inferos (l. 6), fabula adhuc esset integra.

279. *Admirabilis* fit fabula primum quidem ipsa rerum magnitudine et novitate, atque eximia herois virtute; tum iis, quae praeter exspectationem

et consuetum rerum cursum, coelitum et inferorum interventu, geruntur *). Itaque actio sit magnis de causis suscepta; inter gravissima impedimenta rerumque discrimina excellenti ingenii vi atque fortitudine, magnis quoque praesidiis gesta; exitu denique claro et memorabili conclusa. Neque vulgaris sit rerum cursus, sed insolitus et saepe praeter opinionem mutatus.

*) Non quodvis mirabile epico carmini aeque conveniens est, sed illud inprimis, cuius non magnitudine tantum obstupescimus, sed maiestatem quoque venerabundi suspicimus, speciemque ac dignitatem adamamus. Iam nemo non videt, hoc mirabile in iis rebus humanis reperiri maxime, in quibus divina efficientia manifesta fiat, ac coeli et inferni numina quasi de victoria certare videantur. His enim rebus tum actionis magnitudo, tum herois ipsius, ad quem omnia referuntur, virtus ac dignitas ad summam, quae esse potest, altitudinem extollitur.

In mirabilibus autem tractandis haec servari oportet: 1. consentanea sint rationibus, quibus mundum regi sapienter credimus. Praecipuus enim huius fictionis fructus est, ut divinae providentiae consilia, quae in communi rerum cursu abdita latent, mirabili eventu patefiant: nec adeo haec divina consilia et facta, sed modus, quo apparent, novus et insolitus est.

2. Nec quidquam temere, sed accommodate ad sacram historiam et doctrinam aut communem hominum persuasionem fingatur; alioquin fictio non erit verisimilis. Ita, ut exemplo utar, licebit spectra fingere, sed nimirum eo tempore, iisque locis et rerum adiunctis, quibus apparere creduntur.

3. Narratio tota grande quiddam et amplum sonet, nulla ex parte maiestati numinis repugnans:

sed nec vicissim, quae finguntur, a rebus humanis ita sint disiuncta, ut cogitatione difficulter appprehendantur.

4. Ita Divi actioni interveniant, ut haec non desinat esse humana. Nimirum coelites consiliis dirigant et monitis; opem ferant; vires addant et animos; sed homines sic adiuti sua nihilominus virtute laborent, certent, vincant.

Schol. Si veterum carmina continent, quae divino numine indigna sunt; id non tam poëtis, quam communi paganorum tristi sorti et corruptelae tribuendum est: at si apud recentiores ineptias aut sordes mythologiae sacris rebus permixtas reperimus, ipsorum poêtarum insipientia culpanda est.

Art. II.

DE EPICAE FABULAE IMPLICATIONE

Quid implicatio; quae primaria; qualis solutio n. 280; quid agnitio n. 281; quid machina; quae de usu eius n. 282; quid peripetia, et qualis in fine actionis esse debeat n. 283.

280. Implicatur fabula, cum iis, quae actionem impediunt, status rerum fit insigniter difficilis. Itaque implicatio (nexus, implexio) fabulae nascitur ex ipsius actionis difficultate et adiunctis; ex pugna cupiditatum hominum, ut in Iliade; ex ignorantia rerum vel personarum, ut in Odyssea; denique ex interventu caelitum et inferorum.

Una sit implicatio primaria, per totam actionem durans *); adversa scilicet heroi potestas, quae novam semper impeditionem molitur, et qua tandem devicta, res conficitur.

*) Optimum, si ceterae, quae fiunt implicationes, ex hac primaria oriuntur, ut in Aeneide e Iunonis odio; certe nulla fortuito accidisse aut temere afficta esse videatur.

Solutio implicationis, etsi inexspectata, non tamen fortuita aut violenta, sed ex ipsa fabula nata esse debet: quod maxime in ultima solutione servandum. Haec enim, cum omnium, quae acta sunt, supremus ac pulcherrimus fructus esse debeat; si casu aut qualibet causa a fabula aliena contingat, totus, qui praecesserit labor, inutilis videri possit.

281. In solutione praeterea tria consideranda sunt: agnitio et machina, quae saepe causae solutionis sunt; et peripetia, quam solutio efficit. Ἀναγνώρισις quam *agnitionem* (proprie recognitionem) interpretantur, ab Aristotele dicitur ex ignoratione in cognitionem mutatio, ex qua amicitia vel inimicitia, prospera vel adversa fortuna oritur (c. 11). *Duplex* est, si ex utraque parte contingit, ut in Oreste et Iphigenia; *simplex*, si ex una tantum, ut cum Ulysses a nutrice recognoscitur. — Hoc autem melior est omnis agnitio, quo graviori cum fortunae mutatione coniuncta est.

282. *Machina* apud priscos vocatur deorum interventus, quo difficilis actionis nodus solvitur. De qua primum est Horatii praeceptum:

Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit — *); A. p. 191.

alterum ut causa divini interventus ex ipsa actione

intelligatur **). — Nomen autem inde habet, quod tragoedi deos, tanquam caelo delapsos, adhibita machina in scenam producebant.

*) Reprehendit Homerum Aristoteles, quod Minervam e caelo deduxerit, ut suaderet Graecis, ne re infecta abscederent; quippe quod viri prudentis consilio effici potuisset, c. 15.

**) Imperiti poëtae cum nodum extricare nesciunt, ex improviso miracula fingunt; unde proverbium: *Deus ex machina*.

Schol. Multum inter viros doctos litigatur, conveniatne ultimam quoque solutionem per machinam fieri; eo quod in hac praecipue herois virtus cognosci debeat. At si deus non intervenerit, nisi quatenus ex ipsa fabula probabile est; et si heroem ita adiuverit, ut is, tametsi non sine ope caelesti, magna tamen virium contentione rem ipse perficiat; machina non magis in hac, quam in omni alia solutione a carminis proposito abhorrebit. Certe ita et Homerus et Virgilius existimaverunt.

283. Περιπέτεια vocatur subita eorum, quae aguntur, in statum contrarium conversio. Plerumque peripetia nodi difficilis solutionem consequitur; sed aliquando etiam ea ipsa implicat actionem, ut tempestas in principio Aeneidis. In exitu autem carminis perfecta esse debet, talis scilicet qua agentes omnes involvuntur, resque tota conficitur. Nihil enim peius, quam si poeta alia et alia praeter solutionem praecipuam confingere debet ad omnia nimirum, quae implicuit, extricanda.

Art. III.

DE PERSONIS EPICIS

Qualis heros ipse, quales ceteri fingendi n. 284; quatenus mores veri et boni esse debeant n. 285; quid de eorumdem constantia et varietate n. 286.

284. Persona princeps, illa scilicet, cuius proprie est actio, κατ' ἐξοχὴν heros appellatur. Hic

ergo heros, quo magis carmen animos moveat teneatque, unus sit et illustris, indole ac moribus amabilis et mirandus *); tametsi virtutis non omni ex parte perfectae et absolutae **).

*) Requirunt ergo in heroe inprimis animum praesentem, erectum, constantem, cum optima corporis temperatione; spiritus sublimes, et vim quandam quasi divinam, qua supra hominem et sapere et posse videatur.

**) Heros virtute admirationem movere debet; nihilominus ea, in quibus a perfecti specie deficit, efficere solent, ut magis etiam animos tangat: nam et verior videtur imago, et magis afficimur erga eos, quos minus nostri dissimiles novimus, et propter ea ipsa, quae imperfecta notamus, timemus ac miserescimus. Sed haec tamen eiusmodi esse debent ut nullum contemptum ingerere possint.

Socii, ministri et adversarii herois non plures, quam actionis magnitudo et adiuncta requirunt *); et tales fingendi sunt, qui herois virtutem et decus non solum non offuscent, sed etiam illuminent **).

*) Cavendum igitur, ne ideo tantum assumpti esse videantur, quia poëta ex loco difficili aliter evadere non potuerit.

**) Socii quamvis excellant virtute, ne sint tamen pares heroi; inter adversarios autem unus solet eminere, ut Hector apud Homerum, qui cum caeteros virtute superet, ab heroe devictus huius gloriam illustrat.

285. Sed praecipua cura in *moribus* est, qui veri aut verisimiles, boni, constantes ac varii esse debebunt.

Veritas in personis fama notis; in fictis *verisimilitudo* quaeritur.

1. Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge.
Scriptor honoratum si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer.

Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
A. p. 119.

2. Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
A. p. 156.

Iam quae latius hic Horatius de aetate exsequitur, simili ratione in sexu, conditione, genere et patria servanda sunt.

Bonitas morum non ita praecipitur, ut omnes debeant virtute excellere, sed ut nemo sit plane nefarius. Extrema enim malitia nimis foeda et horribilis, nec fere nisi in monstruosis hominibus verisimilis. Quos igitur poeta malos fingit, ii errore peccent, aut irae motu; nec scelus audeant, nisi malorum metu aut bonorum cupiditate inflammati et abrepti.

286. *Constantia* morum postulat, ut homines nihil agant vel loquantur, nisi quod cum moribus, quos iis tribuit poeta, plane conveniat (Cf. n. 236).

Si quid inexpertum scenae committis, et audes
Personam formare novam, servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere: tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.
A. p. 125.

Varietas morum, quae et iucunda et utilis est,

maxime ad eorum, quae fiunt, causas monstrandas, magis proprietate quam discrepantia quaerenda est *).

*) Facile est disparata fingere, quia extrema cuique perspecta; sed magnae artis et subtilis ingenii, mores ita temperare, ut etsi non ita longe distent, proprietate tamen significanter expressa quam optime discernantur.

Art. IV.

DE CARMINIS EPICI INGRESSU

Qualis propositio esse debeat; quis invocandus; quae causa exponenda n. 287.

287. Ingressus epopoeiae tria complecti solet: propositionem, invocationem et causam.

Propositio, quae argumentum summatim enuntiat, accurata, brevis et verecunda esse debet. *Accurata* est, si verbis significantibus contexta, rem totam perspicue et definite ob oculos ponit; *brevis*, si summa tantum rerum capita perstringit, non excurrens latius, nec redundans verbis et sententiis; quae omnia in Lucani Pharsalia reprehendunt. *De verecundia* Horatius:

Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat. A. p. 136.

Invocare solent poetae numen aliquod, cuius afflatu tantum carmen rite absolvant: quae quidem invocatio cum propositione coniungi potest, ut in utroque carmine Homeri. — Interdum etiam in decursu poematis, cum res gravissima tractanda est, renovatur, ut Aen. 6, 264.

Causa hic intelligitur non quodvis actionis principium, sed illud, unde cuncta narranda ortum habent. Itaque Homerus de Achillis ira, Virgilius de odio Iunonis ab initio exponunt.

Art. V.

DE NARRATIONE EPICA

Unde narratio inchoanda n. 288; quo rerum ordine producenda; quid de summa poëmatis parte n. 289.

288. In narrationem, epici carminis partem praecipuam, omnia cadunt, quae de narratione poetica praecepta sunt. Quaeritur autem inprimis, qui disponenda sit.

Initium poeta ab ipsa actione sumere, non vero causas longinquas, gerendae rei adiuncta et apparatus historicorum ritu enarrare debet. Quare de Homero Horatius:

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo;
Semper ad eventum festinat, et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit; et quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
A. p. 146.

Sed tamen non raro ex iis, quae rem antecesserunt, in decursu narrationis aliqua utiliter repetuntur; ut Virgilius in libro 2 excidium Troiae narrat, et Homerus in 2 Iliadis navium et ducum, qui Troiam venerant, κατάλογον recenset.

289. Si actio nec brevi tempore, nec uno in loco gesta est, expedit narrationem a media vel summa parte incipere et priora postea opportuno loco intexere. Si enim illiusmodi actionem totam ab initio exsequeretur poeta, vel singulas partes non ea varietate et copia, quae huic carmini propriae sunt, tractare posset, vel ingentem in molem poema excresceret. Contra si a parte media vel suprema incipit, in hac morari, et priora, quae tantum intexit, et carptim et strictim dicere potest. Deinde quoniam haec summa est virtus narrationis, efficere, ut cuncta tamquam oculis subiiciantur; ad hoc conducit plurimum, ea, quae narrantur, non per multa loca et tempora dispersa esse. Quod si per actionem ipsam datur, nulla est ratio ordinis invertendi *).

*) Hinc Virgilius ab ultimo navigationis anno narrationem orditur et quae prioribus multis in locis acciderant, libro III breviter exponit. Similiter Homerus fecit in Odyssea; qui contra in Iliade naturalem ordinem servavit, quandoquidem ira Achillis, non bellum Troianum, Iliadis argumentum est.

De summa poematis parte illud adhuc monent, ut peracta solutione, qua res perficitur, reliqua breviter absolvantur. Episodia in hac parte aut nulla, aut certe nonnisi perbrevia tolerantur.

De sermone denique epico, ne alibi dicta repe-

tamus, in universum praecepisse sufficiat, illum varium quidem pro rerum, quae narrantur indole, sed generatim tamen dignitate et copia conspicuum esse debere.

CAPUT X.

DE TRAGOEDIA

Art. I.

DE TRAGOEDIAE NATURA ET FINE

Quid drama, et unde eius vis ad movendos animos n. 290; quid tragoedia n. 291; quis eius finis n. 292.

290. Tragoedia ad poesin, quam dramaticam dicunt, refertur. Δρᾶμα (actio) enim vocatur poema, quod rem gestam non narrando, sed agendo imitatur. Maxima huic generi est vis ad animos permovendos, quod non solum menti, ut epopoeia, sed ipsis quoque sensibus rerum spectacula obiicit; in eo ipso autem reliquas artes, ut picturam et statuariam vincens, quod non mortua simulacra, sed viventes ore habituque simillimas exponit personarum imagines, ut illae non adumbrari, sed ipsae per se suos retractare casus videantur. Accedit, quod hoc uno in opere plurium bonarum artium consociata vis et efficacitas operatur.

291. Tragoedia igitur definitur drama, quod actionem gravem cum calamitate coniunctam imitatur.

Tragoedia a dithyrambis originem habere creditur, Cum enim his carminibus heroum acta celebrarentur, in morem venisse ferunt, inter cantus actores producere, qui gesta ipsa imitarentur, paulatim deinde factum esse, ut actio interposita primas sibi partes vindicaret, dithyrambi usu in choro servato. Primus vero auctor Thespis fuisse fertur (A. p. 276). — De *nominis* ortu inter scriptores non convenit. Nam alii a τράγος (hircus) et ᾠδή derivant, sive quod Baccho, in cuius honorem dithyrambi canebantur, hircus immolari, sive quod poëtae victori hircus dari solebat (A. p. 220); alii a τρύξ (faex) deducunt, quoniam ante personarum usum actores ora faece linebant.

292. Finis tragoediae est, affectus misericordiae et timoris movere eosdemque purgare. Primum igitur efficere debet tragoedia, ut et alienam sortem miseremur et nobis ipsis timeamus. Quae duo coniungi sua natura videntur; etenim, ut ait Aristoteles (Rh. 2, 5), metum afferunt ea, quae in aliis miseramur, et vicissim ad miserandum pronus est, qui similia atque alius patitur, sibi aut suis vel meminit contingere, vel timet, ne contingat. Alterum, quod a tragoedia postulatur, est, ut purget affectus, quod fit cum ita temperantur, ut non solum iure et laudabiliter, sed etiam sine dolore, quin magna cum voluptate commoveamur (Id. Polit. 8, 7). Hoc enim habent animorum motus, qui ad honestatem pertinent, ut, etiamsi ex animi aliqua aegritudine oriuntur, si modum quendam acceperint, animum demulceant et confirment, nedum affligant aut perturbent.

Schol. Quaesieris, cur ad hos potius animorum motus, quam ad inflammandum amorem admirationemque virtutis, cuius quippe excellentia in calamitate ferenda vel maxime cernatur, tragoedia referri debeat. Sed primum quidem tantum abest, ut hos alios affectus a tragoedia removeri oporteat, ut sine iis purgatio

miserationis et fortitudinis effici non possit. Verum ad hoc omnia dirigere, ut magnitudine rerum admiratio inferatur, magis heroico carmini consentaneum est. Neque enim ab omni genere omnem vim delectationemque poscere debemus, sed propriam; propria autem cuique est, quam aliis facilius meliusque consequi potest. Iamvero ut miseratio et metus iis maxime rebus moventur, quae oculis spectantur, ita perdifficile non est, actionem ad hos motus accommodatam in scenam dari; contra vero res magnae et admirabiles cum difficillime scenica imitatione exprimuntur; tum auditae facilius, quam visae creduntur. Cf. Ar. c. 14.

Art. II.

DE FABULAE TRAGICAE CONSTITUTIONE

Quid de fabulae tragicae dotibus; utrum ea illustris esse debeat; utrum vera n. 293; quatenus luctuosa n. 294; quatenus una, actione, loco et tempore n. 295.

293. Ad tragoediae fabulam recte constituendam videndum nobis est, quatenus ea illustris, vera, calamitosa et una esse debeat. Nam quae de verisimilitudine, integritate et iusta amplitudine alibi praecepta sunt, facile in hunc locum, spectata tragoediae natura, revocari possunt.

Veteres actionem tragicam semper *illustrem*, ac fere ut epicam ex heroum fastis depromptam voluere; nostri duo fecerunt genera, tragoediam *heroicam*, quae in clari viri memorabili casu, ac *civicam*, quae in communi hominum vita versatur *).

*) Qui civicam tragoediam reprehendunt, clari viri casum miserabiliorem esse aiunt, et magis idoneum ad metum incutiendum, quod ea, quae magni fugere non potuerint, facilius nobis accidere posse credamus: qui defendunt, inde quoque ma-

iorem miserationem et formidinem esse respondent, quod res ab ea conditione, qua ipsi utamur, propius abfuerint. Illud enimvero constat, amplitudine et dignitate tragoediam heroicam civicae praestare.

Expedit, heroicae tragoediae argumentum *verum* esse; quamquam fictum tolerari possit. Poetam, qui omnia fingat, reprehendere, ridiculum putat Aristoteles; eo quod vera quoque paucis nota sint, et tamen omnes delectent (c. 9). Sed si omnes delectant, non aeque tamen omnes. Ut enim amicorum, et quoscumque diligimus ac veneramur, fortuna magis movemur; ita illorum quoque, quorum memoria illustris et cara est. Certe poetarum principes ita senserunt, libertate, quam Aristoteles concedit, perraro utentes.

294. Tragica actio semper quidem *calamitosa*, i. e. cum gravi calamitate coniuncta est, sed interdum felicem habet exitum *). Fingunt etiam duplicem fortunae commutationem, ut altera quidem pars ex infelici felix, ex felici altera infelix fiat. Sed proposito tragoediae magis accommodatus est exitus simplex isque luctuosus **).

*) Lucta adversus aerumnam, et imminens extremum discrimen ad metum et misericordiam afferendam interdum sufficere videntur; quare cum atrocius esset, ultra progredi, fortuna commutata, brevi gaudii significatione fabula absolvitur, ut in utraque Iphigenia.

**) Duplex ille exitus propter infirmitatem spectantium, qui eo delectantur, a nonnullis poëtis frequentatur; sed haec delectatio comoediae magis, quam tragoediae propria est. Ar. 13.

295. *Una* tragoedia triplici ratione esse potest; actione, loco et tempore. Ac de actionis quidem simplicitate ea tenenda sunt, quae de epica fabula praecepimus. De loco et tempore intricatior

est quaestio. Optimum certe, si locus quoque et tempus unum idemque fuerit; verum ut nimia est in hac re licentia fugienda, ita non minus scrupulosa quaedam observantia.

1. Loco una est fabula, si scena nunquam mutatur; tempore, si eo fere horarum spatio, quo res in scena agitur, contingere potuit. Atque ita fere veterum fabulae, utpote breviusculae et admodum simplices, facilius disponi potuere: nostrae autem tragoediae multo magis implicatae, vix fieri potest, ut tam arctis in spatiis contineantur: quapropter in iis duo extrema ex aequo vitanda erunt.

2. Licentia tamen nimia est, qua nonnulli iam non dies et menses, sed totos annos una scenica actione complectuntur. Locorum porro mutandorum nullus est finis: nam et per dissita regna actionem trahunt, et in eodem saepe actu, aperto theatro, scenam mutant.

3. Alii contra certa temporum et locorum spatia definiunt. Cum Aristotele (c. 5) enim statuunt, ut actio intra unius solis ambitum contineatur; loca autem mutari permittunt intra unius domus vel certe urbis circumscriptionem. At nisi haec ita servent, ut ex actione ipsa verisimile sit, rem in locis illis gestam et tam brevi tempore confectam esse; ipsam, quam sollicita hac cura quaerunt probabilitatem, turpius amittunt.

Art. III.

DE PERSONIS TRAGICIS

Quid de primaria persona Aristoteles praecipiat n. 296; quare nihilominus haec ab omni culpa immunis esse possit; quae in eiusmodi tragoedia servanda n. 297; quid de adversario n. 298.

296. Magnum ad vim et effectum tragoediae momentum habet ratio personarum: quaeritur autem inprimis de primaria et ea, per quam haec infelix redditur.

Optimum esse plerique cum Aristotele (c. 13) docent, si primaria persona proba quidem, non tamen omnis culpae expers sit, ita ut neque scelere aliquo in perniciem incurrat, neque sine ullo errore calamitate affligatur.

Improbi calamitas quendam quidem humanitatis sensum, sed non illam, quam tragoedia quaerit miserationem, neque metum excitat. Etenim non miseramur, nisi quos meliori sorte dignos putamus, nec quisquam, nisi forte homo nequam, sibi timet, quod nefario scelere effectum videt. Improbos autem ex infortunio in felicitatem transire omnium maxime a tragoedia alienum est. — Fabulam, in qua probus homo ex adversa fortuna in prosperam devenit, Aristoteles non improbat: sed innocentem sine omni culpa ex prospera in adversam labi, nec miserabile esse ait, nec formidolosum, sed foedum: non, quod desit ratio miserendi et formidandi, si mentem eius assequor, sed quod motus illi redundante quodam horrore exasperentur nedum purgentur.

207. Nihilominus et poetarum opera et ratio ipsa docent, bonorum calamitates, non solum sine culpa, sed etiam propter ipsam virtutem toleratas, a tragoedia minime abhorrere, modo ita tractentur, ut suavis Dei providentia ac virtutis vis et dignitas eluceant.

Nominatim hoc loco de christianis martyribus quaeri solet. Iam horum quidem veros cruciatus in spectantibus id effecisse constat, ut ipsorum sortem non foedam et abominandam, sed pulcherrimam et invidendam putarent. Praeclare enim cum iis actum esse intellexere, qui mortem moriendo vincerent, et tormento brevi sempiternum decus adipiscerentur. Si iam tragoediae finis spectatur, miserescimus sane eorum, qui immerentes extrema patiuntur; sed mitigatur hic dolor admiratione virtutis et aeternitatis beatae laetissima spe: metuendum nobis intelligimus, quod, si minus eadem, at similis sors plerosque omnes manet, qui pietati christianae impensius student; et simul monemur, non eos timere, qui corpus occidunt, animum occidere non possunt: atque hac temperatione affectus illi optime purgantur.

Sed ut haec consequatur poeta, tria potissimum servabit. Primum victoriam virtutis, quae in martyrum interitu cerni debet, non satis sibi monstrasse videbitur, si forte mirabilia, quae in illo contingere solebant, machina aliqua imitatus fuerit; sed totâ fabulâ, et eius, qui patitur, actionibus et verbis vim illam divinam ostendet. — Deinde tragicae fabulae aptiores putabit, qui divina gratia afflati dolores, quibus exuruntur, vincunt, quam qui nullo acerbitatis sensu affici vi-

dentur; quin etiam a proposito suo alienum non existimabit, si, praesertim ante extremam pugnam, infirmitatem quandam produnt; si ex carorum complexu aegre divelluntur; si vitam florentem despicere dubitant, et diversis animorum motibus agitati in periculum succumbendi incurrunt. Postremo curabit, ut improbi qui tales persequuntur, nefaria victoria non solum non beati, sed etiam miseri esse intelligantur.

298. Vim maiorem ad commovendum habebit fabula, si is, qui auctor est calamitatis, cum eo, quem exagitat, necessitudine sive cognationis sive amicitiae iunctus, atque errore potius mentis aut quodam animi impetu, quam improba voluntate ductus est. Removenda enim a scena est inhumana barbaries, quae horroris et indignationis sensu mentem perstringit.

Reliqua de personarum moribus vide n. 285 et n. 286.

Art. IV.

DE PARTIBUS TRAGOEDIAE

Duplex est ratio dividendae tragoediae: altera, quae internam fabulae constitutionem respicit, in protasin, epitasin et catastrophen; altera, quae magis externa est, in actus, scenas et chorum.

§ I.

DE PROTASI, EPITASI ET CATASTROPHE

Quid sit protasis; et quid in ea efficiendum n. 299; quid epitasis; quae in hac servanda n. 300; quid catastrophe; qualem esse deceat n. 301.

299. *Protasis* dicitur prima pars tragoediae ad

reliquam actionem spectantium animos disponens. Itaque similis orationis exordio summam rei proponit, atque statum rerum et personarum ita adumbrat, ut nihil eorum, quae ad intelligendam actionem scitu sunt necessaria, spectantem lateat. Ut vero hunc non docilem tantum, sed attentum quoque faciat, multo praestat, ea quae dixi, personarum colloquiis et ipso actionis initio nota fieri, quam continenti sermone enarrari.

300. *Epitasis* altera et maior est tragoediae pars, in qua coepta actio variis utrinque actorum studiis miscetur, rerumque eventis magis ac magis implicatur.

In ea tria servanda sunt: 1. Una sit implicatio generalis, quae novis semper difficultatibus ad finem usque crescat; quare male nonnulli inde ab initio tam truculentam rerum faciem effingunt, ut crescere affectus non possint. 2. Difficultates graves potius quam multiplici nexu intricatae sint: ubi magnum discrimen inter veterum tragoedias et nostras notandum est. In hisce enim multo plures sunt actores, quorum cupiditates et studia colliduntur; plures etiam rerum eventus, qui novis semper nexibus fabulam implicant. Qua varietate, si apte inventa est, fabula quidem et iucundior et gravior effici potest; at multi modum non servant, nec tam pondere rerum movent, quam multitudine obruunt animum et confundunt. 3. Omnium denique, quae fiunt, causae ex rerum statu et multo magis ex hominum moribus et studiis intelligantur. Neque enim in tragoedia insolita et mira ad cognoscendum, sed gravia ad permovendum quaerenda sunt. Itaque si proba-

bili aut necessario rerum cursu homo per ea ipsa, quae agit, in nodum difficilem inopinato incurrit, et circumseptus periculis imminenti malo tota animi vi obnititur; id multo magis est tragicum, quam quaelibet portentosa et stupenda eventa.

Schol. Merito autem hoc loco culpantur recentiores, qui vix aliam causam involvendi fabulam norint, quam amores. In quibus cum sine modo et mensura versentur, illustrium virorum famam commaculant, gesta extenuant, graviora et digniora rerum momenta, quae ipsa praebet historia, negligunt, ac denique spectantium animos, quorum motus tragoedia moderari purgareque deberet, effeminant atque depravant. Pudet sane longe sapientiores vel ipsos ethnicos nostris poetis fuisse, atque eas ipsas fabulas, quas Graeci caste et ex rerum dignitate tractarunt, a christianis poëtis turpificatas esse.

301. *Catastrophe*, extrema tragoediae pars, fortunae commutationem et totius actionis exitum complectitur. Haec igitur, ut de solutione carminis heroici dictum est, ex ipsa fabula probabilis, cum peripetia perfecta coniuncta, et brevis esse debebit. Inopinam quoque actori, non spectatori esse praestat. Spectator enim multo magis miserescet et metuet, si actorem, ut e. g. in ἀναγνωρίσει contingit, per totam actionem ignarum sua pericula tractantem, et quibus extremam fortunam avertere conatur, iis ipsis arcessentem videt.

Schol. Recurrit hic quaestio de usu machinae. Aristoteles eum improbat, quod catastrophe ex ipsa fabula contingere debeat. Ita est: sed hac ipsa de causa, machina, si cum actione probabiliter coniuncta fuerit (n. 282 Schol.), vetita non erit. Cf. Donat, lib. 2. c. 27.

§ II.

DE ACTIBUS, SCENIS ET CHORO.

Quid actus; quot esse debeant; ubi finiendi n. 302; quid scenae, et quae in iis servanda n. 303; quibus hominibus chorus componatur; quod huius officium n. 304.

302. *Actus* dicuntur partes fabulae, quae interposita mora dirimuntur. Itaque post singulos actus theatrum vel clauditur vel actoribus vacuum est, solo choro remanente.

Actus quinque esse volunt, per quos fabula ita fere distribuatur, ut primus protasin, alter, tertius et quartus epitasin, quintus catastrophen complectatur.

Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci vult et spectata reponi.
A. p. 189.

Ita Horatius: sed difficile est aliam huius praecepti causam afferre, nisi consuetudinem, quae id sancivit, quod primi auctores probarunt *).

*) Hi tamen primi auctores, non Graeci, sed Latini fuisse videntur. In paucis enim Graecorum tragoediis quinque actus certo demonstrari possunt; quin merito in dubium vocatur, an omnino fabulam in actus data opera diviserint. Certe Aristoteles de partibus tragoediae accurate disputans (cap. 6), huius divisionis mentionem nullam facit.

Id autem semper providendum, ut ibi actus finiantur, ubi naturaliter actio ipsa sistitur; neque vero durante actu eodem pausa actionis

fiat, qua vel theatrum vacuum relinquatur, vel, quod peius est, actionis locus mutetur *).

*) Haec autem ex rerum adiunctis disponenda erunt, ne forte actores in theatro ideo tantum maneant, quod sic praecipimus. aut res, ubi non deberet, agatur.

303. *Scenae* vocantur partes actus, personarum vel adventu, vel abitu, vel interventu distinctae. Videndum inprimis, ut inter se quam optime iungantur, nec personae aut veniant aut discedant, nulla apparente idonea causa *).

*) Non sufficit, ut venientes aut abeuntes quidlibet causentur, puerorum scilicet instar, qui ficta causa egrediendi schola veniam poscunt: sed vera sit et probabilis causa.

304. *Chorus* apud veteres turma hominum constabat, qui pro locorum et personarum adiunctis actioni interesse fingebantur, nec proinde unquam theatro decedebant *).

*) Hac potissimum de causa scena, quae nunquam mutabatur, erat vel area domus, vel forum, vel locus quilibet patens. Ita in Sophoclis Antigone scena est ante regiam domum, et chorum constituunt Thebani senes, a Creonte convocati.

Officium chori praecipuum erat, ea animi sensa, quae excitare fabula debebat, carmine lyrico exprimere *). Quare praecipit Aristoteles (c. 18.), ut fabulae tanquam pars cohaereat, et reliquas partes in assequendo proposito iuvet: de quo Horatius:

Actoris partes Chorus officiumque virile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,

Quod non proposito conducat et haereat apte.
Ille bonis faveatque, et concilietur amicis,
Et regat iratos, et amet peccare timentes.
Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
Iustitiam legesque et apertis otia portis (1);
Ille tegat commissa Deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

A. p. 193.

*) Carmina illa chorus vel solus, inter actus scilicet singulos, vel cum maior animorum motus incideret, alternis cum actoribus concinebat. Nonnunquam etiam chori dux cum actoribus colloquebatur, indicans aliquid, suadens, admonens.

Schol. Magnae procul dubio et multae sunt utilitates, quas chorus tragoediae afferre potest. Neque enim solum impedit, quominus spectantium animi inter actus singulos in cogitationes alias distrahantur, sed etiam suggerit, quid in re, quae agitur, considerandum sit, gravibusque sententiis et verbis commovet. Adde spiritus lyricae poësis; adde vocum concentum, qui cum incredibili animorum motu magnificentiam fabulae et splendorem conferunt. Sed tamén in dubium vocari non potest, quin chori praesentia et loci eiusdem ratio coerceat et constringat ita poëtam, ut vel multa omittere vel improbabiliter fingere debeat, nisi ad maximam Graecorum simplicitatem se redigere velit. Quapropter suaserunt, ut chorus tantum inter medios actus prodiret, et pro symphoniis, quae hodie fieri solent, apta fabulae carmina concineret. Bl. I. 40.

Art. V.

DE DIALOGIS, MONOLOGIS ET SPECTACULIS.

Quae in dialogis providenda; quae vitanda n. 305; quando monologus conveniat n. 306; quid hoc loco spectacula; sintne adhibenda n. 307.

305. In *dialogis* multa ex iis, quae in parte

(1) Idest pacem, quae cives securos reddit, commendat.

secunda praecepimus, observanda sunt; inprimis autem videndum, ut sermo personis accommodetur.

Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.
Intererit multum, Davusne loquatur, an heros;
Maturusne senex, an adhuc florente iuventa
Fervidus; an matrona potens, an sedula nutrix,
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus an Assyrius; Thebis nutritus an Argis.
A. p. 112.

In quo tamen cavendum, ne oratio vel ad exprimendam rudiorum indolem nimis humilis fiat et abiecta; vel contra in cultorum hominum sermonibus ornatior sit aut diffusior; vel denique in affectibus tumescat. Nam neque sic est vita imitanda, ut natura quasi nuda et incompta exprimatur; nec ita ornandum poema, ut longius a rerum veritate recedat.

Praecipiunt denique, ne plures quam tres personae colloquantur. Quare Horatius: Nec quarta loqui persona laboret. A. p. 192.

306. *Monologus* perraro adhiberi debet: neque enim naturalis est, nisi in vehementi animorum commotione, aut deliberatione gravi et ancipiti. In eo sermo concisus ac reticentia (n. 99) interruptus animi affectum saepe imitatur.

307. *Spectacula* hoc loco dicimus ea, quae non sermonibus tantum hominum tractantur, sed coram in theatro aguntur. Generatim autem melius est, res in scena geri, quam tantum narrari, modo ne sint atrociores aut portentosae.

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, et quae
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
Digna geri promes in scenam; multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens:
Ne pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

A. p. 179.

CAPUT XI.

DE COMOEDIA

Quid comoedia; quis finis eius n. 308; qualis fingenda fabula; quales personae n. 309; quae implicatio conveniat n. 310; quis stilus; quae in hoc fugienda n. 311.

308. Comoedia est drama, quod actionem civilem et hilarem imitatur. Nomen habet a κῶμος, quo hilare convivium, vel huius praeses deus i. e. Bacchus significatur. Alii minus probabiliter a κώμη derivant, ut sit idem quod *cantus paganus.*

Finis comoediae est: delectando mores corrigere: id quod maxime consequitur ridiculo. In eo igitur convenit cum satyra iocosa: qua tamen hoc efficacior est ad finem obtinendum, quo spectata acrius percellunt, quam audita. Nec vero in risu movendo sunt omnia: sed et eorum, quae ridentur, insipientia aut turpitudo significanda,

neque solum vitia perstringenda, sed virtutes quoque vitae privatae suavi animorum motu commendandae sunt.

309. Fabula comoediae haud secus atque tragoediae una esse debet; non vero magna et illustris, sed ex vita privata et civili assumpta; neque tristis et calamitosa, sed laeta et iocularis; apta tamen quae intentum spectatorem faciat. Vera an falsa sit, nihil refert, eo quod, etiamsi vera, obscura tamen est. Quin etiam veram assumi plane non licebit, quandocumque redundaverit in vituperationem eorum, quorum famae parcendum est.

Personas fingit comoedia, quales in communi hominum vita versantur; earumque mores varios, sermonibus et actis, quam potest maxime, ad vivum exprimit. Alii igitur virtute praediti sint, sed non ea animi magnitudine, quam in heroe miramur, excellant; alii contra vitiis affecti, sed eiusmodi, quae magis risum quam odium moveant. In quibus autem vitiis sit materies ridiculorum, dicetur in Rhetorica (n. 417).

310. Implicatio comoediae non gravis ex magnitudine periculi, sed variis et permixtis nodis difficilis et intricata; solutio inopina et hilaris. Itaque comoedia quoque suas habet peripetias et agnitiones, sed tales, quae leniores animorum motus cient, neque metu perturbant, sed gaudio demulcent. Exitus autem non debet esse felix iis, quorum vitia castigantur; sed hi spe frustrentur bonorum, quae consequi volebant, et insipientiae poenas luant.

311. Stilus procul dubio humilis, et sermoni proximus.

Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

A. p. 93.

Etsi denique comoedia et rerum imitatione et verborum aculeis liberior sit, quam omnis alia oratio; tamen scurrilis et sordida dicacitas, turpitudo, aut agrestis morum rusticitas omnino devitanda.

At nostri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto.

A. p. 270.

Comoedia, quae intra hos se limites continet, non solum innocue delectat, sed utiliter etiam erudit. At vero permulti sunt, quibus oblectatio sola curae, vitae honestas sapientiaque vilis est. Rident vitia, sed non ad corrigendum, et rident ea quoque, quae ridenda non sunt, tantumque abest, ut ad virtutem amandam pelliciant, ut cupiditates inflamment, et vitia ignorantes doceant. Quorum tu adolescens, quem instituimus, neque fabulae spectator intersis, neque libros quaeso tetigeris, vitae innocentia omni delectationi saluteque aeterna cuivis emolumento anteponenda.

ARTIS DICENDI

PARS QUARTA

DE ELOQUENTIA

Quid eloquentia; ex quo aestimandus orator n. 312; quibus praestantia eloquentiae monstretur n. 313; quibus rebus eloquentia finem assequatur n. 314; quae sint ad vim dicendi in oratore necessaria n. 315.

312. Eloquentia definitur ars dicendi accommodate ad persuadendum (De or. 1, 61); persuadere autem est, rem non solum praeclare demonstrare, sed ad eandem etiam voluntates eorum, qui audiunt, inflectere.

*) Quae Quintilianus (2, 15) huic definitioni opponit, ad eam explicandam iuvant: 1. « Non sola, inquit, oratio, sed etiam pecunia, gratia, auctoritas persuadent. » At ideo Cicero: Ars, ait, *dicendi* accommodate ad persuadendum. 2. « Etiam corruptores et adulatores oratione persuadent; non ergo eloquentiae utpote artis bonae, finis est persuadere. » Verum etsi id, quod quis persuadet, malum est, non ideo facultas ipsa persuadendi desinit esse bona. 3. « Non semper persuadet vel optima oratio. » Concedimus; sed ex definitione non sequitur, ut optimus orator semper persuadeat, sed ut semper dicat *accommodate ad persuadendum*. Id enim in aliis quoque artibus nonnullis (ut imperatoria) observamus, finem earum non pendere e solo artificis arbitrio et facultate. Nihilominus, si de iis loquimur, quae communiter contingunt.

Qualis sit orator, ex eo, quod is dicendo effi-

ciet, poterit intelligi *). Non omnis igitur, qui subtilitate sententiarum, aequabili divisione, compto et expolito dicendi genere placuerit, orator dicendus; imo qui natura, vi et robore illa, quae voluerit, in audiente efficiet, etsi rudior sermo eius fuerit, multo magis hoc dignus est nomine.

*) Credit iis, quae dicuntur, qui audit oratorem, vera putat, assentitur, probat, fidem facit oratio: tu artifex, quid quaeris amplius? Delectatur audiens multitudo et ducitur oratione et quasi voluptate quadam perfunditur; quid habes, quod disputes? Gaudet, dolet, ridet, plorat, favet, odit, contemnit, invidet, ad misericordiam inducitur, ad pudendum, ad pigendum; irascitur, miratur, sperat, timet: quid est, quod expectetur docti alicuius sententia? Br. 49.

313. Praestantia quoque eloquentiae ex iis, quae efficit, monstratur. Oratoris enim est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia: eiusdem et languentis populi incitatio, et effrenati moderatio. Eadem facultate et fraus hominum ad perniciem, et integritas ad salutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius, quis a vitiis acrius revocare, quis vituperare improbos asperius, quis laudare bonos ornatius, quis cupiditatem vehementius frangere accusando potest? quis moerorem levare mitius consolando *)? De or. 2, 9.

*) Haec Cicero, qui alibi: Neque vero mihi quidquam, inquit, praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velis; unde autem velis, deducere. Haec una res in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus, praecipue semper floruit, semperque dominata est. Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel

cum paucis facere possit? aut tam iucundum cognitu, atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio et polita? aut tam potens tamque magnificum, quam populi motus, iudicum religiones, senatus gravitatem unius oratione converti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Ac ne plura, quae sunt paene innumerabilia, consecter, comprehendam brevi: sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione et sapientia non solum ipsius dignitatem, sed et privatorum plurimorum et universae reipublicae salutem maxime contineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes; atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et vobis honori, e amicis utilitati et reipublicae emolumento esse possitis. De or. 1, 8.

314. Ratio autem omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa, ut probemus vera esse, quae defendimus, ut conciliemus nobis eos, qui audiunt, ut animos eorum, ad quemcumque causa postulabit motum, vocemus (De or. 2, 27). Itaque eloquentia omnes fines dicendi (n. 3) complectitur, ut proprium suum finem, qui in persuadendo est situs, assequatur; hoc est, ut docendo, delectando, movendo voluntates flectat. Cf. Qt. 3, 5.

315. Ad comparandam hanc vim dicendi primum eadem illa necessaria sunt, quae initio dixi (n. 5), natura, ars, exercitatio. Inter naturae autem dona, quae multa sunt (De or. 1, 25), notanda inprimis magnitudo quaedam animi, in qua illa, quae dicitur *vis oratoris*, quaerenda est. *Pectus enim est, quod disertos facit.* Qt. 10, 7.

Sed aliis insuper rebus instructus esse debet qui hac ratione dicendi uti velit, atque imprimis probitate, rerum humanarum peritia et multa eruditione. *Probitas* in oratore requiritur, non

solum ne eloquentia male abutatur *), sed etiam ut possit eam ipsam consequi **).

*) Quo maior est haec vis dicendi, hoc est magis probitate iungenda summaque prudentia; quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quaedam arma dederimus. De or. 3, 14.
**) Neque enim tantum id dico, eum, qui sit orator, virum bonum esse oportere, sed ne futurum quidem oratorem nisi virum bonum. Qt. 12, 1. Plura in hanc sententiam in App. I. p. 451.

Quod si quaesieris, cur igitur in rhetorica tradantur quaedam quasi fraudulenta consilia, duabus de causis id fieri scias: primum ut quorundam oratorum malae artes detegantur; deinde quia bona in causa interdum aliquis harum rerum usus esse potest *).

*) Mentiri quidem nulla in causa honestum erit, in quo erraverunt Cicero et Quintilianus; at vero veritatem non prodere, aliquando et licet et decet. Multitudo enim timoribus, iracundiis aliisve motibus agitata, nonnunquam tractanda est, ut pueri vel amentes, qui etiam salutaria instrumenta in arma convertunt.

Peritia autem rerum humanarum necessaria est, tum quia ad vitam potissimum referenda est omnis oratio, tum quod nisi, qui naturas hominum vimque omnem humanitatis causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo, quod volet, perficere non poterit. De or. 1, 12.

Doctrina denique in oratore esse debet, primum sane earum rerum, in quibus versatur oratio, deinde vero ea omnis, qua liberalis continetur institutio, maxime philosophiae et historiae *)

*) Quamobrem si tot ac tanta naturae dona et ea quidem multa arte et exercitatione culta, tot etiam bonarum artium ipsiusque virtutis et magnae prudentiae praesidia dicendi ratio postulat, mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis, cum ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est. De or. 1, 5. Ceterum quoniam de oratore nobis disputandum est, de summo oratore dicamus necesse est. Vis enim et natura rei, nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis et quanta sit, intelligi non potest. Quod si quem aut natura sua, aut illa praestantis ingenii vis forte deficiet, aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis: teneat tamen eum cursum, quem poterit. Prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere. Ibid. 3, 22. Or. 1.

316. Postremo eloquentiae studiosi munus oratoris quantum sit, considerent, et ad illud acri quodam studio se accingant. Magnum enim quoddam est onus atque munus, suscipere atque profiteri, se esse, omnibus silentibus unum maximis de rebus, magno in conventu hominum, audiendum. Quid igitur assumendum censes, nisi studium et ardorem quendam amoris, sine quo cum in vita nihil quidquam egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo unquam assequetur.

De or. 1, 25. 30.

Partes rhetoricae hae sunt, quas plerique dixerunt: inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio; quas cum deinceps executi fuerimus, nonnulla de variis eloquentiae generibus praecepta addemus. De inv. 1, 7.

Liber primus

DE INVENTIONE

Invenienda oratori sunt potissimum argumenta, quibus persuadeat. Sed ante haec alia nonnulla etsi non semper invenienda, at certe constituenda in animo et multum consideranda sunt, nimirum: materia, quaestio, finis, status et propositio. De singulis pauca.

CAPUT I.

DE IIS QUAE ORATORI PRIMUM CONSTITUENDA SUNT

Art. I.

DE MATERIA ET QUAESTIONE

Quae sit eloquentiae materia n. 317; quid quaestio, et quomodo dividatur; quae sint causarum genera; quis quaestionum usus n. 318.

317. Materia dicitur res, in qua versatur oratio, ut *bellum Punicum*, *studium philosophiae*, *mors Christi*. Quidquid autem meretur apud eos, qui audiunt, oratorio modo tractari, materia eloquentiae esse potest, unde haec quidem latissime patet. De eligenda autem materia ex iis, quae de propositione dicentur (n. 322), aestimari poterit.

318. Quaestio dicitur id, quod de materia disceptatur, ut: *Sitne bellum Punicum renovandum;*

conveneritne Christo pati. — Eius duo sunt genera: infinita dicitur, quae fit de universo genere, ut: *quid omnino de captivo statuendum ac sentiendum sit?* Finita, quae certis personis, temporibus, locis notata est, ut: *placeatne a Carthaginiensibus captivos nostros, redditis suis, recuperari?* De or. 3, 28. cf. ibid. 2, 10.

Quaestio infinita nunc vulgo graeco vocabulo *thesis* dicitur, quam Cicero consultationem vel propositum appellat; finita vocatur *hypothesis*, a Cicerone causa vel controversia dicta. Porro thesis item duo sunt genera, cognitionis alterum, cuius scientia est finis, ut *sintne Angeli;* actionis alterum, quod refertur ad efficiendum quid, ut si quaeratur, *quibus officiis amicitia colenda sit.*

Part. 18.

Causarum autem genera tria veteres inde ab Aristotele ponunt: demonstrativum, quod tribuitur in alicuius certae personae laudem aut vituperationem *); deliberativum, quod positum in disceptatione et consultatione civili, habet in se sententiae dictionem **); iudiciale, quod positum in iudicio, habet in se accusationem et defensionem ***). Ar. 1, 3. De inv. 1, 5.

*) Genus demonstrativum, ἐπιδεικτικόν, inde putant nomen habere, quod in ostentationem eloquentiae inventum sit, sed certe alios in fines accommodari potest. Vocatur etiam laudatio vel exornatio, quia in laudationes potissimum confertur. Cf. Qt. 3, 4,

**) Deliberatio fit in concione aut senatu, et continet in se suasionem et dissuasionem.

***) Ut deliberativum genus maxime spectat utilitatem, sic iudiciale iustitiam, demonstrativum autem honestatem.

Iam si de harum quaestionum usu quaeritur, in civili eloquentia, quoniam causa semper definita est, thesis non potest esse nisi pars hypothesis, cum scilicet finita quaestio ad genus revocatur; contra sacra eloquentia et illa, quae academica dicitur, si panegyricos excipias, plerumque in thesi versatur.

Art. II.

DE FINE ET STATU ORATIONIS

Quid finis orationis n. 319;
quid status; quod de eo praeceptum n. 320.

319. *Finis* orationis dicitur illud, quod orator dicendo vult consequi. Necesse autem est, ut orator sibi finem statuat proprium et definitum, illumque continue ante oculos habeat. Quapropter inter vitia concionantium refertur, si nihil sibi certo constituant, sed id solum promant, quod de aliqua materia legerint aut excogitaverint. Hoc enim adeo grave impedimentum est, ut nihil apposite dici, fructus percipi nullus possit. Errat enim et frustra vagatur nihil habens certum, quod petat oratio, et quo ictum dirigat.

Schol. In civili eloquentia per ipsam causam finis quoque determinatur; sed non item in eloquentia sacra. Nam de eadem materia, quin etiam in eandem sententiam varios ob fines dici potest. Sic de morte Christi dicturus spectare quis poterit et doctrinam redemptionis, et imitationem virtutum Christi, et odium peccati, et timorem divini iudicii, et amorem ac gratum animum in Christum, et studium alienae salutis, tot denique res diversas, quot varios fructus huius mysterii meditatio affert. Quid vero? nonne horum plura et diversa inter se consequi

possumus eandem non modo materiam, sed sententiam tractando, ut *pro peccatis nostris Christum mortuum esse?* Probe igitur orationis finis a propositione distinguendus est.

320. *Status* orationis dicitur id, quod maxime quaeritur quod proinde et orator praecipue sibi obtinendum, et auditor spectandum maxime intelligit (Qt. 3, 6). Itaque in disceptatione status est illud, in quo quasi certamen est controversiae, quod Graeci τὸ κρινόμενον appellant, ut in causa Miloniana: *uter insidias struxerit;* extra disceptationem, id, a cuius tractatione proprius orationis finis pendet, ut in propositione: *Christus pro peccatis nostris mortuus est*, verba: *Pro peccatis nostris;* siquidem talis est finis, ut hoc sit maxime probandum.

De statu praecipit Fabius: Hoc est, quod ante omnia constituere in animo suo debet orator, etiamsi pro causa plura dicturus sit, quid maxime liquere audientibus velit. Si causa definita proposita est, orator in quo sit certamen controversiae, inquirat; sin argumenti eligendi facultas datur, praeferat eiusmodi, in quo ut finis, sic status sit minime communis; quare melius: *Virtus summe* vel *constanter* vel *pure amanda est*, quam *amanda est*. Cf. de or. 2, 27.

Schol. Saepe per statum quaestionis intelligunt illa, ex quibus, quid sit maxime quaerendum, intelligi potest.

Art. III.

DE PROPOSITIONE

Quid sit propositio n. 321; quomodo una esse debeat; unde in composita nexus; semperne huic simplex praeferenda n. 322; quae propositio definita n. 323; quae gravis n. 324; quae apta n. 325.

321. Propositio est id, quod orator statuit sibique sumit audientibus persuadendum. Plerumque sententia est, qua aliquid affirmatur vel negatur, ut: *Virtus magis, quam doctrina colenda est; Bellum contra Poenos non est renovandum.* Aliquando vero tantum materiam circumscribit, ut: *Explicabo pericula innocentiae.*

Ut quae hucusque explicavimus, uno exemplo declarentur, in oratione Miloniana interfectio Clodii materia est, quaestio: num iure Clodius necari potuerit (et haec quaestio finita revocatur statim in principio orationis ad infinitam: num aliquando privatus homo alium iure interficere possit); finis est ut absolvatur Milo, propositio: iure Milo Clodium interfecit, status: uter insidias struxerit.

322. Quoniam propositio totam in se continere debet orationem; refert sane plurimum, ut bona sit. Bona autem erit, si una, si definita, si gravis et apta sit.

Una est propositio, si vel partes non habet, vel eas certe naturali vinculo connexas. Itaque composita propositio esse potest, non vero multiplex. Composita enim est, cum partes apte cohaerent, ut: *Mater Dei et honoranda et invocanda*

est; multiplex, cum sine nexu sunt, ut: *Ostendam, laudabile esse studium astronomiae; deinde, fugiendos esse malos socios.*

Nexus autem ille oritur vel ex sola materia, vel, quod melius est, ex natura et fine causae *).

*) Ex sola materia: *In mysterio Incarnationis ostenditur* 1. *bonitas Dei*, 2, *excellentia Mariae*, 3. *virtutum Christi et Mariae exempla.* Laxum est inter haec vinculum; costringe magis: *In mysterio Incarnationis ostenditur dignitas et virtus Mariae:* etiam magis; *ostenditur meritum castitatis et humilitatis;* denique fac simplicem: *ostenditur, colendam esse Mariam.*
Ex natura et fine causae cohaerent partes orátionis pro lege Manilia: 1. *Bellum Mithridaticum est grave et periculosum:* 2. *Pompeius illi praeficiendus est.*

Recte docent, simplicem propositionem plerumque felicius tractari composita; sed nec causa semper optionem permittit, et tam arcta et naturalis, ex fine praesertim, esse coniunctio potest, ut composita propositio non minus sit una, quam simplex *).

*) Exempla habes apud Bourdaloue cum alibi tum maxime in orationibus de Christo patiente, ut: *Passio Christi peccato effecta, peccato renovata, peccato irrita.*

323. Quod iam *definitam* esse propositionem iubent, non vetant generalem esse, at vero vagam. Porro vaga est, quae late patentem materiam indicat tantum, non circumscribit, ut: *Dicam de philosophia, de virtute christiana, de fine hominis.* Multa enim de his quaeri possunt, ut: *Quis sit ille finis, cur expetendus, quomodo*, etc.

Schol. Extra civilem eloquentiam quaestionem esse saepissime generalem dixi; potest tamen plus minusve definiri; et nisi

generalia illa ad proprium quidpiam traducuntur, nec oratoriae contentioni apta et nimis usitata esse solent.

324. *Gravem* autem dico propositionem, quae et oratoris diligentiam et audientium attentionem meretur, excitat et iuvat. Pendet tamen gravitas non tam ex materia quam e statu quaestionis; in quo optandum, ut insit aliquid novitatis et contentionis *).

*) Neque vero ideo quaerenda est sententia valde acuta aut paradoxa; sed talis, ex qua *totum* possit *orationis corpus* aliquid novitatis, multum venustatis, plurimum utilitatis et contentionis accipere

325. *Apta* est propositio, cuius tractatio convenit 1. *dicentis* aetati, conditioni, facultati, doctrinae atque ipsius etiam corporis habitudini; 2. *audientium* aetati, sexui, conditioni, moribus et captui; 3. *adiunctis* temporum et locorum. Atque hic notandum, quod iam monui, de una eademque materia plerumque multas propositiones statui posse. Quod si ergo materia libera non est, propositio tamen iis, quae diximus, accommodari potest.

Schol. Sic igitur eorum, quae hucusque tractavimus, inventio aggredienda est: Extra civilem eloquentiam interdum quidem materia et finis, saepius materia tantum, saepissime nihil certi ad dicendum propositum est. Delecta igitur materia ex loci, personarum et temporum conditione, statue, in quem tibi finem de hac materia dicendum sit. Deinde diligentissime considera, quae pro audientium moribus et conditione proposito fini maxime faveant, quae adversentur. Ita statu quaestionis (utrolibet sensu is accipiatur), cognito, et propositionem aptam statuere poteris, et ad argumentorum inventionem paratus accedes. — In causa finita haec omnia fere non tam invenienda vel seligenda sunt, quam cognoscenda et acriter consideranda.

CAPUT II.

DE ARGUMENTORUM INVENTIONE GENERATIM

Quid argumentum, et quotuplex eius divisio n. 326; quid, ut argumenta invenias, primo praestandum; quid deinde; quid in causa meditanda ante oculos habendum n. 327; quid sint loci oratorii, et quomodo dividantur n. 328

326. Argumentum significat vel omnem materiam, quae tractanda sumitur, vel, ut nunc accipimus, rationem ad persuadendum idoneam. Porro huiuscemodi argumenta tripartito dividuntur; primum ex eo, quo tendunt, in probantia, illustrantia et moventia; deinde ex eo, quod valent, in certa et verisimilia; postremo ex locis, unde promuntur, in insita et remota.

1. *Probans* dicitur argumentum, quod rem dubiam ex alia re non dubia confirmat; *illustrans*, quod ad delectandum conciliandumque est aptum; *movens*, quod impellit animos. Saepenumero tamen tractatio potius quam natura argumenti huiuscemodi discrimen facit. Cf. de or. 2, 28.

2. *Verisimile* est, quod plerumque ita fit; ut: *adolescentiam procliviorem esse ad libidinem; certum*, quod nunquam aliter; ut: *fumus ignem declarat*. Part. 10.

3. *Insita* dicuntur, quae inhaerent in ipsa re, de qua agitur; ut si dicas *eloquentiam esse expetendam, quod per eam homines a vitiis avocentur*, ratio est insita in re, de qua agitur; sin *expe-*

tendam dicas, *quod Aristoteli vel Ciceroni vel Platoni ita visum sit*, ratio est *remota;* auctoritas enim illorum virorum non est in ipsa eloquentia, sed extrinsecus assumpta.

327. Si iam quaeratur, quae facienda sint oratori, ut argumenta inveniat, primum praecipimus, quascunque causas erit acturus, ut eas diligenter penitusque cognoscat; et quamquam hoc praeceptione egere non videatur, eius tamen, teste Fabio (2, 8), paucissimis est cura.

Cognita causa, tres sustinendae tibi sunt personae, tua, adversarii, iudicis. Primum igitur anquire diligenter, quae prosint causae; deinde tibi obiice, quae nocere possint; ad extremum audientis indue personam, fingens coram te dici omnia, quae excogitasti. De or. 2, 24.

Inter ipsam autem meditationem praeter ea, quae in parte prima de constantia, diligentia et animi ad propositum adversione praecepta sunt (n. 14.), illud adhuc oratori servandum, ut dum meditatur, personarum, locorum et temporum rationes in animo quasi fixas teneat *). Sic enim inveniet argumenta propria et tempestiva, quae sunt omnium ad persuadendum validissima.

*) Hoc in fictis quoque causis servandum, ne adolescentes vago cuidam et incerto dicendi generi assuescant, quo quidem nullo est infirmius. De quacunque igitur materia orationem componant, certum audientium coetum, tempus, locum et reliqua in animo constituant, non qualia finxerint, sed qualia usu ipsi noverint.

Schol. Ante meditationem de materia legere nonnulli dissuadent. Sed nihil in universum hac de re praecipi velim; observanda potius et argumenti et ipsius dicentis natura; id certe cavendum, ne anxia quadam sollicitudine omnia, quae apud alios legeris, assumenda tibi esse putes

328. His in universum dictis, explicanda iam nobis est, locorum oratoriorum doctrina. Sunt autem *loci* quaedam quasi sedes argumentorum rebus omnibus communes. Argumenta scilicet omnium causarum, si, unde deprompta sint, consideras, ad certa quaedam capita revocari possunt. Nunc enim sunt similia, nunc exempla, modo ex rei causis vel effectis, modo ex nomine vel definitione assumpta. Haec igitur, quae in omni re ad disputandum proposita considerari debent, ut argumenta inveniamus, vocavit Aristoteles *locos*, quia in illis, ut in sedibus vel domiciliis suis, argumenta reperiuntur.

Genera locorum eadem sunt quae argumentorum; insiti et remoti, vel ut recentiores loquuntur intrinseci et extrinseci *)

*) Aristoteles insita argumenta vocavit artificiosa, remota non artificiosa; non quod haec nullius artis indigent, sed quod ea non parit oratoris ars, sed foris ad se delata, tamen arte tractat. Part. 14.

CAPUT III.

DE LOCIS INTRINSECIS

329. Ex locis intrinsecis alii in ipsa rei natura et nomine siti sunt: definitio, genus, forma, enumeratio partium, notatio et coniugata; alii in iis, quae cum re connexa sunt: causae, effecta, antecedentia, consequentia, adiuncta; alii denique in collatione rei cum aliis: comparatio, similitudo et contraria.

Art. I.

DE DEFINITIONE

Quid definitio, et quomodo fiat n. 330; qui sint alii modi definiendi n. 331; quis usus definitionis n. 332; quomodo enuntianda, cum argumentamur; qua ratione per definitionem amplificamus n. 333.

330. Definitio est oratio, quae naturam rei explicat. Ut accuratissima sit, per rei genus et differentiam facienda est. Genus autem est quoddam totum, cuius partes, quae species dicuntur, suapte natura in quibusdam conveniunt, in aliis differunt; id vero, in quo differunt, differentia vocatur. Sic animal genus est, homo et brutum species; ut quibus commune sit vivere et sentire, hoc autem differant, quod in homine inest ratio, in bruto non est. Itaque homo definitur: *animal ratione praeditum.* Quamobrem cuiusvis rei definitio hoc modo invenitur: cum sumpseris ea, quae sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequere, dum proprium efficiatur, quod nullam aliam in rem transferri possit. Ut hoc: *Rethorica est ars* -- commune adhuc, multa enim genera sunt artis; adde: *dicendi*, nondum est definitio, nam et plures sunt artes dicendi; adiunge: *apposite ad persuadendum;* confectum est. Top. 6.

331. Si latiori sensu vocabulum accipis, definitio etiam fieri potest per rei partes, per contraria, per effecta, per translationem, denique per

omnem descriptionem. Per partes: *Rhetorica est recta inveniendi, et disponendi, et eloquendi cum firma memoria et cum dignitate actionis scientia.* (Qt. 5, 10). Per contraria optime fit, cum primum dicitur, quid res non sit, deinde quid sit. Per effecta: *Philosophia est vitae dux, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, inventrix legum, magistra morum et disciplinae* (Tusc. 5, 2). Per translationem, ut si adolescentiam *florem aetatis*, senectutem *occasum vitae* definire velis (Top. 7).

332. *Usus* definitionis est multiplex; interdum necessarius, saepe utilis tum ad probandum tum ad movendum. *Necessarius* est in re controversa, nisi enim inter eos, qui disceptant, convenit, quid sit illud, de quo ambigitur nec recte disseri, nec unquam ad exitum perveniri potest (Or. 33). Ad docendum *utilis* est magis primus modus, qui proprie definitio dicitur, ad movendum reliqui.

Ut vero argumenta ex definitione derives, expende eius verba singula. Sic enim facile deprehendes, quid causae prosit, si modo hanc perspectam habeas; quin etiam totas orationis partes non raro definitio suppeditat *).

*) Exempla habes in iis, quae modo exposui. Praeterea expende seqq.: *Gloria est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute.* Tusc. 3, 2. -- *Lex est praescriptio rationis ad bonum commune ab eo, qui praeest communitati, legitime promulgata*; -- traducas hanc definitionem in legem divinam.

333. Quoties e definitione argumentationem ducimus, definitio ipsa lucide et simpliciter enuntianda est, nec tamen tam presse et anguste, quam

in illis eruditissimis disputationibus fieri solet, sed quum explicatius, tum etiam uberius, et ad commune iudicium popularemque intelligentiam accommodatius. Or. 33, cf. de or. 2, 25.

Exemplum: *Quod si rerum tuarum immortalium, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adversariis, rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est; vide, quaeso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriae; siquidem gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum, vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum.* Pro Marc. 8.

Amplificatio autem per definitionem fieri potest, vel multas conglobando, vel unam copiose et ornate eloquendo

1. Νὺξ ἦν πάντα ἐκεῖνα, καὶ ὄναρ, καὶ ἡμέρας γενομένης ἠφανίσθη· ἄνθη ἦν ἐαρινὰ, καὶ παρελθόντος τοῦ ἔαρος, ἅπαντα κατεμαράνθη· σκία ἦν, καὶ παρέδραμε· καπνὸς ἦν, καὶ διελύθη· πομφόλυγες ἦσαν, καὶ διεῤῥάγησαν· ἀράχνη ἦν, καὶ διεσπάσθη. Διὸ ταυτην τὴν πνευματικὴν ῥῆσιν ἐπᾴδωμεν συνεχῶς ἐπιλέγοντες· Ματαιότης ματαιοτήτων καὶ πάντα ματαιότης.

S. Chrys. Hom. in Eutrop.

2. *An tu populum Romanum esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur? qui impelluntur, ut vim afferant magistratibus? ut obsideant senatum? optent quotidie caedem, incendia, rapinas? Quem tu tamen populum, nisi tabernis clausis, frequentare non poteras: cui populo duces Lentidios, Lollios, Sergios praefeceras. O speciem dignitatemque populi Romani, quam reges, quam nationes exterae, quam gentes ultimae pertimescant: multitudinem hominum ex servis, ex con-*

ductis, ex facinorosis, ex egentibus congregatam! Illa fuit pulchritudo populi Romani, illa forma, quam in campo vidisti tum, cum etiam tibi, contra senatus totius Italiae auctoritatem et studium, dicendi potestas fuit. Ille, ille populus et dominus regum, victor atque imperator omnium gentium, quem illo clarissimo die, scelerate, vidisti tum, cum omnes principes civitatis, omnes ordinum atque aetatum omnium, suffragium se, non de civis, sed de civitatis salute ferre censebant: cum denique homines in campum, non tabernis, sed municipiis clausis, venerunt. Pro domo sua, 23.

Segneri. P. 3. n. 2; P. 4. n. 2.

Art. II.

DE GENERE ET SPECIE

Quomodo a genere ducatur argumentum n. 334; quotuplex huius loci usus n. 335; num frequenter quaestio avocanda sit ad genus; quaenam in hoc servanda n. 336; quomodo a specie argumentemur n. 337.

334. A genere argumentum ducitur affirmando et negando: quod scilicet necessario est in genere, affirmari potest de specie et individuo; et quod repugnat generi, negari potest de specie et individuis. Affirmando: *Artes liberales honestae sunt et utiles; ergo et poësis. Boni poëtae honorandi sunt; ergo etiam Archias.* Negando: *Virtus cum impietate in Deum coniungi non potest; ergo nec prudentia nec fortitudo.*

335. Duplex huius loci est usus: aut enim di-

citur prius de genere, post de specie vel re singulari; aut contra tractatio generis sequitur. Prioris modi, qui est ad probandum magis accommodatus, exemplum habes in oratione pro Archia c. 6. et 7; neque raro a genere exordium petitur, ut pro Sextio. Altero modo, ad amplificandum aptiore, usus est Cicero de suppl. c. 58. *de avaritia magistratuum Romanorum*. Cf. c. 68. et pro Fonteio c. 6. *De testibus*.

Segneri. P. 30. n. 1.

336. Aliqua ratione omnes controversiae ad universi generis vim et naturam referuntur *); avocare autem quaestionem a re proposita ad genus, nec semper utile, et cum circumspectione faciendum est **).

*) Et si incurrunt tempora et personae, tamen intelligendum est, non ex iis, sed ex genere quaestionis pendere causas. Accusatur aliquis, quod sumptuosus, quaerendum de luxuria; quod alieni appetens, de avaritia; quod seditiosus, de turbulentis et malis civibus; quod a multis arguitur, de genere testium. De or. 2, 31, 32.

**) Orationem tum proprie avocamus ad genus, cum relicta tantisper re proposita, in generali quaestione moramur. Hoc autem, cum ipsa quaestio a nobis assumpta generalis est, rarius agendum, ut si de avaritia, ad peccatum orationem revolvamus, de prudentia, ad virtutem etc. Sed a propriis personis et temporibus orator semper, si potest, avocat controversiam. Latius enim de genere, quam de parte disputare licet. Or. 13.

In traducenda autem oratione ad genus haec servanda sunt: 1. Ne assurgamus ad grandiorem quaestionem in re tenui, tragoedias agentes in nugis. 2 Ne ita ad thesin avocemus orationem, ut de proprio argumento nihil aut paene nihil dicamus; ut si quis S. Stephanum laudaturus in

communi martyrum laude totam orationem constituat *).

*) Contra utrumque hoc praeceptum egit ille, in quem Martialis

Non de vi, neque caede, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis;
Vicini queror has abesse furto;
Hoc iudex sibi postulat probari.
Tu Cannas Mithridaticumque bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas Mariosque Mutiosque
Magna voce sonas manuque tota;
Iam dic, Posthume, de tribus capellis. Epigr. lib. 6.

3. Ne diutius in quaestione generali praesertim vulgari haereamus. 4. In omni usu huius loci maxime videndum, ut quae in rem propriam ex genere deducimus, huic necessario conveniant; alioquin nulla consequentia, et risu digna inanis amplificatio.

Sed tu mihi videbare ex communi infamia iuventutis aliquam invidiam Coelio velle conflare. Facile est accusare luxuriam etc. Pro Coel. 12.

337. A specie duobus modis argumentum sumitur; aut enim ubi sit species, ibi et genus esse argumentamur, aut quae de genere dicenda sunt, in speciebus ostendimus. Prius fit hoc modo: *In hac re iustitia cernitur, ergo a virtute non est aliena.* Alter modus ad enumerationem partium referri solet.

Art. III.

DE ENUMERATIONE PARTIUM

Quid sit haec enumeratio n. 338; quomodo ea utamur in argumentatione n. 339; quomodo in amplificatione n. 340.

338. Enumeratio partium est rei alicuius in suas partes distributio. Partes autem hoc loco non eae tantum intelliguntur, quae ad rem unam efficiendam coalescunt, ut caput, manus, pedes sunt partes corporis; sed quaecumque modo aliquo in re aut notione generali continentur: ut varii ordines populi, anni vel vitae tempora, species necessariae rei proprietates et notae, postremo res vel facta vel personae singulares, quae ad unum aliquod genus referuntur.

339. Enumerationis usus est duplex: alter ad probandum, ad movendum alter. *Argumentamur* enumerando, si affirmatis partibus, affirmamus totum, vel negatis partibus, negamus totum. Sic Tullius probat, Pompeium esse summum imperatorem, omnes optimi imperatoris virtutes enumerando: *Ego enim sic existimo, in summo imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine scientior unquam aut fuit aut esse debuit? etc.* Pro leg. Man. 10. Negat idem populo Romano pacem esse cum Antonio posse, enumeratis ordinibus. Phil. 7, 8.

Segneri. Paneg. del Nome di Gesù, n. 2. 3.

Plerumque distributione sic utendum est, nullam ut partem relinquas; at semper id servari nec debet nec potest. Ita Tullius, ut affirmaret, Pompeium esse summum imperatorem, ex praecipuis virtutibus nullam poterat omittere; qui negasset, non debuisset nisi unam alteramve negare. Contra saepe probanti satis est, unum habere, hoc modo: *Ut sit civis quis, aut natus sit oportet aut factus:* neganti utrumque tollendum est: *nec natus, nec factus est* (Qt. 5, 10.). Porro uter modus tenendus sit, rei consideratio ipsius facile docebit *).

*) Partium distributio saepe est infinitior, tamquam rivorum a fonte deductio. Itaque ars dicendi cum distribuenda est, nullam e quinque partibus omittes; at ornamenta quantum valeant in dicendo, satis erit in nonnullis ostendisse. Cf. Top. 8.

340. Ad *amplificandum* valet enumeratio, modo quod rem totam quasi evolvit et pandit, modo quod eandem sententiam, accedente e singulis partibus nova luce et vi, repetit.

Tu meam domum religiosam facere potuisti? ecqua mente? qua invaseras; qua manu? qua disturbaras; qua voce? qua incendi iusseras; qua lege? quam ne in illa quidem impunitate tua scripseras; quo pulvinari? quod stupraras; quo simulacro? quod ereptum ex meretricis sepulcro in imperatoris monumento collocaras. De harusp. resp. 15.

Vide alia pro lege Man. c. 11. post. red. ad Q. 1.; in Pis. 27.: Cat. 1. 7.

Art. IV.

DE NOTATIONE ET CONIUGATIS.

Quid notatio, et quam habeat vim n. 341; quae dicantur coniugata n. 342.

341 Notatio est, cum ex vi nominis argumentum elicitur, ut: *Si consul est, qui consulit patriae, quid aliud fecit Opimius?* vel: *Si consul est qui patriae consulit; ergo non Piso, qui eam evertit.* Top. 8. De or. 2, 39.

Eam autem vim habet notatio, ut nonnunquam probationes, frequentius iocandi materiam praebeat. Haud raro enim rerum vim nomina declarant, ut illud ipsum *consul*, ut *senatus*, ut *philosophus;* personis autem nonnunquam nomen consilio sive humano sive etiam divino imponitur; itaque ex his argumentari licebit. Iocorum autem ex nomine multa materia, qua Cicero in Verrem non semel est usus; ut: *Quam tu domum, quod fanum adisti, quod non eversum atque extersum reliqueris;* — et: *Negabant mirandum esse . ius tam nequam esse Verrinum.*

342. Coniugata dicuntur, quae sunt ex verbis generis eiusdem: eiusdem autem generis verba sunt, quae orta ab uno varie commutantur, ut *sapiens, sapienter, sapientia.* Top. 3. Ex qua verborum coniugatione, ut figura (n. 71, 5), sic etiam est argumentum: *Ingratus est iniustusque civis, qui armarum periculo liberatus animum tamen retinet armatum.* Pro Marc. 32.

Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Terent.

Art. V.

DE CAUSIS ET EFFECTIS.

Quid sit causa, et quot eius genera n. 343; ad quid in dicendo utimur effectis n. 344; quae servanda n. 345.

343. *Causa* est, vi cuius aliquid fit, ut vulnus est causa mortis, cruditas morbi. Genera autem causarum sunt quatuor: causa efficiens, finis, forma, materia. Causa *efficiens* est, quae efficit, ut aliquid existat. Sic Deus est causa efficiens mundi; quare argumentaberis: *A Deo creata sunt omnia; omnia igitur ad eum referenda.*

Multa praetereo consulto; sed ea vos coniectura perspicitis, quantum illud bellum futurum putetis, quod coniungant reges potentissimi, renovent agitatae nationes, suscipiant integrae gentes, novus imperator vester accipiat, vetere pulso exercitu. Pro leg. Man. 9.

Finis est, cuius gratia aliquid fit.

Quonam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Pro Mil. 12.

Materia dicitur, ex qua et in qua res sunt. Ita marmor statuae, corpus hominis materia est. Ab ea sic sumitur argumentum: *Corpus hominis mortale est; ab eius igitur societate et contagione immortalis animus sevocandus est.*

Forma est, qua res in suo statu constituitur

et ab aliis distinguitur. Per formam igitur materia definitur, ut sit haec res et non alia. Sic animus est hominis forma, sic statuae forma est ea, quam artifex in marmore exprimit. *Ut signum marmoreum turpata forma corrumpitur; ita homo, etsi venustum corpus, turpificato animo foedus efficitur.*

Denique ex tribus simul causis Cicero laudat candelabrum, quo Verres regem Antiochum spoliavit: *Etenim erat eo splendore, qui ex clarissimis et plurimis gemmis esse debebat; ea varietate operum, ut ars certare videretur cum copia; ea magnitudine, ut intelligi posset, non ad hominum apparatum, sed ad amplissimi templi ornamentum esse factum.* De sign. 28.

Segneri. P. 1. n. 4, 5. P. 28. n. 13.

344. *Effecta* vocantur, quae sunt orta de causis; itaque totidem eorum sunt genera, quot causarum. His autem in dicendo utimur, ut rerum, de quibus orta sunt, vim et naturam declaremus. Ut enim causa, quid sit effectum, sic quod effectum est, quae fuerit causa demonstrat*). Top. 18.

Ex effectis Tullius eloquentiae dignitatem ostendit (n. 313.), voluptatem pestem esse generis humani, de Senect. 12. Idem in Antonium: *Doletis tres exercitus P. R. interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta est? afflixit Antonius. Omnia denique, quae postea vidimus (quid autem mali non vidimus?), si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio.* Phil. 2, 22. Vide alia pro lege Man. c. 8., Verr. 1, 31. 4, 51.. Segneri. P. 3. n. 2. *Quindi.*

*) Hic locus, qui suppeditare solet mirabilem copiam dicendi, ideo est populari imprimis eloquentiae accommodatus, quod effectus notiores nobis, quam causae esse solent, iidemque facilius ad sensus revocantur.

345. Enimvero servanda sunt haec tria: 1. ut inter effecta, quae narras, et causam, quam iis ostensurus es, et sit et appareat coniunctio; ubi notandum illud, quod dicitur: *post hoc, sed non propter hoc;* 2. ne enarrando effecta maioribus misceas leviora; haec enim illa infirmant; 3. ut ordinate disponas: disponuntur autem vel eodem, quo evenerunt, ordine, quod in factis fieri solet, vel a magnis ad maiora progrediendo, quod argumentis moralibus congruit.

Art. VI.

DE ADIUNCTIS

Quae vocentur adiuncta; quot eorum sint genera n. 346; quid in dicendo valeant; quid de gravioribus n. 347.

346. Adiuncta vocantur ea omnia, quae aliqua ratione cum re cohaerent, et eam quasi circumstant. Horum quatuor sunt genera: personarum, rerum, locorum, temporum. In *personis* h. e. in iis, a quibus vel per quos vel coram quibus res gesta est, consideratur genus, natio, patria, sexus, aetas, educatio, corporis habitus, fortuna, conditio, ingenium, mores, virtus, studia, propinqui, amici etc. In *rebus;* quid ante rem, quid cum re, quid post rem evenerit; quonam modo gesta sit,

vi an arte, modeste an superbe, leniter an dure etc. In *locis* autem illa naturalia, maritimi an remoti a mari; plani an montosi etc., et illa fortuita, culti an inculti; celebres an deserti; coaedificati an vasti etc. In *temporibus* praesentia et praeterita et futura cernuntur; deinde, hiems, ver, aestas, autumnus; dies, nox; pacis, belli, induciarum tempus, festi dies, sacrificia, ludi spectacula. Cf. Part. 10.

Memoriae iuvandae causa praecipua adiunctorum genera hoc vulgari versiculo fuere comprehensa:

Quis, *quid*, *ubi*, *per quos*, *quoties* (1), *cur*, *quomodo*, *quando*.

Ut vero intelligas, quam longe lateque pateat hic locus, percurre singulas huius versiculi quaestiones in quovis delicto, bello, vel etiam in morte, iudicio extremo, in Christi nativitate vel morte.

Segneri. P. 36. n. 13. *E non vedete.*

347. Argumenta ab adiunctis nonnunquam per se certa sunt, sed plerumque tantum verisimilia. Haec vero partim singula movent suo pondere; partim, etiamsi videntur esse exigua per se, multum tamen, cum sunt coacervata vel addita aliis, proficiunt. Plurimum denique valent adiuncta ad rem aliunde certam augendam vel minuendam.

Part. 11. Qt. 5, 10.

Satis certo argumento usus est Hannibal: *Dextra laevaque duo maria claudunt. Nullam, ne ad*

(1) Alii dicunt: *quibus auxiliis*

effugium quidem, navem habemus. Contra Padus amnis, maior ac violentior Rhodano; ab tergo Alpes urgent, vix integris vobis, ac vigentibus transitae. Hic vincendum, aut moriendum, milites, est.

Liv. 21, 43.

Tullius pro Milone paene omnia ex hoc loco argumenta deprompsit: quae per se singula minus valida, universa tamen causam probabilem fecere. Idem ab omnibus adiunctis mirifice auget ignominiam, quam Verre praetore populus Romanus a piratis suscepit, in portum Syracusarum penetrantibus. De suppl. 37, 38.

Semper autem refert plurimum, ex adiunctis causae quae sint graviora, ut dignoscas. Neque enim, quae in re per se sunt praecipua, eadem semper in quaestione, quae tractanda nobis est, vim habent maximam, et ex his ipsis alia nobis, adversario alia prosunt. Itaque perdiligenter videndum est, quaenam nobis sint amplificanda.

Art. VII.

DE ANTECEDENTIBUS ET CONSEQUENTIBUS.

Quid sint, et quo differant a causis et effectis, quo ab adiunctis; quid in usu curandum n. 348.

348. Antecedentia et consequentia dicuntur, quae cum re ita cohaerent, ut illa necessario antecedant, haec necessario consequantur. Necessarius autem ille nexus non solum a legibus naturae est, ut dies sequitur diluculum, et noctem antecedit crepusculum, sed etiam a moribus et institutis hominum. ut: *Consul est, ergo Praetor*

fuit: ortus est sol, ergo in campos agricolae exeunt. In quibus scilicet ea etiam reponuntur, quae communiter, quamquam non necessario, accidunt.

Hoc autem inter antecedentia et causas interest, quod omnis causa utique prior est effectu, et proinde eum antecedit, sed non omne, quod rem necessario antecedit, eius causa est; idem dicito de consequentibus et effectis. Ab adiunctis porro differunt, quod haec non semper eveniunt. Id autem in usu est praecipue curandum, ut necessarius ille nexus appareat. Iam accipe exempla.

1. *Saltatorem appellat L. Murenam Cato. Maledictum est, si vere obiicitur, vehementis accusatoris; sin falso, maledici conviciatoris. Quare, cum ista sis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex trivio, aut ex scurrarum aliquo convivio, neque temere consulem populi R. saltatorem vocare; sed conspicere, quibus praeterea vitiis affectum esse necesse sit eum, cui vere istud obiici possit. Nemo enim fere saltat sobrius, nisi forte insanit; neque in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto: tempestivi convivii, amoeni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tu mihi arripis id, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum: relinquis illa, quibus remotis, hoc vitium omnino esse non potest; nullum turpe convivium, non amor, non comessatio, non libido, non sumptus ostenditur. Et cum ea non reperiantur, quae voluptatis nomen habent, quaeque vitiosa sunt; in quo ipsam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriae reperturum putas?*

Pro Mur. 6.

2. *Quod si nondum satis cernitis, cum res ipsa tot, tam claris argumentis signisque luceat, pura mente atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum, Romam revertisse; recordamini, per deos immortales! quae fuerit celeritas reditus eius; qui ingressus in forum ardente curia; quae magnitudo animi, qui vultus, quae oratio . . . Magna vis est conscientiae, iudices, et magna in utramque partem; ut neque timeant, qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. Neque vero sine ratione certa causa Milonis semper a senatu probata est. Videbant enim sapientissimi homines facti rationem, praesentiam animi, defensionis constantiam . . . . . Quid? quae postea sunt in eum congesta, quae quemvis, etiam mediocrium delictorum conscientia perculissent, ut sustinuit, dii immortales! sustinuit? immo vero ut contempsit, ac pro nihilo putavit, quae neque maximo animo nocens, neque innocens, nisi fortissimus vir, negligere potuisset.* Pro Mil. 23, 24.

Segneri. P. 15. n. 2. *E che si è fatto.*

Art. VIII.

DE COMPARATIONE

Quid et quotuplex comparatio; quomodo argumentemur a maiori, a minori, a pari, n. 349.

349. Comparatio est argumentum, quod ducitur ab alia re magis aut minus aut aeque probabili. Hinc triplicem comparationem distinguunt: unam

a maiori ad minus, alteram a minori ad maius, tertiam a pari. Maius nempe id dicitur, quod probabilius est; probabilius autem non tantum, quod verisimilius, sed etiam quod honestius, utilius, verbo quod magis convenit, et proinde magis approbari debet.

Comparatio a maiori ita concludit: Si quod magis probabile videtur, verum non est; certe neque illud, quod minus probabile est.

Cum pro sua patria pauci, post genus hominum natum, reperti sint, qui nullis praemiis propositis vitam suam hostium telis obiecerint: pro aliena republica quemquam fore putatis, qui se opponat periculis, non modo nullo proposito praemio, sed etiam interdicto? Pro Balbo, 10.

Ita etiam argumentum pro domo sua c. 41 ad hanc comparationem revocatur: *Domum meam ne homines quidem sceleratissimi concupierunt; ergo multo minus dii immortales.* Et pro Rosc. Amer. 45: *Iupiter non potest omnia mala avertere; ergo multo minus Sulla potuit.*

Segneri. P. 5. n. 5. *Alvaro.*

Comparatio a minori sic instituitur: Cum hoc, quod minus verisimile videatur, verum tamen sit; certe id, quod magis est verisimile, verum videri debet.

Si patria nos delectat, cuius rei tanta est vis ac tanta natura, ut Ithacam illam, in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret; quo amore tandem inflammati esse debemus in eiusmodi patriam, quae una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? De or. 1, 44.

Cf. De suppl. 58, pro Balbo 23. *An lingua.* Pro Arch. 8. *Quis nostrum.* 9. *Ergo illi.* Segn. Pr. 1. n. 8. 9.

Comparatio a pari fit, cum ex eo, quod non est magis probabile, et tamen verum esse conceditur, colligimus, alterum non minus probabile etiam concedendum esse.

Neque vero, quid mihi irascare, intelligere possum. Si quod eum defendo, quem tu accusas: cur tibi quoque ipsi non succenseo, qui accusas eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuso meum: et amicum ego defendo meum. Pro Sulla 17.

Cf. 3. Cat. 1. *Profecto quoniam.*

Art. IX.

DE SIMILITUDINE

Quomodo a simili argumentum sumatur; quo differat a comparatione similitudo n. 350; quid fabula et parabola n. 351.

350. A rerum similitudine duplici modo argumentum sumitur: aut enim quod in una re verum sit, in altera simili concedendum esse dicimus; aut rei, quam tractamus, a similitudine alterius lucem inferimus. Prius genus ad *comparationem a pari* referri potest: alterum etiam inter ornamenta ponitur (n. 110); sed tamen non ornat modo, verum etiam probat et movet *).

*) Quoniam enim id, a quo simile ducitur, optime cognitum esse debet, et plerumque etiam sensibus usurpatur; ideo res, quam tractamus cum eo composita, praeclare illuminatur. Atqui permulta et ea praesertim, quae ad vitam referuntur, cum pri-

mum clare percepta fuerint, vera esse intelliguntur. Unde similitudo, licet assentiendi necessitatem non afferat, affert tamen dissentiendi pudorem.

Ὥσπερ οἱ βάρβαροι πυκτεύουσιν, οὕτω πολεμεῖτε Φιλίππῳ· καὶ γὰρ ἐκείνων ὁ πληγεὶς ἀεὶ τῆς πληγῆς ἔχεται· κἂν ἑτέρωσε πατάξῃ τις, ἐκεῖσέ εἰσιν αἱ χεῖρες. — προβάλλεσθαι δ᾽, ἢ βλέπειν ἐναντίον, οὔτ᾽ οἶδεν, οὔτ᾽ ἐθέλει· καὶ ὑμεῖς ἐὰν ἐν Χεῤῥονήσῳ πύθησθε Φίλιππον, ἐκεῖσε βοηθεῖν ψηφίζεσθε, ἐὰν ἐν Πύλαις, ἐκεῖσε· ἐὰν ἄλλοθί που, συμπαραθεῖτε ἄνω καὶ κάτω, καὶ στρατηγεῖσθε μὲν ὑπ᾽ ἐκείνου, βεβούλευσθε δ᾽ οὐδὲν αὐτοὶ συμφέρον περὶ τοῦ πολέμου· οὐδὲ πρὸ τῶν πραγμάτων προορᾶτε οὐδέν, τοῖν ἂν ἢ γεγενημένον, ἢ γιγνόμενόν τι πύθησθε Demosth. Phil. 1.

Καθάπερ ἔλαφος δεξαμένη βέλος ἐν καιρίῳ τοῦ σώματος, κἂν ἐκφύγῃ τῶν θηρατῶν τὰς χεῖρας, οὐδὲν κερδαίνει λοιπόν· οὕτω καὶ ψυχὴ δεξαμένη βέλος ἐπιθυμίας, ἐξ ἀπολάστου καὶ περιέργου θεωρίας, κἂν τὸ βέλος ἀφεῖσα ἀπέλθῃ (1), *αὐτὴ διαφθείρεται καὶ ἀπόλλυται, πανταχοῦ τὸν πολέμιον ὁρῶσα καὶ ἑπόμενον ἔχουσα*
S. Chrys. In Oziam. serm. 3.

A comparatione differt similitudo, quod illa spectat probabilitatem rerum, haec quamvis qualitatem, in qua res dispares convenire possunt. Saepe tamen utriusque virtus coniungitur, ut:

Si in alicuius opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat, et si multum est insipiens, superflua putat. Iam vero si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, seipsum vulneraverit, etiam perniciosa et noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen usum quoniam novit artifex, insipientiam eius irridet, et verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet. Et tamen

(1) H. e. licet ad patrandum facinus non impellatur.

tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare, quae ignorant, sed cum ea viderint, credunt esse necessaria, et propter usus aliquos instituta: in hoc autem mundo, cuius conditor et administrator praedicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident, et in operibus, atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire, quod nesciunt. S. Aug. de Gen. 1, 16.

Segneri. P. 14. n. 4; P. 28. n. 5. 12.

351. *Fabula* quoque cum sit quoddam similitudinis genus, eandem et saepe maiorem vim persuadendi habet, maxime apud rudiores *).

*) Fabulae ducere animos solent, praecipue rusticorum et imperitorum, qui et simplicius, quae ficta sunt, audiunt, et capti voluptate facile iis quibus delectantur, consentiunt. Siquidem et Menenius Agrippa plebem cum patribus in gratiam traditur reduxisse nota illa de membris humanis adversus ventrem discordantibus fabula. Qt. 5, 11.

Etsi remotis iocis et facetiis quibus fabula solet liberius uti, sacer quoque orator apud simplicem plebem id blandimenti genus interdum usurpare possit, propria tamen generi sacro *parabola* est *) (n. 252).

*) Parabolarum usus cum non experientia tantum, sed ipsius D. Salvatoris exemplo commendatus sit, mirum, quod usque adeo negligatur. Equidem aptas fingere parabolas difficile esse fateor; sed quid vetat, ex iis, quae apud probatos scriptores extant, seligere?

Segneri. P. 13, n. 4.

Art. X.

DE CONTRARIIS

Quae dicuntur contraria; quibus modis ab iis argumentemur; quis eorundem usus in amplificando n. 352.

352. Contraria vel opposita dicuntur ea, quae in re eadem simul esse non possunt, ut pietas et impietas; vita et mors; pater et filius; amor et odium; amare et maledicere.

Triplici modo a contrariis argumentamur; vel enim affirmato uno, alterum negamus, vel contra uno negato, affirmamus alterum, vel denique ex re contraria contrarium colligimus. Primus modus in omni genere contrariorum adhiberi potest, ut: *Roscius patrem amavit; ergo non occidit. Verres avaritia, luxuria, crudelitate provinciam neglexit et commovit; ergo non defendit et sedavit:* — alter modus non in omnibus; multa enim contraria, quamvis simul vera esse non possint, possunt tamen simul falsa esse; itaque illud quidem recte: *Iustus non es; ergo iniustus;* male autem: *Non occidit patrem, ergo amavit.*

Tertius modus etiam ut locus proprius ponitur, et *dissimilitudo* appellatur. Eo utimur, dum contrariorum contrarias esse causas, effectus etc. contendimus, ut: *Quid? cum fatentur satis magnam vim esse in vitiis ad miseram vitam, nonne fatendum est, eandem vim in virtute esse ad beatam vitam? Contrariorum enim contraria sunt consequentia.* Tusc. 5. 17.

Aut fieri posse negamus, ut res eadem homines plane dissimiles sive deceat sive iuvet, v. g. *Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent* *). De or. 2, 40.

*) Vide pro Mur. 39, ubi Cicero arguit: *Catilina cum nefariis sociis Murenam condemnaret; ergo iudices, honesti et sapientes viri, eundem absolvere debent*. Et Demosthenes de Chers. non ita multo post exordium: *Si Philippus interrogaretur, solvendum esse exercitum Diopithis responderet; ergo hoc idem Atheniensibus pessime suadetur.*

In amplificatione autem contrariis utimur, vehementi quodam orationis genere ea, quae inter se pugnant, componendo. Ut enim colores maxime notantur, cum ad eos, a quibus ipso genere longissime distant, proxime admoti fuerint; sic res quaevis cum contrariis composita, illustrius demonstratur. Hoc igitur loco anthitetis utimur. *Popularis vero tribunus plebis, custos defensorque iuris et libertatis! Porcia lex virgas ab omnium civium romanorum corpore amovit: hic misericors flagella retulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit: Labienus, homo popularis, carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium romanorum iniussu vestro iudicaretur: hic popularis a duumviris, iniussu vestro non iudicari de cive romano, sed indicta causa civem romanum capitis condemnari coegit.* Pro Rab. 4.

Vide alia exempla Cat. 2. 11. In Pis. 1. De sign. 32. 33. 35. De suppl. 32. 37. 47.

Segneri. P. 5. n. 6.

CAPUT IV.

DE LOCIS EXSTRINSECIS

353. Ex locis extrinsecis alii sunt omni eloquentiae communes, alii variis generibus proprii: communes sunt testimonia et exempla; proprii, qui vel eloquentiae sacrae, ut Scriptura et Patres, vel civili eloquentiae potissimum serviunt, ut leges, testes, tabulae etc. Nunc ergo de communibus agemus, de propriis postea loco dicturi.

Art. I.

DE TESTIMONIIS

Quid sint et quomodo dividantur; divinis utrum locus sit in civili eloquentia n. 354; quid de clarorum virorum testimoniis n. 355; quis dicatur sensus communis n. 356; quid de proverbiis n. 357; quomodo refutentur testimonia n. 358.

354. Testimonia sunt effata virorum, qui auctoritate sua ad assentiendum movent; quare etiam auctoritates dicuntur (Qt. 5, 11). Genera autem testimoniorum duo: divina et humana.

Divina utique ex sacris litteris sumuntur. Quodsi veteres suis vanis oraculis, auspiciis, responsis sacerdotum aliisque similibus in civili eloquentia usi sunt (Part. 2); multo minus nos verebimur, in profana etiam oratione divina auctoritate certa et explorata niti: quamquam nec tam saepe, nec

tam diffuse et subtiliter, quam in sacra concione.

355. *Humana* vel clarorum virorum auctoritate vel communi quodam hominum sensu nituntur. In illis videndum est, ut is, cuius effatum proferimus, in eo maxime genere sit clarus, in quo versatur oratio nostra *), et apud eos auctoritate valeat, apud quos dicimus. Proderit saepe paucis verbis auctorem commendare, ut:

Atque ille quidem princeps ingenii et doctrinae, Plato, tum denique fore beatas respublicas putavit, si aut docti et sapientes homines eas regere coepissent; aut ii, qui regerent, omnes suum studium in doctrina et sapientia collocassent.

*) Cicero Demosthenis auctoritate probat, primas in dicendo *actioni* esse tribuendas (n. 470); item quid de haruspice sentiendum sit, Catonis effato ostendit (n. 27); in illis autem eruditis disputationibus Platonis et Aristotelis sententiis frequentissime usus est. Fâbius quoque: Tum illa, ait, septem praecepta sapientium nonne quasdam vitae leges existimamus? l. c.

356. Sensum communem voco, quo inter omnes homines de rebus nonnullis convenit. Ad hunc autem pertinent primum naturalia quaedam iudicia, ad quae omnes sua sponte h. e. sine doctrina et ratiocinatione impelluntur. Quale est hoc Ciceronis:

Est igitur haec, iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum

incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. Pro Mil. 4.

Eiusmodi autem iudicia non tam hominum auctoritati, quam ipsi innituntur naturae (n. 9).

357. Sed ne haec quidem vulgo dicta et recepta persuasione populari sine usu fuerint testimonia; ea intellige, quae *proverbia* dicuntur, qualia sunt: *Ibi amici, ubi opes. Conscientia mille testes. Pares cum paribus facillime congregantur.* Quibus ad persuadendum magna est vis, quod non causis accommodata, sed liberis odio et gratia mentibus ideo tantum dicta factaque sunt, quia aut honestissima aut verissima videbantur, neque haec durassent in aeternum, nisi vera omnibus viderentur. Qt. 5, 11.

358. Adversa nobis auctoritas quatuor modis infringi potest: negando consequentiam; opponendo aliam auctoritatem; rem ad rationem revocando; impugnando ipsum testimonium *).

*) Cum negamus, ex testimonio quidquam recte adversus rem nostram colligi, bellissime cadit, si illud etiam in adversarium retorquere possumus. Si auctoritati auctoritatem opponimus, curandum, ut haec illi, si minus superior, saltem aequalis sit. Missis auctoritatibus ipsa ratione exquirere veritatem, fere non convenit, nisi contraria auctoritate, quoquo id fiat modo, aliquantum extenuata. Impugnandi testimonia non est melior ratio, quam si auctores sibi ipsos contradicere ostenderimus. Tres hos modos posteriores adhibet Tullius contra Hortensium et Catulum pro lege Man. c. 17-24.

Art. II.

DE EXEMPLIS

Quid exemplum; unde in eo vis persuadendi; quorumnam exempla usurpanda n. 359; qua ratione tractanda num. 360; quomodo narranda n. 361.

359. Exemplum definitur rei gestae utilis ad persuadendum commemoratio (Qt. 5, 11). Vis vero persuadendi exemplis universe inest eadem, quae similibus quibusvis et comparatis; sed huic loco propria sunt ea, quae insuper auctoritate flectunt; de quibus Cicero: Commemoratio antiquitatis exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi affert et fidem. Or. 34.

Non solum autem viri cuiusque clarissimi, sed populorum etiam et maxime maiorum acta et iudicia cum fructu commemorantur. An vero, inquit Fabius, me de incommodis vitae disserentem non adiuvabit earum persuasio nationum, quae fletibus natos, laetitia defunctos, prosequuntur? Aut si misericordiam commendabo iudici, nihil proderit, quod prudentissima civitas Atheniensium non eam pro affectu, sed pro numine accepit? l. c. De maioribus vide nobilissimum locum apud Demosthenem:

Καίτοι σκέψασθε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἅ τις ἂν κεφάλαιά εἰπεῖν ἔχοι, τῶν τ' ἐπὶ τῶν προγόνων ἔργων, καὶ τῶν ἐφ' ὑμῶν. ἔσται δὲ βραχὺς καὶ γνώριμος ὑμῖν ὁ λογος. οὐ γὰρ ἀλλοτρίοις ὑμῖν

χρωμένοις παραδείγμασιν, ἀλλ' οἰκείοις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εὐδαίμοσιν ἔξεστι γενέσθαι, κ. τ. α.

Olynth. 3. post medium.

Segneri. P. 23. n. 6.

360. Tractantur exempla, ut comparationes et contraria; saepe etiam conglobantur.

1. Comparatio a minori: *An vero vir amplissimus P. Scipio, Pont. Max., Tiberium Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicae, privatus interfecit; Catilinam orbem terrarum caede atque incendio vastare cupientem, nos consules perferemus?* Cat. 1, 1. Cf. pro lege Man. c. 5. *Maiores vestri.*

2. A maiori: Multa Cicero in hanc sententiam: *Syracusas captas non spoliavit Marcellus victor; spoliavit Verres Praetor missus ad ius dicendum.* — Vide de signis c. 52. et seqq.

3. A pari: *Huiuscemodi Scipio ille fuit, quem non poenitebat facere idem, quod tu, Cato; habere eruditissimum hominem et paene divinum domi, cuius oratione et praeceptis, quamquam erant eadem ista, quae te delectant* (Stoicorum scil.), *tamen asperior non est factus, sed, ut accepi a senibus, lenissimus.* Pro Mur. 31.

4. Opponit Cicero Scipioni Verrem: *Quam dissimilis hic dies illi tempori videbatur? tum imperator populi romani, vir clarissimus, deos patrios reportabat Segestanis, ex urbe hostium recuperatos: nunc ex urbe sociorum, praetor eiusdem populi turpissimus atque impurissimus, eosdem illos deos nefario scelere auferebat.* De sign. 35.

5. Conglobantur: pro Mil. c. 3. in Cat. 1, 1. et 2. de senect. c. 20. Parad. 1.

361. Quaedam autem tota narrabimus, quaedam significare satis erit; prout scilicet nota erunt, vel utilitas causae aut decor postulabit. Qt. 5, 11.

1. *Neque enim posset aut Ahala ille Servilius aut P. Nasica aut L. Opimius aut C. Marius aut, me consule, senatus non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset.* Pro Mil. 3.

2. *Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus eius imperatoris, interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille summus vir scelere solutum periculo liberavit.* Ibid. 4.

Schol. Nonnulli praeter insitos et remotos tertium genus locorum ponunt, quos *morales* vocant honestum scilicet, gloriosum, utile, necessarium, facile, iucundum. Non sine fructu orator, cum quaerit argumenta, haec mente revolvet; saepe etiam ad ea velut ad summa capita probationes revocare poterit; sed non est, cur de iis seorsum praecipiatur. Quid enim omnino in vita honestum sit vel utile etc., non est huius disciplinae tradere; rem autem, quae disceptatur, honestam aut turpem esse, necessariam aut inutilem etc., argumenta ducta ex iis ipsis locis, quos hactenus exposui, ostendere debebunt.

CAPUT V.

DE USU LOCORUM

Quid de locorum utilitate n. 362; quid agendum, ut apta ex iis argumenta eruas n. 363; quomodo inventis utendum n. 364.

362. Licet haec, quam exposuimus, locorum

doctrina ad inveniendum sit perutilis *), non ea tamen per se sola sufficit, nisi ingenium quis usu ac litteris excultum, et acrem quandam diligentiam afferat **).

*) Utilis est, non discentibus modo, ut exerceant ingenium, sed oratori quoque ipsi, ut dicendi copia abundet. His enim locis in mente et cogitatione defixis, et in omni re ad dicendum posita excitatis, nihil erit, quod oratorem fugere possit, non modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi. De or. 2, 41.

**) Cum ad inveniendum in dicendo tria sint, acumen, deinde ratio (i. e. ars), tertium diligentia; non possum equidem non ingenio primas concedere; sed subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato et iterato, quo meliores foetus possit et grandiores edere: subactio autem est usus, auditio, lectio, litterae. Ipsum vero ingenium diligentia etiam ex tarditate excitat; diligentia, inquam, cum omnibus in rebus, tum in causis defendendis plurimum valet. Ibid. 30. 35.

363. Ut vero apta ex locis argumenta invenias, perspexeris et mente teneas necesse est, quid maxime in causa sit probandum (n. 320). Etenim ut tela supervacanea sunt nescienti, quid petat; sic argumenta, nisi praevideris, cui rei adhibenda sint. Qt. 5, 10.

Intelligendum porro est, nec ullam esse disputationem, in quam non aliquis locus incurrat, nec fere omnes locos incidere in omnem quaestionem, et quibusdam quaestionibus alios, quibusdam esse alios aptiores locos *). Top. 21.

*) Itaque cum proposita fuerit materia dicendi, iis quidem, qui discunt et adhuc usu carent, scrutandi sunt singuli; expertos autem et animi quaedam ingenita natura, et studio exercitata velocitas recte ad ea, quae conveniunt, feret. Nam et hoc exercitatione multa consequendum, ut varietas argumentorum et copia quasi offerat se et occurrat, et ut litterae syllabaeque scribentium cogitationem non exigunt, sic rationes sponte quadam sequantur. Qt. 5, 10.

364. Superest id, quod maximum est, ne utaris imprudenter hac copia, sed omnia expendas et seligas. Nihil enim est feracius ingeniis, iis praesertim, quae disciplinis exculta sunt. Sed ut segetes fecundae et uberes non solum fruges, verum herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus; sic interdum ex illis locis aut levia quaedam *) aut causis aliena **) aut non utilia ***) gignuntur; quorum ab oratoris iudicio delectus magnus adhibebitur. Or. 15.

*) Levia nisi orator contemserit, contemnet auditor, causamque suspectam habebit, quam viderit infirmis praesidiis muniri.

**) Occurrunt non raro speciosa quaedam et splendida, sed quae ad id, quod quaeritur, nihil valent; in haec vero se effundere eius est, quem ridet poëta: Iam dic, Posthume, de tribus capellis (n. 336). Nihilominus Quintilianus: Plerique, ait, eloquentiae famam affectantes contenti sunt locis speciosis modo vel nihil ad probationem conferentibus. 7, 1.

***) Vitiosa dico non illa modo, quae nihil habent boni, sed ea, quae, etiamsi quid habeant adiumenti, sunt tamen eiusmodi, ut insit in iis aliquid vitii, neque tanti sit illud, quod prodesse videatur, ut cum aliquo malo coniungatur. De or. 2, 76. Huc pertinent, quae vel infirmari aliqua ex parte possunt, vel subtilem diffusamque tractationem requirunt; vel denique ingrata audienti, aut minus apta sunt oratoris aetati, conditioni, facultati.

Sed ipsa etiam utilia atque firma, si, ut saepe fit, valde multa sunt, aut aliis gravioribus consimilia, secerni oportet, atque ex oratione removeri. Equidem, ait Tullius, cum colligo argumenta causarum; non tam ea numerare soleo, quam expendere (Ibid.). Illa autem sunt inter bona optima putanda, quae auditorem proxime tangunt, eiusque opinioni, animo, conditioni, aetati, praesenti statui, temporibus sunt accommodatissima, verbo propria et tempestiva.

Liber secundus

DE DISPOSITIONE

Quid et quotuplex sit dispositio; naturalis quas partes faciat; quae aliae sint partes orationis n. 365; in quo dispositio artificiosa consistat; quid in dicendo valeat n. 366.

365. Dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio. Eius ratio duplex est, altera, quam affert natura causarum (naturalis), altera, quae oratorum iudicio et prudentia comparatur (artificiosa). De or. 2, 76.

Naturalis dispositio in eo sita est, quod universa oratio has fere in partes dividitur: exordium, narrationem, confirmationem, perorationem. Nam ut aliquid ante rem dicamus, deinde ut rem exponamus, post ut eam probemus nostris praesidiis confirmandis, contrariis refutandis, atque ita peroremus, hoc dicendi genus natura ipsa praescribit. Ibid.

His orationis partibus alii alias addiderunt: propositionem, partitionem, confutationem et ipsam etiam digressionem. Quae si partes orationis sunt, id certe commune habent, quod non sunt in omni oratione necessariae *). Sed fieri potest, ut neque ulla sit expositio rerum, quae narratio dicitur, praemittenda: quare orationis partes semper necessariae nonnisi tres sunt: exordium, confirmatio, peroratio.

*) Propositio et partitio, nisi conceptis verbis declarantur, partes orationis utique non sunt; contingit autem, ut eas declarari non

expediat. Sed etiamsi declarantur, nonnulli tamen utramque malunt ad narrationem vel exordium revocare. Refutationem quoque multi, ut Cicero in loco, quem attuli, confirmationi subiiciunt; qui multo minus digressionem inter orationis partes numerari probant, eo quod sit potius adiumentum vel ornamentum aliarum partium, haud secus atque similitudo, exemplum et cetera huiusmodi. Cf. Qt. 3, 9.

Itaque *artificium disponendi* tribus in rebus cernitur: primum statuet orator, num partibus iis, quae non semper sunt necessariae, uti velit, et quo eas loco pertractare; deinde qua ratione per omnes partes res inventas dispenset; postremo, quomodo in ipsis partibus dicenda componat *).

*) Hoc ut facere possit, vis et ratio singularum partium iam cognoscendae sunt accuratius. De quibus tamen hoc in libro ea quoque tradi solent, quae ad ipsam dispositionem non pertinent.

Res autem ista, dispositionem dico, tantum potest in dicendo, ut ad vincendum nulla plus possit (De or. 2, 42): quod Fabius similitudine aedificii, corporis humani, exercitus instructi ostendit. Ac certe, inquit, oratio carens hac virtute tumultuetur necesse est, et sine rectore fluitet nec cohaereat sibi, multa repetat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans, nec initio nec fine proposito, casum potius quam consilium sequatur. l. 7. praef.

CAPUT I.

DE EXORDIO

(De or. 2, 78, 79. De inv. 1, 15. 19. Part. 8. Qt. 4, 1.)

366. Exordium est prima orationis pars, animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem (De inv.). De quo quaeruntur quatuor: quod sit eius officium, quae genera, qui fontes, quae virtutes et vitia.

Art. I.

DE OFFICIO EXORDII

Quodnam sit; benevolentia quomodo concilietur a personis, oratoris scilicet, audientium, illorum, pro quibus aut contra quos dicitur n. 367; quomodo auditor attentus n. 368; quomodo docilis reddatur n. 369.

367. Officium exordii est, quod definitio indicat, ut scilicet auditorem, quo sit nobis in ceteris partibus accommodatior, praeparet; id quod tribus maxime rebus consequimur: si benevolum, attentum, docilem fecerimus: non quia ista non per totam actionem sint custodienda, sed quia initiis praecipue necessaria, per quae in animum auditoris, ut procedere ultra possimus, admittimur.

Qt. cf. de or. 2, 19.

Benevolentia conciliatur maxime a personis tum nostris tum audientium, ab adversarii quoque et illius, cuius causa agitur.

A nostris. Plurimum ad omnia momenti est in hoc positum, si orator vir bonus creditur. Ad hoc autem ipsa conferre potest oratio, si honesta de causa nos ad dicendum accessisse ostendimus; si dicendi ratio animi candorem, fidem, modestiam, probitatem et benevolentiam exprimat *).

*) Multi cum iustissimam causam defendant, suspectam faciunt, arte et sollicitudine prodenda. Illud autem vitandum maxime, ne contumeliosi, maligni, superbi, maledici videamur, praecipue in eos, qui laedi, nisi adversa audientium voluntate, non possunt. Qt. cf. de or. 2, 43.

Sua ipsius quoque merita commemorare orator, cum causa postulare videatur, aliquando poterit, parce tamen et sine arrogantia *).

*) Cicero hoc aptissime facit, cum exponit, qua de causa vel quo animi affectu ad agendum veniat; vid. or. pro Arch. pro Mil. pro Sext. pro Rab. Decet etiam, cum ingrata vel dura dicturi sumus, ostendere, quo semper animo erga audientes fuerimus, ut Cic. de leg. agr. 2 et sublimi quodam modo in 4 Catilinaria. Sed hic quidem modus nulli nisi gravissimo viro convenit.

A personis audientium: si eos a nobis magni fieri vel ipso genere orationis vel modesta ipsorum laude ostendimus *). Ac tum quidem maxime, cum audientes reprehensuri sumus, cavendum est, ne eos parvi pendere videamur.

(* Laus audientis ad causae utilitatem coniungatur, ut cum dicimus, nos ab ipsorum sapientia, fide, iustitia aut aliis virtutibus, optima quaeque pro causa nostra sperare. Vide pro Mil. Qt.

A persona illius, pro quo dicitur: si eius vel merita et virtutes commendamus, vel inopiam

et calamitatem conquerimur. — Vide pro Rosc. Amer.

Ab adversariis: si vel vitia eorum reprehendimus, vel gratiam et eloquentiam extollimus. Primum Cicero, Murenam contra Catonem defendens, ita exequitur, ut non hunc, sed sectam irrideat Stoicorum, cui se Cato addixerat. Alterum facit pro Quintio dicturus: *Quae res in civitate duae plurimum possunt, hae contra nos ambae faciunt hoc tempore, summa gratia et eloquentia, quarum alteram, C. Aquili, vereor, alteram metuo.*

368. Ut *attente* audiamur, trium rerum aliqua consequemur. Nam aut magna quaedam proponemus, aut necessaria aut coniuncta cum ipsis, apud quos res agetur. Part.

Neque vero facile promittamus magna, sed cum res magna est, magnitudinem ipsam ostendamus. Necessitas autem rei ipsius humilitatem et tenuitatem excusat, ut: *Parvis de rebus, sed fortasse necessariis consulimus P. C. de Appia via et de moneta* (Phil. 7). Tertium utique potentissimum, cum scilicet is, qui audit, aut sua vice aut reipublicae commovetur (Qt.). Vide pro domo sua; pro Quint.

Iuvabit etiam, si orator, se breviter et dilucide dicturum pollicetur; si attentionem modeste petit; sed omnium maxime, si ipso dicendi genere animos commovet et excitat.

369. Facillime auditor discit, et quid agatur, intelligit, si complectare a principio genus naturamque causae, si definias, si dividas, si neque prudentiam eius impedias confusione partium, nec memoriam multitudine *). Part.

*) Haec igitur narratione, propositione et partitione facimus, de quibus deinceps plura. Ceterum liquet, docilem hoc loco dici. qui facile, non qui libenter discit.

Ceterum in his tribus non semper aeque laborandum: sed aliud in alio genere causae magis desiderari palam est *). Qt.

*) Si causa est eiusmodi, cui statim sine oratione nostra auditoris favet animus, vel praeteriri principium poterit (Cic. Phil. 6. Demosth. Phil. 1); vel si eo uti placebit, benevolentiae partibus utendum est (pro lege Man.). Si contra re, quam obtinere volumus, alienatus est animus eorum, qui audiunt, praecipua quadam cura insinuare se oratio debebit (pro lege agr. 2). Si quod probandum assumimus, dubium videri, vel in utramque partem, id est, ad benevolentiam et offensionem, accipi potest; benevolentia (pro Mil.); — si vero tale est, quod ab auditore non magnopere attendendum videtur, attentio: — denique si aut tardi auditores sunt, vel difficilioribus ad cognoscendum negotiis causa implicita est, docilitas maxime paranda est. Quinque haec, quae distinximus, causarum genera Latini appellaverunt: *honestum*, *admirabile* (i. e. praeter hominum opinionem constitutum), *anceps*, *humile*, *obscurum;* magis proprie Graeci: ἔνδοξον, παράδοξον, ἀμφίδοξον, ἄδοξον, δυσπαρακολούθητον. Id. Cl. De inv.

Art. II.

DE VARIIS EXORDIORUM GENERIBUS

Quae sint exordii genera; quodnam legitimum n. 370; quid insinuatio et quomodo instituenda n. 371; quod sit, et quando usurpandum exordium ex abrupto; quae in eo providenda n. 372.

370. Exordii genera duo sunt: alterum temperatum, quod et legitimum vocatur; vehemens alterum, quod ex abrupto fieri dicitur.

Legitimum est, quod leniora habet principia, et ea, quae ad parandum auditorem pertinent, sedato quodam dicendi genere pertractat. Hoc nonnulli iterum dividunt in simplex, insinuans et solemne *).

*) Omne scilicet principium aut rei totius, quae agitur, significationem habere debebit, aut aditum ad causam et munitionem, aut quoddam ornamentum et dignitatem. De or.

Insinuatio est oratio quadam dissimulatione et circuitione obscure subiens auditoris animum; a re scilicet, quam obtinere volumus, alienatum (De inv.). Haec si quaeras, quomodo instituenda sit, singulis causis consilium ex propria ratione nascetur. Illud in universum praeceptum sit, ut áb iis, quae laedunt, ad ea, quae prosunt, refugiamus (Qt.). Itaque dissimulatis paulisper quae ingrata audientibus sunt, ab iis orationem inchoamus, quae placent; donec pertractatis iam et lenitis animis ad propositum delabi tuto possimus. Exemplum habes: de lege agr. 1. Segneri. P. 3.

371. *Ex abrupto* fit exordium, cum orator quodam quasi impetu abreptus audientes repentino et inopinato motu percellit. Usurpatur igitur in gratulatione summa vel summa offensione, denique in gravissima quavis et subitanea rerum commutatione. Vide Catil. 1. et 2. et S. Chrys. in Eutrop. et Serm. in Pasch. de lud. circens. Segneri. P. 33, 35.

Videndum est, 1. ne facilius hoc genere utamur; neque enim, monet Tullius (De or.), dubium est, quin exordium dicendi vehemens et

pugnax non saepe esse debeat: — 2. ut in ipsa dictione dignitatis simus et sapientiae memores; impotentius enim orator nunquam, minime vero in principio agere debet; 3. ne repente transeamus ad causae probationem, nec tamen his motibus diutius inhaereamus.

Art. III.

DE FONTIBUS EXORDIORUM

Quinam sint hi fontes; quomodo a singulis sumantur exordia n. 372.

372. Praecipui exordiorum fontes sunt quatuor: ipsa argumenta causae, adiuncta, rei expositio, illustrationes.

Primum igitur sumuntur principia *ab ipsis argumentis*, et maxime ab iis, quae ad animorum motus conficiendos inerunt in causa. Hos vero locos totos in principio explicari non oportebit, sed tantum impelli primo audientem leniter, ut iam inclinato reliqua incumbat oratio *). De or.

*) Haec quidem exordia, quae a *visceribus causae* appellari solent caeteris fere praestant, quod et causae aptissime cohaerent, et quaedam quasi semina continent probationum motuumque.

Segneri. P. 4.

Sequuntur principia, quae ab *adiunctis* personarum, locorum et temporum ducuntur: quo genere frequentissime Tullius est usus, propterea quod saepe, maxime in quaestione finita, coniunctum est cum priori. Vide pro Mil. pro rege Deiot.,

pro leg. Man., pro Sext., pro Coelio, pro Archia etc. Segn. Pr. 1.

Exordia, quae nihil fere habent, quam simplicem *rei expositionem*, in genere deliberativo, et generatim, cum iam benevolus et attentus est, qui audit, usurpantur *).

*) Vide Cic. Philippicas paene omnes, et plerasque orationes Demosth. Pro Ligario autem dicens Cicero hoc genere usus est, quidquid ad benevolentiam captandam pertinet ideo omittens, ut eam paulo post novo quodam et mirabili artificio pararet.

Illustrationes dicuntur sententia, exemplum, similitudo, parabola, et alia huiusmodi, a quibus cum delectatione audientium ordimur. Videndum, ut quaestioni sint aptissima.

Segneri. P. 7. 11. 28.

Art. IV.

DE VIRTUTIBUS EXORDII

Quaenam sint; proprietas in quo consistat; quae huic vitia opposita n. 373; quae cura requiratur; ecqua in ea fugienda n. 374; quid de verecundia n. 375; quae sit iusta brevitas n. 376.

373. Virtutes exordii sunt proprietas, cura, verecundia, brevitas.

Proprium erit exordium, quod ex ipsa re effloruerit, et in eam solum causam, quae tum agitur, accommodatum videatur. Hinc vitia sunt exordiorum: vulgare, commune, commutabile et separatum. *Vulgare* est, quod in plures causas

accommodari potest. Hoc tamen aliquando non inutiliter assumitur, magnis saepe oratoribus non evitatum. *Commune* est, quo et adversarius uti potest. *Commutabile*, quod leviter mutatum in suam utilitatem adversarius deflectere potest. *Separatum* quod causae non cohaeret (De inv. Qt.). Connexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tanquam citharoedi prooemium affictum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur. De or.

374. *Cura* in hoc ponenda est, ut verba et sententiae bene sint lectae, et naturali quadam dicendi gratia proferantur *): in qua tamen cura vitanda sunt duo: primum ornamentis ne utamur audacius **); deinde ne ostentetur cura; quia videtur ars omnis dicentis contra auditores adhiberi ***). Qt.

*) Prima est enim quasi cognitio et commendatio oratoris in principio, quae continue eum, qui audit, permulcere atque allicere debet (De or.). Et contemni se, nisi in oratore diligentia appareat, auditor credit.

**) Ne quod insolens verbum, ne audacius translatum, ne aut ab obsoleta vetustate aut poëtica licentia sumptum in principio deprehendatur; magis conciliatis animis et iam calentibus, haec libertas feretur. Qt.

***) Est difficilis huius rei moderatio, quae tamen temperari ita potest, ut videamur accurate, non callide dicere. Qt.

375. *Verecundia* in hoc sita est, ut orator potius ingenuum quendam pudorem, quam securitatem prae se ferat. Nam securitas ab arrogantia proxime abest; moderatus vero ille timor modestiam significat, modestiam, inquam, quae etiam in causa non dubitabili ex sententiis et compositione et voce et vultu elucere debet *).

Cf. De or. 1. 26. et Qt

*) Illud tamen diligenter cavendum, ne timor hic abeat in puerilem trepidationem. Turbari enim memoria vel continuandi verba facultate destitui, nusquam turpius: pessimus certe gubernator, qui navem, dum portum egreditur, impegit. Qt.

376. Si iam de *brevitate* quaeritur, quamquam aliud alia causa postulat *), tamen recte inter vitia maxime communia longitudo exordii numeratur **).

*) Oportet ut aedibus et templis vestibula et aditus, sic causis principia proportione rerum praeponere. Itaque in parvis atque infrequentibus causis ab ipsa re est exordiri saepe commodius. De or. Ac generatim brevius simplices, longius perplexae suspectaeque desiderant. Qt.

**) Immodica longitudo saepe inde oritur, quod argumenta exponuntur fusius, quam hic locus desiderat; saepius, quod per ambages et circuitus ad causam pervenire laborant. In adolescentium quidem orationibus saepe omnia praecidenda sunt, quae eum locum antecedunt, ubi primum causam ipsam attingunt.

Postremo illud sapienter praecipitur, nonnisi tota causa pertentata atque perspecta, locis omnibus inventis atque instructis, considerandum esse, quo principio utamur *).

*) Hinc Antonius apud Tullium: quod primum est dicendum, ait, postremum soleo cogitare. Nam si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi exile aut nugatorium aut vulgare atque commune. Non ideo tamen, adiicit Quintilianus, (3, 9) eos probaverim, qui scribendum quoque proemium novissime putant.

CAPUT II.

DE NARRATIONE

(Qt. 4. 2.)

Quid narratio et quae eius genera n. 377; quid in vera narratione maxime curandum; qualis narratio apta ad docendum; quomodo ad reliquam orationem accommodetur n. 378; quid de ornatu narrandi n. 379; quid narratio improprie dicta n. 380; quando narratione utendum n. 381; quis in oratione reliqua narrationis usus n. 382.

377. Maxime naturale est et fieri frequentissime solet ac debet, ut praeparato per haec, quae supra dicta sunt, auditore, res, de qua quaeritur, indicetur (Qt.). Ea est narratio. Quae a Tullio definitur rerum explicatio et quaedam quasi sedes ac fundamentum constituendae fidei. Part. 9.

Eius autem duo sunt genera; vel enim fit illa, quae proprie dicitur narratio, i. e. facti, in quo oratio versatur, expositio; vel quaevis explicatio earum rerum, quibus status quaestionis cognoscitur.

378. Cum vera narratione utitur, id maxime curare orator debet, ut narret accommodate ad persuadendum, quod hoc loco inprimis quidem docendo, sed tamen etiam conciliando et movendo consequetur.

Ut igitur narratio eos, qui audiunt, de re tota edocere possit, lucida, brevis *) et probabilis **)

sit necesse est. Sunt quidem hae virtutes aliarum quoque partium orationis; maxime tamen in hac custodiendae, quae prima auditorem docet; in qua si acciderit, ut aut non intelligat, aut non meminerit, aut non credat, frustra in reliquis laborabimus. Qt.

*) Brevitatem autem in hoc ponimus, non ut minus, sed ne plus dicatur, quam oportet: nec enim mihi unquam tanta fuerit cura brevitatis, ut non ea, quae credibilem faciunt expositionem, inseri velim. Id.

**) Aliqua naturaliter sequuntur et cohaerent, ut, si bene priora narraveris, auditor ipse, quod postea sis narraturus, expectet. Sed interdum eventi causa explicanda, et quod asseris, argumento simplici et brevi confirmandum est. Id.

Sed accommodanda quoque narratio est ad reliquam orationem, quo pertinet, ut ea, quae proderunt causae, quam perspicue ostendamus *), ut nec illa, quae contra nos sunt, acriter persequamur, et quidquid poterit, detrahamus, ne noceamus causae **); ut denique semina quaedam argumentorum spargamus, ita tamen, ut narrationem esse meminerimus, non probationem ***).

*) Optimae praeparationes erunt, quae latuerint, ut a Cicerone sunt quidem utilissime praedicta omnia, per quae *Miloni Clodius, non Clodio Milo insidiatus* esse videatur; plurimum tamen facit illa callidissima simplicitatis imitatio: *Milo autem, cum in senatu fuisset eo die, quoad senatus est dimissus, domum venit: calceos et vestimenta mutavit: paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est.* Quam nihil praeparato, nihil festinato fecisse videtur Milo. Iam illa: *Obviam fit ei Clodius, expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut solebat: sine uxore, quod nunquam fere: cum hic insidiator, qui iter illud ad caedem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda, paenulatus, magno et impedito ac muliebri et delicato ancillarum puerorumque comitatu.* Qt.

**) Ad summam totius causae pertinet, caute, an contra demonstrata res sit; quod omnis orationis reliquae fons est narratio. De or. 2, 81. (Sed tamen hic recolenda, quae de oratorum fraudibus monui, n. 315).

***) Huc illa pertinent: *Cum hic insidiator etc.*, et pro Ligario: *Adhuc, Cai Caesar, Q. Ligarius omni culpa vacat*, et quae sequuntur.

379. Iam vero ut conciliando et movendo fidem faciat narratio, omni, qua potest, gratia exornanda est: in quo tamen plurimum refert, quae sit natura eius rei, quam exponimus. In parvis, quales sunt fere privatae, sit ille pressus et velut applicitus rei cultus *). Ubi vero maior res erit, et atrocia invidiose et tristia miserabiliter dicere decebit; non ut consumantur affectus, sed ut tamen velut primis lineis designentur: ut plane, qualis futura sit imago rei, statim appareat. Vide narrationem pro Roscio Am., nec non priorem partem narrationis pro Milone.

*) Itaque in verbis summa diligentia, ut sint expressa et velut sensu tincta, numeri dissimulati quidem, sed tamen quam iucundissimi, figurae non illae poëticae, sed quae varietate taedium effugiant. Caret enim ceteris lenociniis expositio, et nisi commendetur hac venustate, iaceat necesse est. Nec in ulla parte attentior est auditor, ideoque nihil recte dictum perit. Praeterea, nescio quomodo, etiam credit facilius quae audienti iucunda sunt, et voluptate ad fidem ducitur. Qt.

380. In ea autem, quae improprie narratio vocatur, statum ostendemus, vel declaranda rerum conditione vel verbi sensu aut rei notione definienda *). Sed haec quoque expositio, quoad fieri potest, non modo statum planum facere debet, sed ad probationes etiam et motus animorum eodem fere modo, quo vera narratio, accommodari. Exemplum habes pro lege Man. c. 2.

*) Ut status intelligatur, saepe aperire debemus, quid nobis conveniat cum adversario, hoc modo: *Interfectam esse matrem ab Oreste, convenit mihi cum adversariis: iurene fecerit et licueritne facere, id est in controversia.* Ad Her. 1, 10. Quemadmodum autem refert plurimum, ut toti orationi subsit lucida rerum cognitio, ita nihil molestius, quam si inutiles definitiones eruditae praesertim, impeditum faciunt ipsum orationis ingressum.

381. Quando narrandum sit aut non sit, id est consilii (De or. 2, 81). Nihilominus de singulis generibus haec in universum traduntur: In *iudicio* tum solum non erit narrandum, cum iudex non modo factum quid sit, sciet, sed ita factum etiam, ut nobis expedit, opinabitur. In *deliberatione* narratione vera vix unquam, frequenter tamen rerum expositione utendum est. In *genere sacro* narrationis locum tenet nonnunquam parabola vel res gesta e sacris libris deprompta; saepius doctrinae, sive dogmaticae sive moralis explicatio. — Hoc postremo adiicio, narrationem ad cognoscendam causam non necessariam, ad persuadendum nonnunquam esse perutilem.

Cum oratio in plures partes divisa est, non raro singulis partibus narratio praemittitur, atque ea praesertim expositio, quae improprie narratio dicitur, in eadem saepe oratione pluries adhibenda erit; ut pro lege Manil. c. 2. c. 10. c. 13. Interdum etiam membratim oportebit partes rei gestae dispergere in causam, et ad unamquamque rationem accommodare *).

*) Id scilicet agendum, cum vel ipsius rei gestae expositio magnam excipit offensionem, quam argumentando leniri oporteat, vel adversarii narratio per singula capita refellenda est accuratius; vel denique negotium agitur implicatum, cuius expositio uno in loco facta longior futura sit. De inv. 1, 21.

382. Sed alias quoque orator in ipsa causa narratione utitur. Etenim contingit, ut causa una multa facta comprehendat, quae ut totidem argumenta tractanda sint; atque tum haud raro expedit probationes et animorum motus interponere *). Praeterea orator saepe res gestas extra causam assumit, illustrandi scilicet vel animos permovendi gratia; et has pro re nata non breviter commemorat, sed illustriore dicendi genere pertractat.

Segneri. P. 3. n. 5. *Ma perchè non.* P. 11. n 9

*) Hoc genus nonnulli narrationem instructam seu confirmatam appellant. Exempla in Verrinis.

CAPUT III.

DE PROPOSITIONE

Semperne sit declaranda propositio n. 383; quomodo enuntianda; quid, si quando non enuntietur n. 384.

383. Qualis propositio esse debeat, ostendi in libro superiore; hoc igitur loco quaeritur, utrum in omni oratione et quomodo declaranda sit.

Cum nota non est, omnino enuntiari propositio debet *), nisi forte offensio timeatur **). Plurimum enim refert, ab iis, qui audiunt, inde ab initio, de qua re agatur, definite intelligi. Ar. 3, 14.

*) In civili eloquentia propositio plerumque ex ipsa causa nota est, non semper tamen; ita qui defendit reum, dicere potest: *Non fecit*, vel *Iure fecit*. In sacra vero eloquentia praecipue considerandum est, quod supra dixi, per materiam et saepe etiam per finem non satis declarari propositionem.

**) Nonnunquam dura est propositio, quam auditor si providet, non aliter praeformidat, quam qui ferrum medici, priusquam curetur, aspexit. At si, re non ante proposita, securum intravit oratio, efficiet, quod promittenti non crederetur. Qt. 4, 5. Itaque in causa eiusmodi propositio vel post unum alterumve argumentum declaratur, ut in 1. Cat., vel per totam etiam orationem tegitur, ut in 4. Cat. et apud Liv. 28. 27.

384. Exprimenda autem erit propositio verbis propriis ac perspicuis; plerumque etiam simplicissima brevitate. Sed cum quid agatur, satis iam cognitum habent, qui audiunt, propositio etiam ornate et quadam circuitione verborum exprimitur, ut fecerunt saepe Demosthenes et Cicero. Aliquando etiam pluries mutatis scilicet verbis exponitur, quo magis auditoris animo infigatur, aut eadem de causa per totum exordium spargitur.

Licet autem iusta de causa non enuntietur propositio, semper tamen ab oratore perspicue et accurate concipienda, diligenter meditanda, et inter totum laborem animo revolvenda est. Sic enim fiet, ut orationem contineat, et etiam non pronuntiata ab audientibus cognoscatur.

CAPUT IV.

DE DIVISIONE SIVE PARTITIONE

Art. I.

DE VARIIS MODIS DIVIDENDI

Qui sint modi dividendae orationis, cum propositio est composita n. 385; qui, cum simplex n. 386; qui alii modi n. 387.

385. Propositio est vel composita vel simplex; si est composita, ex ipsa partes confirmationis habentur. — Praecipua autem huius divisionis genera sunt quatuor: 1. De eadem materia plura inter se coniuncta statuuntur: in quo cavendum, ne partes laxe cohaereant. Certe multi non tam partes faciunt unius orationis, quam plures oratiunculas de una materia (v. n. 322). 2. In altera parte generalis propositio, in altera proprium quiddam ei adiunctum tractatur: *Bellum gerendum idque acerrime. Sunt poenae apud inferos, eaeque sempiternae.* 3. In priori parte pronuntiatum aliquod demonstratur, in posteriori morum praeceptum deducitur: *Immortalis est animus; ergo tempore sollicite utendum.* 4. In altera parte probatur aliquid agendum esse, in altera modus docetur. quo fieri possit *)

*) Adiicitur etiam tertia pars in hunc modum: In prima parte ostenditur, rem gerendam esse; in altera viae et rationes bene gerendi; in postrema tractantur quae incitare debeant ad

bas rationes suscipiendas. Haec est dispositio Phil. I. Demosth. (v. n. 165).

386. Cum propositio est simplex, argumenta saepe ad quaedam summa capita, quae fere sunt ipsi loci communes, revocari possunt *).

*) Sumitur proinde divisio 1. A definitione: prior pars ostendit, quid res non sit, altera quid sit. -- Lex impugnatur, quia 1, non sit ad bonum commune, nec 2 a legitima potestate lata. -- A genere: *Res turpis, quamvis utilis, non est amplectenda: atqui pax, quae proponitur, turpis est.* -- Si propositio generalis longiori probatione non indiget, in exordio tractari potest, et in confirmatione in rem, quae agitur, traduci; quae quidem divisio syllogismo, (n. 402), constat. Ab effectibus praeclare oratio per incrementum progreditur; ut: *In urbe luxuries creatur, ex luxurie existat avaritia necesse est* (pars. I.); *ex avaritia erumpat audacia* (pars II.); *inde omnia scelera et maleficia gignantur* (pars III.). Haec partitio ad soritem revocatur. A contrariis: *Sive adolescens ad virilem aetatem pervenerit, sive moriatur cito, turpe est illi, virtutem non colere.* Hoc quidem dilemma est.
2. A diversis locis intrinsecis: *Luxuria natura sua detestabilis est* (pars I.); *effectis funesta* (pars II.).
3. A locis extrinsecis, ut de testibus in priori parte, de lege in altera.
4. A locis intrinsecis et extrinsecis: *Peccatum a ratione damnatum, prior pars; a revelatione, altera. Bellum suscipiendum probant primo exempla maiorum, deinde conditio reipublicae.*
5. Ab iis locis, qui a nonnullis morales dicuntur (n. 361). *Pacem nolo, quia turpis est, quia periculosa est, quia esse non potest.* Phil. 7. *Religio christiana rationi consentanea, gloriosa, necessaria.*

387. Multi etiam modi dividendae orationis nascuntur ex natura causae vel personarum rerumque varia conditione. Sic in iudicio plura crimina dividunt orationem: ut *Intelligo, Iudices, tres totius accusationis partes fuisse, et earum unam in reprehensione vitae, alteram in contentione dignitatis, tertiam in crimine ambitus esse versatam* (Pro Mur. 5); in quovis alio genere praecipua argu-

menta adversarii. aut impedimenta, quae fini oratoris obstant, ut ex iis, quae conversionem ad Deum impediunt: *Summa est peccantis miseria* (quam scilicet ignorare solet), p. I; *vani sunt timores, qui a poenitentia retrahunt*, p. II. — A personarum rerumque adiunctis Cicero partes distinxit pro Marc. in priori clementiam Caesaris extollens, in altera suspiciones contra Marcellum diluens *).

*) Omnino autem his, quae dixi, non omnes volui dividendi modos complecti, sed faciles et obvios.

Art. II.

DE DOTIBUS ET USU PARTITIONIS

Quae sint dotes partitionis n. 388; num haec semper adhibenda; quando non facienda; quando non declaranda n. 389; quid, sicubi in more est posita n. 390; quid de ea, quae subdivisio dicitur n. 391.

388. Tres sunt dotes partitionis: *Prima* est, ut sit plana et simplex, ex re proposita sponte nata, non vero ad artis et ingenii ostentationem longius accersita.

Altera est, ut sit distincta, sive ut partes sint discretae, non alia in alia contenta, nec inter se simillimae. Male igitur partiris: *Ostendam propter cupiditatem et audaciam et avaritiam adversariorum omnia incommoda ad rempublicam pervenisse.* Nam genus est omnium libidinum cupiditas (De inv. 1, 29). Videndum etiam, ut non solum quae in singulis partibus probaturi sumus, sint

dissimilia, sed ut argumenta etiam, quibus probemus, et tota tractatio dissimilis esse possit.

Tertia est, ut apta sit cum rationi dicendi generatim, tum maxime proprio dicentis fini. Porro rationi dicendi generatim apta est, si iuvat optimam argumentorum dispositionem, et praecipue si per eam oratio ad graviora semper progredi potest. Proprio vero dicêntis fini accommodata erit, si, id, quod potissimum quaeritur, conspicuum facit, idemque prae ceteris ample tractandi occasionem praebet.

Schol. Unde petatur divisio, et qualis esse debeat, si usurpetur, diximus. Sed multum disceptatur, utine ea conveniat. De quo ut recte disseramus, distinguenda quaestio est: vel enim quaeritur, num omnino facienda sit in oratione divisio, vel conveniatne eam ante probationes indicare. Ac prior quidem quaestio supervacanea videatur. Etenim si composita est propositio, partes ea ipsa facit; si simplex, argumenta, quibus probatur, erunt utique discreta. Sed, ut iam innui, tum solum divisio appellatur, cum argumenta, quae multa esse solent, ad duo vel tria capita revocantur. Composita vero propositio orationem sane dividit, sed num ea ipsa probanda sit, controversum est. Quum igitur alii in omni oratione vel compositam propositionem vel argumentorum, quibus simplex confirmatur, divisionem fieri jubeant; alii contra utrumque dividendi modum improbant. Nos vero cum Fabio (4, 5) dicemus:

389. Ut non semper necessaria aut utilis etiam partitio est, ita opportune adhibita plurimum orationi lucis et gratiae confert. Cf. de inv. 1, 22.

Compositam propositionem interdum ex ipsius caussae statu necessariam esse, alias quoque sic fieri posse, ut oratio vere una esse non desinat, ex iis, quae nn. 322 et 385 ostensa sunt, colliges. Quum autem simplex est propositio, argumenta ad pauca capita referri, saepe ad maiorem vim et evidentiam utile est. Non tamen si fieri non potest, nisi violentius, et argumenta e

locis, ubi magis profutura erant, distrahendo (n. 396); non est facienda divisio. Contingit etiam in tota oratione unum tantum argumentum varie tractare, ut in 9. Phil.

Declaranda autem non est partitio, 1. si ipsa propositio, vel partes orationis posteriores duri aliquid habent; 2. si hae partes inutiles videri possunt; 3. si indicanda divisione sustentatio vel aliud artificium dicendi tollitur *).

*) Primum et tertium per se intelligitur, de altero notandum, fieri posse, ut plura, quod se invicem iuvent, recte assumantur, quae tamen praenuntiata supervacua videntur, ut: *Si occidi, recte feci; sed non occidi.* Qt. 4, 5. Hinc etiam Cicero solam primam partem: *Clodius Miloni insidiatus est*, proposuit, et tamquam ex abundantia addidit: *etiamsi insidiatus non fuisset, cum laude occidi potuisse.*

Schol. Qui semper fieri partitionem volunt, hanc perperam cum totius orationis dispositione permutant. Nisi enim ita faciant, haud assequor quorsum affirment, sine divisione non esse ordinem in oratione, sine ordine nullam perspicuitatem; rursum divisione constringi oratorem, ne vagetur, memoriam iuvari, et alia similia. Eorum autem, qui dividi orationem prorsus vetant, rationes vel in nonnullas tantum orationes, in quibus reapse partitio non est facienda, vel in quaedam vitia divisionis cadunt. Dicunt enim, per divisionem fieri, ut, proposita fucati ordinis specie, vera, quam vocant, unitas orationis tollatur; vim et impetum oratoris per eam infringi; artificium dicendi prodi; a priscis non esse usurpatam. Iam vero ad priora in iis, quae dicta sunt superius, responsum habes; de priscis haec adiicio. Cicero divisionem saepissime adhibuit, interdum etiam praenuntiavit, ut pro Rosc. Am., pro Mur., pro leg. Man., 7. Phil. etc.; sed nimirum sollicitus non erat de aequabili illa partium proportione, quam hodierni videntur putare necessariam. Pro Rosc. Am. tres partes fere aequales fecit, at pro Mur. prima pars nn. 4, altera nn. 38, tertia nn. 33 absolvitur. Pro Cluent. pars prior nn. 116, altera nn. 22 complectitur. Simili modo Demosthenes. Ita enim hi vel partem propositionis vel argumenta tractanda putabant, ut rerum conditio et natura, non ut divisionis proportio exigeret.

390. Quod si alicubi moris est, partitionem

semper usurpare, exspectationi audientium fere obsecundandum est. Semper enim oratorum eloquentiae moderatrix fuit auditorum prudentia (Or. 8). Nec fugient sagacem oratorem viae et rationes evitandi incommoda, quae ex divisione oriri possint; ut si dura sit posterior pars, praenuntiabit eam subobscure minusque definite.

391. Subdivisionem dicunt, cum cuiusque partis argumenta rursum simili modo distribuuntur ac tota confirmatio; ut in oratione pro lege Manilia. Haec divisio cum se offert sponte, repudianda non est, sed neutiquam necessaria putanda, et valde cavendum, ne sit minutior et in diversis partibus simillima *).

*) Evitanda maxime concisa nimium et velut articulosa partitio. Nam et auctoritati detrahunt plurimum minuta illa nec iam membra, sed frusta. Et huius gloriae cupidi, quo subtilius et copiosius divisisse videantur, et supervacua assumunt, et quae natura singularia sunt, secant, nec tam plura faciunt, quam minora. Deinde cum fecerunt mille particulas, in eandem incidunt obscuritatem, contra quam partitio inventa est. Qt. 4, 5. Sunt etiam, qui, ut aequabilis sit partitio, sollicite locos, in quos omnis pars tribuitur, ac vix non sententias numerent. Sed id quidem pusilli est animi, et ab hac, quam quaerimus, eloquentia robusta et virili alienissimi.

CAPUT V.

DE CONFIRMATIONE

392. Confirmationem vocant orationis partem, in qua tractantur argumenta. Haec igitur est pars orationis praecipua in qua tota spes vincendi ratioque persuadendi posita est (Ad Her. 1, 10).

Porro in ea primum considerandum nobis est, quonam ordine argumenta collocemus, deinde quibus ea modis pertractemus.

Art. I.

DE COLLOCATIONE ARGUMENTORUM

Quid semper servandum n. 393; quae prima, quae altera, quae tertia ratio collocandorum argumentorum n. 394; unde cognoscendus argumentorum valor n. 395; quid differat inter ordinem logicum et oratorium n. 396.

393. In collocandis argumentis id semper servandum, ut primo et extremo loco ponantur robusta. Res enim hoc postulat, ut eorum exspectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur; cui si initio satisfactum non sit, multo plus sit in reliqua causa laborandum: male enim se res habet, quae non statim ut dici coepta est, melior fieri videtur (De or. 2, 77). Sed quoniam in orationis extrema parte res evincenda est, id quoque semper providendum, ut quibusdam, quae excellunt, concludamus.

394. Ceterum ex hac universa ratione triplex argumentorum collocatio pro varia rerum conditione probari potest.

Prima incipiens a firmis per firmiora gradatim ad firmissima progreditur. Itaque haec dispositio, omnium sane praestantissima, tum solummodo adhiberi potest, cum suppetunt argumenta praeclara et plane selecta; quod tamen in genere sacro saepissime contingit.

Altera de firmissimis alia prima ponet, alia postrema, inculcabitque leviora *).

*) Ita Cicero (or. 15, Cf. ad Her. 3, 10;), Quintilianus paulo aliter: nam firmum ait primo loco, summo firmissimum, imbecilliora medio esse collocanda (7, 1), atque sic melius tertia ratio, quae sequitur, ab hac secunda discernitur.

Tertia omnium robustissimum primo loco ponit, quo auditor subito concussus moveatur. Hac ratione utendum est, cum auditor vel occupatus est adversarii oratione, vel praeiudicatis opinionibus ducitur, vel segnitie et torpore tenetur, de periculis suis aut bonis incurius. Cavendum autem, ne a potentissimis illis ad levissima decrescat oratio; semper etiam aliquid, quod excellit, ad perorandum servabimus. Qt. 7, 1.

395. Cum igitur universa disponendi ratio inde pendeat, ut recte aestimemus argumenta; haec scito non tam genere, ad quod referuntur, quam adiunctis rerum et personarum ponderanda esse *).

*) Argumenta enim vim et efficaciam non tam ex loco, unde sumpta sunt, quam ex causae statu, audientium voluntate, conditione et fortuna, ex ipsius etiam oratoris facultate, ingenio, aetate, ex temporum denique et locorum rationibus accipiunt. Hoc si neminem latuerit, pauci tamen advertunt, quod inde sequitur.

396. Plurimum igitur saepe differt inter ordinem *logicum* seu naturalem, et hunc, quem nos quaerimus, *oratorium*. Logicum enim ordinem dico, qui rerum naturam sequitur, oratorium, cum res pro eo, quod in praesenti causa valent, una ex rationibus modo indicatis disponuntur. Itaque, ut exemplis utar, logicus est ordo, si primo loco po-

nuntur, quae ad rei naturam, altero, quae ad eius partes vel proprietates, tertio, quae ad effecta pertinent; aut quando de re gesta agitur, si primum quae ante rem, deinde quae cum re, postremo, quae post rem evenerint, expendis. — Atqui dubium non est, quin hic ordo argumentorum naturalis cum oratorio seu artificioso haud raro conveniat; quapropter Tullius in causa Miloniana primum de iis, quae caedem antecesserunt, mox de iis, quae in ipsa caede acta, denique de iis, quae eam subsecuta sunt, disserit. — At vero saepenumero etiam cum virtute ab ordine hoc logico deflecti, exemplis pariter cognosce:

1. Annibal post superatas Alpes milites ad pugnam hortans primum argumentum ducit ab adiunctis locorum, *illic vincendum aut moriendum esse;* secundum ab effectibus, *amplissima esse victoribus praemia proposita*, tertium ab adiunctis personarum exercitus et duces utrinque conferens, quartum a causa belli iram movens in Romanos usque adeo superbos. Liv. 21, 43.
2. Confer Ciceronis orat. pro Mil. cum Demosthenis de Chers. Cicero prius negat crimen: *Non est insidiatus;* deinde: *etiam si esset insidiatus, tamen reipublicae causa iure Clodius occidi potuisset.* Apud Athenienses Diopithes accusatus erat, quod socios diriperet etc.; itaque deponendum et exercitum eius dissolvendum esse. Demosthenes primum: *Esto*, inquit, *vera sint omnia, sed reipubblicae causa non est dissolvendus exercitus;* deinde infirmat accusationem, et rursum in Philippum eiusque patronos exardescit. Ergo contrarius ordo. Sed apud utrumque id, quod secundo est loco positum, si praecessisset in illis quidem rerum adiunctis debile erat, ut consideranti patet; id tamen sequens et velut ex abundantia additum, etiam priora confirmat.
3. Dicendum est de peccato; argumenta habes ex rei natura, ex effectibus, ex adiunctis, a simili et contrario. Sed prima, ut fere contingit apud auditorem indoctum, minus plana et robusta tibi videntur: itaque incipe ab effectibus, ut iam permotus auditor ad rei naturam cognoscendam excitetur; conclude per adiuncta, quae ut saepe, sic in hac materia vim maximam ad movendum habent. Similia illustrent naturam, contraria per varias partes disperges

4. Saepe etiam eiusdem generis argumenta dividenda erunt. De avaritia, de ebrietate dicendum est. Plurima sunt argumenta, sed robustissima paene omnia ex effectis; aliqua etiam a rei natura, quae similibus, exemplis etc. illustrari possunt. Itaque dividenda effecta; primo demonstranda vitia, quae generat cupiditas: deinde inquires in naturam eius rei, ex qua tot pestes nascantur postremo poenas a Deo infligendas dices. Cf. exemplum primum.

Quandoquidem igitur argumenta non ex genere suo, sed ex adiunctis causae ut seligenda sic collocanda sunt, profecto male agunt, qui simul atque res, de qua dicant, constituta est, nihil prius quaerunt, quam duas tresve partes, belle scilicet ex logices praeceptis divisas; hoc enim est, quaerere distributionem, antequam distribuenda, argumenta dico, cognoverint. Peius etiam illi, qui ut habeant partes modo quo dixi discretas, violenter argumenta ad commune aliquod genus trahunt, et insuper loco, ubi futura erant potentissima, expellunt.

Art. II.

DE TRACTANDIS ARGUMENTIS GENERATIM.

Quae in omni tractatione providenda n. 397; quibus argumentis singulis instandum, quae congreganda n. 398; quid maxime cavendum n. 399; quid, si reprehendendus auditor n. 400.

397. In omni tractatione oratori haec sunt providenda:

Primum, ut, quoniam tria sunt, quae ad persuadendum valent, docere, conciliare, movere, constituat, quodnam ex his in re proposita potentissimum futurum sit. Hoc quidem etiam cum quaerimus argumenta aut disponimus, respicere debemus, multo tamen magis, cum tractamus (n. 326. 1).

Ex tribus deinde rebus illis una prae nobis est ferenda, ut nihil aliud, quam docere velle videa-

mur; reliquae duae sicut sanguis in corporibus, sic illae in perpetuis orationibus fusae esse debebunt. De or. 2, 77.

Tertium est, ut, quod in causa boni est, diligenter persequamur, malum autem, quoad possumus, fugiamus *). (De or. 2, 72). Per malum seu vitium causae Cicero quidem illud quoque intelligit, quod iure nobis opponi possit; sed etiam in causa honestissima et verissima multa sunt saepe, quae nocere possunt, vitio vel audientium vel temporum.

*) Mea, ait Antonius apud Tullium (l. c), ratio in dicendo haec esse solet, ut boni quod habeat causa, id amplectar, exornem, exaggerem; ibi commorer, ibi habitem, ibi haeream, a malo autem vitioque causae ita recedam, non ut id me defugere appareat, sed ut totum, bono illo ornando et augendo dissimulatum. obruatur.

398. Firmissimis argumentorum singulis instandum, infirmiora congreganda sunt. Illa enim per se fortia, non oportet circumstantibus obscurare, ut qualia sunt appareant; haec imbecilla natura mutuo auxilio sustinentur. Itaque si non possunt valere, quia magna sunt, valebunt, quia multa sunt, quae ad eiusdem rei probationem omnia spectant. Qt. 5, 12.

Schol. Hoc praeceptum recentiores passim acerbe reprehendunt haud considerantes scilicet, non agi hic de vitiosis aut dubiis argumentis, quibus nusquam esse locus debet, sed de illis, quae rem non certam, sed verisimilem tantum faciunt; atqui haec, praesertim si sunt signa facti, multiplicata non tantum speciem accipiunt probabilitatis, sed re quidem vera caussam probabiliorem faciunt (n. 347). Quod vel exemplo a Quintiliano eodem loci posito, discere debuissent: Ut, ait, si quis haereditatis gratia hominem occidisse dicatur: *haereditatem*

sperabas, et magnam haereditatem, et pauper eras, et tum maxime a creditoribus appellabaris, et offenderas eum, cuius eras haeres, et mutaturum tabulas sciebas. Singula levia sunt et communia; universa vero nocent, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine.

399. Illud autem in tractatione cavendum est maxime, ne sive rebus ipsis et argumentis, sive dicendi modo, aut personarum laude et reprehensione inepta, causae noceas. In *ipsis* igitur *argumentis*, vide ne imprudenter, ostentandae scilicet eloquentiae causa, adversariorum adiumenta confirmes, et ea, quae sanare nequeas, exulceres; ne quid posueris, aut aperte falsum, aut ei, quod dixeris dicturusve es, contrarium, aut genere ipso remotum ab usu loci vel temporis. *In modo* autem *dicendi* ea nocent maxime, quae vitia ipsius oratoris ostendunt *).

Personarum denique ea ratio habenda est, ut, quae sunt in iis, quos defendis, invidiosa audientibus, mitiges extenuando, nec laudando et efferendo invidiosiora facias, neve in homines caros audientibusque iucundos sine praemunitione orationis acerbius et contumeliosius invehare. De or. 2, 75.

*) Fugienda igitur omnis sui vitiosa iactatio, praecipue eloquentiae. Reprehensus est in hac parte non mediocriter Cicero, quamquam is quidem rerum a se gestarum maior, quam eloquentiae fuit in orationibus utique iactator. Et plerumque illud quoque non sine aliqua ratione fecit. — Humiliora illa vitia: summissa adulatio, affectata scurrilitas, in rebus ac verbis parum modestis ac pudicis vilis pudor, in omni negotio neglecta auctoritas. Denique ut humanitas, facilitas, moderatio, benevolentia in oratore sunt iucundissimae, ita impudens, tumultuosa, iracunda oratio abalienat animos. Qt. 11, 1.

400. Magna denique cautio necessaria est, si quando ipse auditor reprehendi debet. Itaque non

libenter id facere videaris; quae autem obiicis, errori potius, ignorantiae, casui, quam malignitati attribuas; nec in omnia impetum facias, sed in id solum, quod expugnandum est, quin etiam reprehensionem alia laude compenses; denique audientes, etiamsi erraverint, a te magni fieri et diligi ostendas. Cf. Qt. 11, 1.

Art. III

DE ARGUMENTATIONE

401. Verae eloquentiae studiosi in hanc partem, quae in docendo posita est, acri studio incumbendum sibi esse sciant, ne forte ea neglecta in amoenioribus locis desidere, aut antequam rem satis demonstraverint, in motus exardescere assuescant: quod utrumque est vitiosissimum.

Porro argumentatio est argumenti explicatio, quae fit duplici modo, exponendo vel ratiocinando. Etenim ut argumenti vis sentiatur, satis est interdum, verba aliqua uberius exponere, res describere, gesta narrare, notiones definire. Sed plerumque necesse est, ea, quae dubia aut ignota sunt, certis et cognitis rationibus probari. Quare argumentatio restrictius accepta definitur: *Oratio, qua propositio minus nota ex magis notis deducitur.*

Huius igitur argumentationis varias species seu formas exponemus, post de earundem usu quaesituri.

§ I.

DE FORMIS ARGUMENTATIONIS

Quae sint formae argumentandi; quid syllogismus; unde huius et omnis argumentationis vis emanet n. 402; quid epicherema n. 403; quid enthymema n. 404; quid dilemma; quomodo revocetur ad syllogismum; quomodo solvatur n. 405; quid sorites; ecquid de eo notandum n. 406; quid inductio; quae in ea servanda n. 407.

402. Formae argumentationis frequentiores sex sunt: syllogismus, epicherema, enthymema, dilemma, sorites et inductio.

Syllogismus est argumentatio constans tribus propositionibus, ita inter se dispositis, ut concessis duabus prioribus, tertia necessario admittenda sit: *Omnis ars honesta laudanda est; atqui rhetorica est ars honesta; ergo rhetorica est laudanda.* — Prima syllogismi propositio *Maior*, altera *Minor* vel Assumptio, tertia *Conclusio* dicitur; prima et secunda etiam *Praemissae* vocantur.

Vis autem huius argumentationis, ad quam omnes aliae revocantur, unde emanet, accipe. In omni syllogismo de subiecto conclusionis (hic: *rhetorica)* praedicatur idem, quod de subiecto maioris *(ars honesta)* praedicatum erat *(laudanda est)*; id autem recte fieri minor ostendit, declarans, subiectum conclusionis in subiecto maioris ut partem seu speciem in genere contineri. Quod

enim de toto genere, id etiam de singulis partibus affirmari vel negari potest.

403. *Epicherema* est syllogismus, in quo vel maiori, vel minori, vel utrique explicatio aut probatio additur *).

Ut quis de parricidio arguatur, flagitiosissimus probandus est; — nam uno isto maleficio scelera omnia complexa sunt: atqui nulla flagitia in Roscio reprehendi possunt; — quippe aliis eum aetas et vitae conditio liberat, ab aliis ipse accusator purgavit: ergo Roscius de parricidio argui non potest.

*) Haec forma interdum etiam *syllogismus oratorius*, a Cicerone vero *ratiocinatio* vocatur. — Epicherema autem alii dicunt ratiocinationem breviter comprehensam, cuius omnes partes in unam conferuntur, hoc modo: *Rosciumne, in quo aliud vitium nullum reprehendere potes, parricidii accusas?*

404. *Enthymema* est syllogismus imperfectus, quippe in quo nunc minor nunc maior omissa sit. *Omnis ars honesta laudanda est; ergo rhetorica laudanda est.* Prior propositio vocatur *Antecedens*, altera *Consequens*. Enthymematis frequentior est in oratione usus, quam syllogismi: nam hic si perfectus est, facile scholam redolet; deinde molestum est, quae per se intelliguntur, assumi; et brevis argumentatio validius percellit.

Optimum autem enthymema est, quod ex pugnantibus conficitur, hoc modo: *Quem cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus; hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?* Pro Mil. 16.

405. *Dilemma* est argumentatio constans duabus partibus contrariis, quae utrinque adversarium capiunt. Cicero patriam cum Catilina sic agentem inducit: *Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe; si est verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.*

1 Cat. 7.

Revocatur ad syllogismum hoc modo: *Timor meus vel falsus est, vel verus; atqui si verus, discede, ne opprimar, si falsus, ut tandem aliquando timere desinam; ergo sive timor meus falsus, sive verus sit, discede.*

Segneri. P. 3. n. 8.

Solvitur dilemma, si vel disiunctio imperfecta esse ostenditur, vel alterutra pars infirmatur, vel totum in adversarium convertitur.

1. *Aut Milo insidiatus est, aut Clodius; atqui non Milo; ergo Clodius;* falsum primum, quia neuter insidiatus erat; — sed ipsi Clodiani sic argumentati erant.

2. *Aut vivet post mortem animus, aut non vivet; si vivet, beatus erit; si non vivet, non sentiet dolorem; ergo mors non est timenda.* Cf. de sen. 23.

3. Exemplum conversionis Aristoteles (2, 23) ponit:

Ἱέρεια οὐκ εἴα τὸν υἱὸν δημηγορεῖν. Ἐὰν μὲν γάρ, ἔφη, τὰ δίκαια λέγῃς, οἱ ἄνθρωποί σε μισήσουσιν. ἐὰν δὲ τὰ ἄδικα, οἱ θεοί. Δεῖ μὲν οὖν δημηγορεῖν ἐὰν μὲν γὰρ τὰ δίκαια λέγῃς, οἱ θεοί σε φιλήσουσιν, ἐὰν δὲ τὰ ἄδικα, οἱ ἄνθρωποι. 2, 23.

406. *Sorites* (σωρείτης) multas argumentationes acervatim convolvit (Cic. De div. 2, 4); ita scilicet plures propositiones iungens, ut praedicatum

praecedentis fiat subiectum sequentis, donec efficiatur conclusio, in qua subiectum primae propositionis praedicatum ultimae accipit. Nihil esse bonum, quod non sit honestum sive laudabile, ita probat Cicero: *Etenim quidquid est, quod bonum sit, id expetendum est; quod autem expetendum, id certe approbandum: quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum; ergo etiam dignitas ei tribuenda est; quod si ita est, laudabile sit necesse est; bonum igitur omne laudabile.*

Tusc. 5, 15.

Hoc argumentandi genus saepe solet esse fallax, atque captiosum. Dum enim minutatim et gradatim multa adduntur, periculosissima respondenti tela texitur: retexere igitur oportet et seorsum singula considerare; sic facilius universa frangentur (Acad. 4, 16. 29). Sed eadem de causa raro ab oratoribus adhibetur, nisi forte singulis membris uberius expositis et probatis.

407. *Inductio* est argumentatio, qua audientibus dubia quaedam res propter similitudinem earum rerum, quibus adsenserint, probatur (De inv. 1, 31). *Navis bona dicitur, non quae pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est; sed quae stabilis est, firma, velox et non sentiens ventum. Gladium bonum dices, non cui auratus est balteus, nec cuius vagina gemmis distinguitur; sed cui ad secandum subtilis est acies. Regula, non quam formosa, sed quam recta sit, quaeritur. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, a quam multis salutetur, sed quam bonus sit.* Sen. ep. 76.

Hoc igitur in genere duo diligenter observanda

sunt, primum, ut illud, quod inducemus per similitudinem, eiusmodi sit, ut sit necesse concedi; deinde ut illud, cuius confirmandi causa fiet inductio, simile iis rebus sit, quas induxerimus.

De inv. 1, 32.

Schol. Inter argumentationes a nonnullis numeratur etiam *collectio*. Haec quinque partibus constat: *propositione*, quae quid probandum sit, summatim enuntiat; *ratione*, qua propositum verum esse monstratur; *confirmatione*, quae rationem ipsam pluribus argumentis tuetur; *exornatione*, quae prius dicta illustrius declarat et amplificat; *conclusione*, quae argumenta breviter colligens, quod initio propositum fuerat, concludit. Itaque haec non tamen est argumentatio, seu argumenti expositio et certa forma, quam loci alicuius uberior et varia tractatio, fixis tamen capitibus comprehensa. Ad eam formam interdum tota oratio revocatur, ut 4 Cat. Propos. *Hic dies supplicatione deorum celebrandus est.* Rat. *Quia Cicero hodie rempubblicam servavit.* Conf. *Nam Catilinae coniurationem manifeste compertam disperdidit.* Exorn. *Fuit haec singularis industria et fortuna, ut tanta et tam crudelis coniuratio sine sanguine civium extingueretur.* Concl. *Ergo hic dies etc.* —

§ II.

DE USU ARGUMENTATIONUM

Quis usus argumentationum n. 408; semperne sit argumentandum n. 409; quae species argumentandi rarae esse debeant n. 410; quid de expositione n. 411; quid de varietate argumentandi n. 412.

408. Argumentationum in oratione usus est multiplex et varius. Nunc enim argumentationes apertae sunt et breviter conclusae; nunc vero membra earum singula dilatata copiosius; rursum haec membra in alium et alium ordinem disposita:

non raro etiam plura orationis capita aut integrae partes, quin tota oratio, una argumentatione comprehensa (n. 386).

1. Dilatantur argumentationes addita singulis membris aliqua vel expositione vel probatione. Ita Cicero dilemma tractat:

Attende ènim paullisper, cogitationemque sobrii hominis punctum temporis suscipe. Ego, qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris; ut a te arguor, socius, nego quidquam esse medium: confiteor eos, nisi liberatores populi Romani conservatoresque reipublicae sint, plus quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas esse: siquidem est atrocius, patriae parentem, quam suum occidere. Tu, homo sapiens et considerate, quid dicis? Si parricidae, cur honoris causa a te sunt et in hoc ordine et apud populum Romanum semper appellati? cur M. Brutus, te referente, legibus est solutus, si ab urbe plus quam decem dies abfuisset? cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur provinciae Bruto et Cassio datae? cur quaestores additi? cur legatorum numerus auctus? Atque haec acta per te. Non igitur homicidae. Sequitur, ut liberatores tuo iudicio sint: quandoquidem tertium nihil potest esse. Quid est? num conturbo te? non enim fortasse satis, quae distinctius dicuntur, intelligis. Sed tamen haec summa est conclusionis meae: quoniam scelere a te liberati sunt, ab eodem te amplissimis praemiis dignissimos iudicatos. 2 Phil. 13. Vide etiam pro Rosc. Amer. c. 33. - *Erat tum multitudo.*

2. En epicherema, in quo ordo naturalis servatus est:

Sententia probanda: *Atque hoc ego plus oneris habeo, quam qui ceteros accusarunt;*

Maior. *Quod ita postulatur ab omnibus, ut ab iis abstineant maxime vitiis, in quibus alterum reprehenderint.*

Expositio Mai. *Furem aliquem aut rapacem accusaris? vitanda tibi semper erit omnis avaritiae suspicio. Maleficum quempiam adduxeris, aut crudelem? cavendum erit semper, ne qua in re asperior aut inhumanior fuisse videare. Corruptorem, adulterum? providendum diligenter, ne quod in vita vestigium libidinis appareat. Omnia postremo, quae vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Etenim non modo accusator, sed ne obiurgator quidem ferendus est is, qui, quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur.*

Minor: *Ego in uno homine omnia vitia, quae possunt in homine perdito nefarioque esse, reprehendo.*

Expositio minoris: *Nullum esse dico indicium libidinis, sceleris, audaciae, quod non in istius unius vita perspicere possitis.*

Conclusio: *Ego in isto reo legem hanc, iudices, mihi statuo; vivendum ita esse, ut isti non modo factis dictisque omnibus, sed etiam oris oculorumque illa contumacia ac superbia, quam videtis, dissimillimus esse, ac semper fuisse videar.* Verr. 3, 2.

Contra in hoc loco traiectae sunt partes:

Ratio maioris: *Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. Scelestum, dii immortales! ac nefarium facinus, atque eiusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur.*

Confirm. rationis: *Etenim si, id quod praeclare*

a sapientibus dicitur, vultu saepe laeditur pietas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, iura divina atque humana cogebant?

Maior: *In hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro extitit, ut, si quando auditum sit, portenti ac prodigii simile numeretur; quibus tandem te, C. Eruci, argumentis accusatorem censes uti oportere? nonne et audaciam eius, qui in crimen vocetur, singularem ostendere, et mores feros immanemque naturam, et vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, et denique omnia ad perniciem profligata atque perdita?*

Minor: *Quorum tu nihil in Sex. Roscium, ne obiiciendi quidem causa, contulisti.*

Prob. min. *Patrem occidit Sex. Roscius. Qui homo? adolescentulus corruptus et ab hominibus nequam inductus? annos natus maior quadraginta. Vetus videlicet sicarius, homo audax et saepe in caede versatus? at hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem nimirum et aeris alieni magnitudo, et indomitae animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt? De luxuria purgavit Erucius, cum dixit, hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse. Nihil autem unquam debuit. Cupiditates porro quae possunt esse in eo, qui (ut ipse accusator obiecit) ruri semper habitarit, et in agro colendo vixerit? quae vita maxime disiuncta a cupiditate est et cum officio coniuncta.*

Conclusio. *Quae res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio obiecit?* Pro Rosc. Am. 13.

3. Diffusius tractantur membra *syllogismi:* Pro

Sulla c. 25-28. *Nemo coniurat in patriam, nisi sceleratissimus; atqui Sullae mores optimi.* Pro Fonteio a cap. 6. *Sapientis iudicis est, non credere inimicis testibus et cupidis et impiis; atqui tales sunt Galli.* Pro Rosc. Amer. c. 30. *L. Cassius ille* etc. *Is occidit, cui caedes maiori bono fuit; atqui magno bono fuit Tito Roscio, damno Sexto.* Pro Archia c. 6-9. *Dilemmatis.* Pro Ligario c. 4-6. *Tubero hac accusatione aut vult, ut capitis damnetur Ligarius, aut ne ei ignoscatur; atqui illud crudele, hoc multo magis inhumanum.* Pro Rosc. Amer. c. 27-29. *Vel ipse percussit, vel per sicarios occidit, vel per servos; atqui non, etc.* — In Phil. autem 7. tota pars prima, *Pax cum Antonio turpis est*, syllogismo probatur; pars altera: *Pax periculosa est*, enthymemate; pars tertia: *Pax esse non potest*, inductione.

409. Neque vero omnia, quae afferet orator, artificiose demonstrabit, sed ea solummodo, quae dubia audientibus *) aut obscura esse putabit. In rebus enim apertis argumentari tam est stultum, quam in clarissimum solem mortale lumen inferre. Qt. 5, 12.

*) Dixi *audientibus* dubia vel obscura: scilicet ut alia sunt doctis aperta, obscura rudibus, ita vicissim indubitata multa non eruditis, quae apud doctos homines erunt probanda. Atque hoc etiam in argumentatione ipsa considerandum est, ne singula usquequaque persequamur. Ideo enim, ait Aristoteles (2, 22), indocti saepe pro concione melius dicunt, quod non omnia assumunt.

410. Cum vero demonstramus, nudae et apertae argumentationes rarae esse debent, tectae et exornatae frequentissimae *).

*) De illis nudis et apertis intelligendus Quintilianus, cum dicit: Ego, ut in oratione syllogismo quidem aliquando uti nefas non duco, ita constare totam, aut certe confertam esse aggressionum et enthymematum stipatione, minime velim: dialogis enim et dialecticis disputationibus erit similior, quam nostri operis actionibus, quae quidem inter se plurimum differunt. 5, 14.

411. Illa igitur, quam dixi expositionem (n. 401), ut per se sola non sufficit *), ita opportune adhibita ad persuadendum perutilis est, maxime si in aliqua argumentatione velut pars seu membrum includitur **).

*) Non est dubium, quin aliquando assumpti veritas ex re gesta, quam narramus, ex personarum rerumque indole, et adiunctis, quae describimus, ex notionibus, quas explicamus, satis eluceat; sed plurimi hodie oratores aliam fere probationem ignorare videntur, qui postquam in hoc genere expositionis aliquantum immorati sunt, continuo ad permovendos animos orationem convertunt. At motus, qui ita forte cientur, re non plane demonstrata, voluntatem segniter impellunt citoque restinguuntur.

**) Id saepe fecit Demosthenes, ut de Chers, paulo post exordium: *Inde omnia reipublicae detrimenta, quod Philippus servans exercitum perpetuum, tempore agebat; Athenienses contra: sed qui Diopithis exercitum dissolutum volunt, nihil aliud agunt, nisi ut hoc rursum accidat.* Deinde assumptionem statu rerum exponendo demonstrat. — Rursum in eadem oratione prope finem: *Alios Philippus beneficiis in servitutem vafre pellexit* (ostenditur exemplis); *vos aperte spoliavit* (ostenditur enumeratione); *atqui hoc ideo, quod apud illos tutum non erat, pro Philippo dicere* (rursum enumeratio); *Athenis vero Philippo undique hostiliter adoriente, impune pro eo dicitur.*

412. Tractatio argumentorum varia esse debet, ne aut agnoscat artem, qui audit, aut defatigetur similitudinis satietate (De or. 2, 41). Variatur autem tum interpositis, quae ad delectandum et movendum faciunt *), tum mutato ipso genere argumentationis et elocutione.

*) Nobis ad aliorum iudicia componenda est oratio, et saepius apud omnino imperitos, atque aliarum certe ignaros litterarum loquendum est; quos nisi et delectatione allicimus, et viribus trahimus, et nonnunquam turbamus affectibus, ipsa, quae iusta ac vera sunt, tenere non possumus. Locuples et speciosa vult esse eloquentia. Qt. 5, 14.

Art. IV.

DE ILLUSTRATIONE

Quid illustratio, et quae eius utilitas n. 413, quot sint illustrationes, et quae in iis universe custodienda n. 414; quae genera digressionis, et ubi adhibenda n. 415; quid facetiae prosint, et quae genera earum n. 416; qua in re usurpandae n. 417; quae fugienda n. 418.

413. Illustratio vocatur locus orationis ad suavitatem dicendi potissimum accommodatus. Itaque ut argumentatio ad primum oratoris munus, quod in docendo positum est; sic illustratio ad secundum pertinet, quod nunc a delectando, nunc a conciliando appellatur. Magna autem est in huiusmodi locis utilitas: nam et rem praeclare illuminant *), et ipsa suavitate animos non conciliant modo, sed etiam ad rem acrius intuendam mirifice excitant.

*) Hinc etiam nomen ducere videntur; certe Cicero, quam Graec ἐνάργειαν, illustrationem appellavit. Vide Quint. 6, 2, et cf. hic n. 101.

415. Illustrationes autem vulgo nominantur septem: similitudo, exempla, fabula, parabola, sententia, digressio et facetiae. De quibus in universum duo praecipiuntur: 1. usus sit moderatus, earum praesertim, quae nullam argumentationem

adiunctam habent. In omni enim rerum genere voluptates, quibus intemperantius fruimur, enervant et satiant. 2. Elocutio sit omni quidem dicendi gratia exornata, neque tamen quaesita elegantia mollior aut poetica audacia liberior.

De singulis plerisque illustrationibus cum iam aliis in locis expositum sit, hic superest, ut de digressione et facetiis pauca in oratoris usum notemus.

415. *Digressionum* in oratione duplex vulgo genus tradunt: alterum, quod quaestione generali, alterum quod descriptione vel narratione tractatur. Quaestiones generales sive *theses* maxime in civili eloquentia rationem digressus habent (n. 318). Ad posterius vero genus pertinet laus hominum locorumque, descriptio regionum, expositio rerum non solum gestarum sed etiam fabulosarum. Exempla habes in Verr. l. 2. c. 1. Siciliae, l. 4. c. 52. Syracusarum descriptionem, et l. 4. c. 48. Proserpinae raptum.

Prius illud genus fere adhibetur permovendorum animorum causa, alterum delectationi potissimum servit, sed saepe etiam utilitati *). Cf. de or. 2, 77.

*) Utilis est huius generis digressio, vel quod lumen infert orationi, vel quod animorum motus praeparat (utrumque observari poterit in exemplis notatis), vel denique quod per eam a rei odiosae tractatione fugiunt, saepe utique fraudulenter. Cf. n. 445.

Hoc exspatiandi genus non modo narrationi quidem, sed etiam quaestionibus, vel universis vel interdum singulis, opportune potest subiungi, cum res postulat, aut certe permittit, atque eo vel maxime illustratur ornaturque oratio; sed si

cohaeret et sequitur, non si per vim cuneatur, et quae natura iuncta erant, distrahit. Qt. 4, 3.

416. *Facetiae* ipsa hilaritate benevolentiam conciliant, acumen ingenii et doctrinam oratoris significant, frangunt saepe adversarium, odiosasque res, quas argumentis dilui non facile est, ioco risuque dissolvunt. De quibus Tullius (De or. 2, 58-61): Duo sunt genera facetiarum, quorum alterum re tractatur, alterum dicto. In priori describuntur hominum mores, et ita effinguntur, ut aut re narrata aliqua, quales sint, intelligantur, aut imitatione brevi iniecta, in aliquo insigni ad irridendum vitio reperiantur. V. pro Sext. c. 8. (n. 102). In dicto autem ridiculum est id quod verbi aut sententiae quodam acumine movetur (n. 341).

417. Iam vero perquam diligenter videndum est, qua in re et quo modo ridicula sint tractanda. Materies enim omnis ridiculorum est in istis vitiis, qua sunt in vita hominum neque carorum *), neque calamitosorum, neque eorum, qui ob facinus ad supplicium rapiendi videntur **).

*) Parcendum est maxime caritati hominum, ne temere in eos dicas, qui diliguntur. Illud quoque videndum, ne dicteria, in quos nolis, cadere possint: quod Philippo cuidam accidit, Pusillus testis processit: *Licet*, inquit, *rogare?* Philippus. Tum quaesitor properans: *Modo breviter*. Hic ille: *Non accusabis; perpusillum rogabo*. Ridicule. Sed sedebat iudex L. Aurifex, brevior ipse, quam testis. Omnis est risus in iudicem conversus.

**) Nec insignis improbitas et scelere iuncta, nec rursus miseria insignis agitata (i. e. dicteriis vexata) ridetur. Facinorosos enim maiori quadam vi quam ridiculi vulnerari volunt, miseros illudi nolunt, nisi si se forte iactant.

418. Ut in illo superiori genere vel narratio-

nis, vel imitationis vitanda est mimorum ethologorum similitudo *); sic in altero, quod dicto tractatur, scurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda est **).

*) Mimorum est ethologorum, si nimia est imitatio et maxime si obscoena. Orator surripiat oportet imitationem, ut is, qui audiat, cogitet plura, quam videat; praestet idem ingenuitatem et ruborem suum, verborum turpitudine et rerum obscoenitate vitanda.

**) A scurra autem oratorem distinguit temporis ratio, et ipsius dicacitatis moderatio et temperantia et raritas dictorum; et quod nos cum causa dicimus, non ut ridiculi videamur, sed ut proficiamus aliquid. illi totum diem et sine causa.

In sacra eloquentia, licet quaedam sermonis hilaritas, si valde moderata sit, non omni in genere prohibeatur; at risum movere, maxime gestu, magnopere dedecet.

Art. V.

DE AMPLIFICATIONE

419. Amplificatio est oratio ad commovendos animos accommodata, seu, ut a Tullio definitur, gravior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliat in dicendo fidem. Part. 15. Hoc itaque tertium illud est oratoris munus, quo vis maxima continetur. Probare enim necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriae. Nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. Huc igitur incumbat orator, hoc opus eius, hic labor est, sine quo cetera nuda, ieiuna, infirma, ingrata sunt; adeò velut spiritus operis huius atque animus est in affectibus. Or. 21. Qt. 6, 2.

§ I.

QUI MOTUS, QUIBUSQUE REBUS SINT EXCITANDI

Quae prima motuum animorum divisio; quid oratori maxime providendum; semperne mores et affectus discreti n. 420; quae altera divisi; quid amor; desiderium; spes; aemulatio; gaudium; et quibus rebus singula moveantur n. 421; quibus e contrarium odium, horror, timor, audacia et tristitia n. 422; quid misericordia, quid ira, quomodo excitentur n. 423.

420. Motus animorum dividuntur primo in lenes, qui *mores* (ἤθη) dicuntur, et in vehementiores, quos Graeci πάθη, Latini (seriores) *affectus* appellarunt *). Itaque ἦθος est, quoties perferimus, ignoscimus, satisfacimus, monemus, procul ab ira, procul ab odio. Illa quoque huc pertinent, veniam petere, adolescentiae excusare errores, laudare quidpiam vel mirari placide et leniter. Ad affectus vero pertinent potissimum ira, odium, indignatio, metus, invidia, miseratio, dolor, stupor, amor. Cf. Qt. 6, 2.

*) De hoc duplici genere Cicero: Duo sunt, quae bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciant; quorum alterum est, quod Graeci ἠθικὸν vocant, ad naturas et ad mores, et ad omnem vitae consuetudinem accommodatum; alterum, quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbanter animi, et concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud superius come, iucundum, ad benevolentiam conciliandam paratum; hoc vehemens, incensum, incitatum, quo causae eripiuntur; quod cum rapide fertur, sustineri nullo recto potest. Or. 37

In hac igitur varietate motuum illud oratori est maxime providendum, quosnam postulet causa. Non semper enim fortis oratio quaeritur, sed saepe placida, summissa, lenis, quae maxime commendat reos. Neque parvis in rebus adhibendae sunt illae dicendi faces, neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere possimus, ne aut irrisione aut odio digni putemur, si aut tragoedias agamus in nugis aut convellere adoriamur, quae non possint commoveri. De or. 2, 43. 51.

Neque duo illa genera inter se semper discreta sunt, imo vero est quaedam in his difficilis ad distinguendum similitudo *).

*) Nam ex illa lenitate, qua conciliamur iis, qui audiunt, ad hanc vim acerrimam, qua eosdem excitamus, influat oportet aliquid; et ex hac vi nonnunquam animi aliquid inflammandum est (illi lenitati); neque est ulla temperatior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur; remissio autem lenitatis quadam gravitate et contentione firmatur. Ibid. 53.

421. Dividuntur animorum motus etiam ratione originis: alii enim appetitu boni oriuntur, ut amor, desiderium, spes et gaudium; alii aversatione mali, qui prioribus oppositi sunt, odium scilicet, fuga seu horror, metus et tristitia, ira quoque et miseratio.

Cum *amare* nihil sit aliud quam bene alicui velle, duplex est amantis motus, in illud nimirum, quod vult, atque in eum, cui vult (Ar. 2. 4). Quapropter is amicum vel Deum vere amat, qui bono illius haud secus vel magis etiam quam suo delectatur, et societate eius non propter emolumenta aliqua, sed propter ipsum amatum gaudet.

Geminum igitur amor gignit *desiderium*, boni videlicet ei, quem diligimus, consequendi, et maximis amicitiae vinculis cum eo nos iungendi. Sicut autem, quae nobis cupimus, ardenti studio prosequimur, ita verus in alios amor opere se prodat necesse est.

Ex iis, quae bona sunt, ad excitandum amorem prae ceteris valent, quae studiis et indoli eorum, qui movendi sunt, conveniunt. Qua de causa, ut ad ea alliciamus, quae, etsi per se optima, ab usu tamen plurimorum et opinione remota sunt, ut animi bona, caelestia et divina; haec cum iis, quae plerique honeste amant, coniuncta esse, quin etiam ceteris, quae ad bene beateque vivendum expeti solent, antecellere, tandem suapte natura amabilissima esse demonstrabimus.

Cicero pro Archia, c. 6-8.

Segneri. P. 38. n. 3. 4; P. 26. n. 9; P. 39. n. 10. 11.

Ut vero alicui amorem conciliemus, in eo inesse ostendemus, quae suspici merentur, sapientiam, integritatem morum, animi magnitudinem, liberalitatem, clementiam, omnem denique praeclaram virtutem; deinde ea, quae virtutis vel fructus vel quaedam quasi supellex sunt, doctrinam, artes, facundiam, morum suavitatem et gratiam. At nihil demum magis ad amandum amore movet: quocirca beneficia ab eo, quem diligi volumus, accepta commemorabimus, quo animo ea contulerit, quae nostra causa egerit, discrimina adierit, labores toleraverit, adversa pertulerit, monstrabimus.

Cicero pro Archia c. 11-12, pro Milone c. 29, 30.

Segneri. P. 2. n. 3. 14; P. 28. n. 13; P. 35. n. 19.

Spes, quae exspectatio boni a Tullio dicitur, a desiderio differt, quia per eam in bonum, quod non solum cupimus sed obtineri etiam posse credimus, movemur *). Qua de causa praeter ea, quae rem desiderabilem reddunt, auxilia in nobis aliisve posita, vires et opes sociorum, adversariorum impotentia, favor magnorum virorum, coelitum quoque et Dei ipsius ostendenda sunt. Multum etiam hoc loco valent exempla tum propria tum aliena.

Cicero Catil. II. c. 11. Virg. Aen. l. 1. v. 198 - 207.

Segneri. P. 32. n. 4.

*) Plurimum vero desiderium ipsum spe accenditur: vix enim desideramus, quae nos consequi posse diffidimus; quo autem certius re amata potituros esse remur, eo ardentius in illam ferimur.

Cum desiderio et spe connexa est *aemulatio*, qua bona, quibus alii praestant, imitatione assequi conamur. Quocirca propositis exemplis illustribus concitatur, eorum maxime, qui nobis civitate, sanguine vel necessitudine coniuncti, aut vitae conditione, aetate, fortuna similes fuerint.

Exempla vide supra n. 360.

Segneri. P. 32. n. 9.

Gaudium ex boni, quod adepti sumus, fruitione nascitur. Illud orator excitabit, si non modo utilitates, commoda, prosperitatis et gloriae incrementa enarrat, sed ipsam etiam laetitiam et exultationem depingit. Huc igitur pertinent populi concursus, triumphi pompa, supplicatio, acclamationes, ludi, encomia.

Cicero Cat. II. c. 1. Segneri. P. 10. n. 9.

422. Quoniam animorum motus, quorum causa malum est, iis, de quibus hactenus, oppositi sunt, contrariis quoque rebus cientur. *Odium* igitur et invidia conflatur non solum magnitudine incommodorum, quae facinorosi intulerunt, sed etiam et maxime malignitate, turpitudine, superbia, qua operati sunt.

Cicero pro Milone c. 27. 28. Philip. II. c. 27. Segneri. P. 28. n. 2. 3. 4.

Ad *fugam* vero et *horrorem* impellit oratio, quae tum rei ipsius dedecus et foeditatem, tum mala et aerumnas, quae illam consequuntur, ut pauperiem, infamiam, belli terrores, cruciatus, mortes et funera ob oculos ponit.

Livius. l. 23 c. 9 (n. 436). De Suppl. c. 62. Segneri. P. 16. n. 7.

Ut autem his ipsis rebus *timorem* incutiat orator, monstrabit, prope iam calamitatem imminere, neque ad eam propulsandam praesidia suppetere.

Cicero Catil. IV. c. 6. Segneri. Pr. 28. n. 11.

Metui opponitur *audacia*, quae hoc a spe discernitur, quod non tam ad bonum arduum adspirat, quam malum imminens, ut illud vincat, aggreditur. Ad eam excitandam valent praecipue necessitas luctandi, ne opprimamur, decus, gloria aliique victoriae fructus tanto dulciores futuri, quanto pugna asperior exstiterit.

Livius. l. 21. c. 43. Segneri. P. 3. n. 7; P. 26. n. 9. *Non siam.*

Tristitia animi molestia est, ex malo, quod praesens est vel creditur, enata. Ut eam excitet orator, quaecumque in re insunt dura et luctuosa, aperiet, et moesti animi sensus dicendo effinget.

Segneri. P. 28. n. 6

423. Ut invidia, vitium foedissimum, de bono alieno, ita amabilissima *misericordiae* virtus de malo alieno tristitia est. Ad hanc tanto quidem validius movemur, quo acerbior est calamitas, quam alius patitur; at mirum in modum crescit miseratio, si hic sorte meliori dignus, si nobis coniunctus, si beneficus, si nostra causa afflictus fuerit.

Cicero pro Milone: peroratio. Livius. l. 21. c. 26. Segneri. P. 9. n. 3. *Le pene;* P. 35. n. 1. *Ma oimè.*

Ira, quae est vindictae studium, tribus aliis ex affectibus erumpit, e tristitia de illata iniuria, e desiderio hanc ulciscendi, et spe, fore ut id exsequi possimus. Quare hic quoque affectus non sola magnitudine mali, quod quis patitur, sed multo magis personarum conditione succrescit Nam et iniuria atrocior et ulciscendi potestas promtior, quo vilior lacessivit et dignior offensus est.

Cicero pro lege Manil. c. 2. Segneri. P. 3. n. 11.

§ II.

QUAE IN TRACTANDIS ANIMORUM MOTIBUS OBSERVANDA

Quid maxime necessarium; quo fiat, ut ipsi moveamur; quid nihilominus servandum n. 424; quid de auditore n. 425; qua ratione tractandi, qui contrariis motibus aguntur n. 426.

424. Summa, ait Fabius (6, 2), circa movendos affectus in hoc posita est, ut moveamur ipsi. Et

Cicero de se fatetur: In concitandis motibus nulla me ingenii, sed magna vis animi inflammat, ut me ipse non teneam. Nec unquam is, qui audiret, incenderetur, nisi ardens ad eum perveniret oratio *). Or. 38.

*) Tres autem huius rei causas affert Quintilianus: 1. Omnis in hoc genere imitatio (i. e. simulatio) ridicula fuerit. 2. Veri affectus, ut luctus et ira, indoctos etiam saepe faciunt eloquentes. 3. Denique non incendit, nisi ignis, nec madescimus, nisi humore. In eandem sententiam pulcherrime disputat Cicero de or 2, 45 et 46.

Ut vero afficiamur ipsi, omnis quidem acris cogitatio facit, sed plurimam ad hoc vim habent illae, quae vocantur *visiones*, per quas imagines rerum absentium ita repraesentantur animo, ut eas cernere oculis ac praesentes habere videamur*). Has quisquis bene conceperit, is erit in affectibus potentissimus. Qt. 6, 2.

*) Ut hominem occisum querar; non omnia quae in re praesenti accidisse credibile est, in oculis habeo? non percussor ille subitus erumpet? non expavescet circumventus? exclamabit? vel rogabit? vel fugiet? non ferientem, non concidentem videbo? non animo sanguis et pallor et gemitus, extremus denique exspirantis hiatus insidet? Insequetur ἐνάργεια, quae a Cicerone *illustratio* et *evidentia* nominatur, quae non tam dicere videtur, quam ostendere; et affectus non aliter, quam si rebus ipsis intersimus, sequentur. An non ex his visionibus illa sunt:

Excussi manibus radii, revolutaque pensa: Aen. 9, 476.

et — *Levique patens in pectore vulnus;* ib. 11, 40.

et equus ille in funere Pallantis,

— *positis insignibus...*
It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora. Ib. 11, 89,

Sic autem animi impetum sui orator in dicendo

sequetur, ut inter medios hos motus et visiones iudicium in mente, velut quietus in puppi gubernator, resideat, vigilans et regens omnia, ut nec ipsa verba aut gestus sine consilio prodeant *).

*) Si enim orator vel motuum aestu vel mentis agitatione abreptus, et sui quasi impos coeperit tumultuari; et satietatem pariet, et decori rationes negliget, et in se ipse nunc miserationem nunc contemptum movebit.

425. Magna deinde cura opus est, ut haec pars orationis ad illorum qui audiunt cum naturam et conditionem *), tum maxime praesentem affectionem accommodetur **).

*) Non omne genus hominum in eosdem motus pronum aut lentum est: quod fuse docet Aristoteles Rhet. 2, 2-20. Nobis satis fuerit monuisse, vitae usum et sui ipsius cognitionem ad hanc rem plurimum conferre.

**) Equidem cum aggredior ancipitem causam et gravem ad animos iudicum pertractandos; omni mente in cogitatione curaque versor, ut odorer, quam sagacissime possim, quid sentiant, quid existiment, quid exspectent, quid velint, quo deduci oratione facillime posse videantur. Si se dant, et sua sponte, quo impellimus, inclinant atque propendent, accipio quod datur, et ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do. Sin est integer quietusque iudex, plus est operis. Sunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adiuvante natura. Sed tantam vim habet illa, quae recte a bono poëta dicta est *flexanima atque omnium regina rerum*, oratio, ut non modo inclinantem excipere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere possit. De or. 2, 44.

426. Quod si, qui audit, non modo quietus, sed contra quam volumus affectus sit, plerumque insinuatione (n 370) opus erit. Primum igitur orator prae se ferat animum in audientes quam maxime benevolum, et principio quidem, quoad licet, iis consentire videatur. Paullatim deinde ad leniendos

motus delabens, nunc quidem relictis contrariis argumentis, sua proferet, ut odium misericordia, metum fiducia vincat; nunc recta adversarium adorietur, praesertim si fraus aliqua, vel repugnantia in dictis ostendi potest; interdum etiam vanam perturbationem risu explodet, sed id quidem circumspecte, ne irritet animos.

Lenitis iam motibus, qui adversi erant, cum audientes errorem suum agnoverint, animos iis saepe addere orator et ostendere debebit, quo pacto a coeptis desistere sine dedecore et damno possint.

Exempla: Cic. pro rege Deiot. perorat. Liv. l. 2. c. 40. l. 23. c. 9 (hic n. 436). Demosth. Phil. I. ab initio. S. Chrys. in Eutr. (n. 452).

§ III.

QUOMODO IPSA AMPLIFICATIO INSTITUENDA SIT

Quibus amplificatio differat ab argumentatione n. 427; quae eius sint genera n. 428; quomodo misceantur n. 429; quid de amplificatione verborum n. 430; quotuplex amplificatio rerum n. 431.

427. Amplificatio differt ab argumentatione, materia, fine et tractatione. *Materia:* nam argumentatio adhibetur ad res omnes, amplificatio vero nonnisi ad res magnas et graviores causas. *Fine:* proprium est enim argumentationi rem dubiam probare; amplificationi contra, re iam confirmata, voluntatem inflectere. *Tractatione:* nam ar-

gumentatio magis presse et argute proponit, ac sedate fertur instar amnis leniter fluentis; amplificatio vero fuse et graviter explicat, et pelagi in morem intumescit.

428. Genera autem amplificationis sunt duo, quorum licet utrumque orationem ampliorem faciat, alterum tamen rei gravitatem potissimum elocutione declarat, unde *amplificatio verborum* dicitur, alterum rerum congerie et pondere movet, quare *amplificatio rerum* appellatur.

1. Prius illud genus, quod graece αὔξησις vocatur, plus habet diffusionis et circuitus, atque rem unam eandemque per iustam commorationem variatis verbis, sententiis, figuris tractat.

Ibis tandem aliquando, quo te iampridem tua ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim tibi haec res affert dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Nunquam tu non modo otium, sed ne bellum quidem nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis, conflatam improborum manum. Hic tu qua laetitia perfruere? quibus gaudiis exultabis? quanta in voluptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam, neque videbis? Ad huius vitae studium meditati sunt illi, qui feruntur, labores tui; iacere humi non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum, vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis occisorum. Habes, ubi ostentes illam praeclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium, quibus te brevi tem-

pore confectum esse senties. Tantum profeci tum, cum te a consulatu repuli, ut exul potius tentare, quam consul vexare rempublicam posses: atque ut id, quod esset a te scelerate susceptum, latrocinium potius, quam bellum nominaretur. 1 Cat. 10.

Vide etiam in eadem oratione c. 7. Segneri. P. 28. n. 13. *Ah sì, sì.*

2. Alterum, quod δείνωσις dicitur, paucis saepe verbis rem in summam extollit magnitudinem, quae in re inclusa vel cum ea connexa sunt, conglobans.

Dura, medius fidius, mihi iam fortuna populi Romani et crudelis videbatur, quae tot annos illum in hanc rempublicam insultare videret et pateretur. Polluerat stupro sanctissimas religiones: senatus gravissima decreta perfregerat: pecunia se a iudidicibus palam redemerat: vexarat in tribunatu senatum: omnium ordinum consensu pro salute reipublicae gesta resciderat: me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos, coniugem meam vexaverat: Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat: magistratuum privatorumque caedes effecerat: domum mei fratris incenderat: vastarat Etruriam: multos sedibus ac fortunis eiecerat. Instabat, urgebat: capere eius amentiam civitas, Italia, provinciae, regna non poterant. Pro Mil. 32.

Vide alium praeclarissimum locum de suppl. c. 45. et hic. n. 456.

Segneri. P. 28. n. 14. *Deh potess'io*, n. 14. P. 3. n. 1.

429. Haec autem genera saepissime miscentur, cum res singulae, quibus constat δείνωσις, verbis etiam amplissimis fusius per αὔξησιν explicantur.

Pompeii virtutes imperatorias ita extollit Cicero: *Testis est Italia, quam ille ipse victor, L. Sulla, huius virtute et subsidio confessus est liberatam. Testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis non terrore belli, sed celeritate consilii explicavit. Testis est Africa, quae, magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit. Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum internecione patefactum est. Testis est Hispania, quae saepissime plurimos hostes ab hoc superatos prostratosque conspexit. Testis est iterum et saepius Italia, quae, cum servili bello tetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit; quod bellum exspectatione Pompeii attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum. Testes vero iam omnes orae, atque omnes exterae gentes ac nationes, denique maria omnia, cum universa, tum in singulis oris omnes sinus atque portus.* Pro lege. Man. 11.

Segneri. P. 24. n. 5. *Che non avea. — O che spettacoli.* P. 38. n. 8. *Se però.*

430. In verborum amplificationem paene omnia conveniunt, quae in parte prima de ornatu praecepta sunt. Illud vero in primis advertant adolescentes, amplificare non esse inani sono verborum instrepere, aut immodica superlatione rem ultra veritatem extollere, sed quae insunt in re, excellentiori quodam modo declarare.

431. Modos autem, quibus rerum amplificatio instituitur, plerique, Fabium (8, 4) sequentes, tradunt quatuor: congeriem, comparationem, incrementum, ratiocinationem.

Per *congeriem* fit amplificatio, cum argumenta

ex variis locis oratoriis conglobata, vehementiore et splendidiore modo, adhibitis nempe gravissimis figuris, exponimus *).

*) Huc ergo spectant conglobatae definitiones, consequentia, effectus, causae, adiuncta, enumerationes, quae praecipue figuris hypotyposis, prosopopeiae, interrogationis, subiectionis, exclamationis, praeteritionis et antithesis explicantur.

Amplificatio per *comparationem* dicitur, quoties res per collationem cum aliis extollitur *).

*) Itaque huc non solum referuntur comparationes, de quibus n, 349 diximus, sed omne etiam genus similium, dissimilium, contrariorum et exemplorum (V. n. 360).

Per *incrementum* fit amplificatio, cum ad maiora usque progreditur. Fit vel verbis vel sententiis (cf. n. 80), vel rebus et argumentis latius tractatis. Quo spectat notissimum illud: *Facinus est vincire civem romanum, scelus verberare, prope parricidium necare; quid dicam in crucem tollere?* De suppl. 66. Longius et luculentissimum exemplum habes in eodem libro de suppl. c. 44. 47.

Ratiocinatio dicitur, cum aliud augetur, ut aliud crescat. Vocatur autem ratiocinatio, quia in ea quoque aliud ex alio colligitur, quod proprium est ratiocinationi. —

Prosequitur Cicero laudes Pompeii: *Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit praesidium, ut tutus esset, aut tam fuit abditus, ut lateret? Quis navigavit, qui non se aut mortis aut servitutis periculo committeret, cum aut hyeme aut referto praedonum mari navigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam late divisum atque dispersum, quis unquam arbitraretur*

aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse? Quam provinciam tenuistis a praedonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui praesidio classibus vestris fuistis? quam multas exsistimatis insulas esse desertas? quam multas aut metu relictas, aut a praedonibus captas urbes esse sociorum? Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani, longe a domo bellare, et propugnaculis imperii sociorum fortunas, non sua tecta, defendere. Tum multis adiectis sic denique concludit: *Proh dii immortales! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus, tam brevi tempore, lucem afferre reipublicae potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nullam intra Oceani ostium praedonum navem esse audiatis?*

Segneri. *Paneg. del Nome di Gesù.* n. 5.

Ceterum hi quatuor modi in eodem saepe loco iunguntur. Qua de causa Quintilianus ipse singulorum exempla in hac una brevi amplificatione ostendit:

Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiae nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie. O rem, non modo visu foedam, sed etiam auditu! Si inter coenam, in ipsis tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In coetu vero populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum

et totum tribunal implevit. Sed hoc ipse fatetur esse in suis sordibus; veniamus ad splendida. 2 Phil. 25.

§ IV.

DE USU AMPLIFICATIONIS

Ubi adhibenda n. 432; quis modus tenendus tum in peroratione tum alibi n. 433; quid de subito motu n. 434; quae vitanda n. 435; quae amplificatio omnium validissima n. 436.

432. Amplificatio, quamquam habet proprium locum saepe primum, postremum quidem fere semper, tamen reliquo in cursu orationis adhibenda est, maximeque cum aliquid aut confirmatum est, aut reprehensum. Part. 8.

Neque vero assiliendum statim est ad hoc genus orationis *), nec cum in eam rationem ingressus sis, celeriter discedendum **).

*) Homines prius illud, quod proprium sui iudicii est, audire desiderant; itaque fides primum argumentatione facienda est, inter quam oratio ardescat paullatim, et velut clauculum ad motum conversa magis ac magis accendatur.

**) Non enim sicut argumentum, simul atque positum est, arripitur, alterumque et tertium poscitur, ita misericordiam, aut invidiam, aut iracundiam, simul atque intuleris, possis commovere. Argumentum enim ratio ipsa confirmat, quae simul atque emissa est, adhaerescit; illud autem genus orationis non cognitionem audientis, sed magis perturbationem requirit, quam consequi nisi multa et varia et copiosa oratione nemo potest. Accedit, quod si consecuti fuerimus uti illa ad propositum nostrum debemus. De or. 2, 53.

433. In eodem tamen motu, praesertim vene-

menti valde diu haerendum non est; quia et fatigabitur auditor, et ipsa facile oratio decrescet. Sic ergo nobis moderabimur:

1. *In peroratione* semper crescat oratio *), sed cum affectum ad summum perduxerimus, relinquamus, apte concludendo **)

*) Itaque cum in aliis, tum maxime in postrema parte debet crescere oratio; quia quidquid non adiicit prioribus, etiam detrahere videtur, et facile deficit affectus, qui descendit.

**) Sunt, qui maxime cum se proficere vident, finem dicendi facere nesciant, et sermonem immodice protrahentes, praeteritum quoque fructum orationis perdunt. Cum ad summum pervenerimus, paucis omnino concludendum; sed hoc est, quod orator praecipue providere animo, ac minime fortunae committere debet, quomodo concludat. Qt. 6. 1.

2. In *reliquo* vero *cursu orationis*, cum orator motum eo, quo voluit, perduxerit, nec nimis in eo moretur, nec inepte abrumpat, sed per alios leniores motus ad probationes redeat.

434. Si forte aliquis inter dicendum effulserit extemporalis calor, non superstitiose cogitatis demum est inhaerendum. Neque enim tantum habent curae, ut non sit dandus etiam fortunae locus (Qt. 10. 6). Et certe huiusmodi motus, quo magis est verus et naturalis, eo etiam facilius transfunditur in audientes *).

*) Ita tamen affectum animi orator sequatur, ut iisdem fere, quas tractavit, rebus insistat. Nova enim argumenta, quae subito occurrunt, et difficilius iudicantur, et dicentem, nisi sit magnae facultatis, perturbant.

435. Hoc etiam in omni amplificatione providendum, ut cum iam inflammari coeperit oratio.

abstrusa et erudita *), minuta quoque **) et exquisitum sermonis cultum vitemus ***).

*) In erudita oratione intentione ingenii animus refrigescit; itaque inter amplificandum non est nisi brevissime argumentandum.

**) Nec quidquam in amplificatione nimis enucleandum est: minuta est enim omnis diligentia; hic autem locus grandia requirit. Par. 17.

***) Quis ferat contra positis, et pariter cadentibus, et consimilibus irascentem, flentem, rogantem? cum in his rebus cura verborum deroget affectibus fidem: et ubicunque ars ostentatur, veritas abesse videatur. Qt. 9, 3.

436. Illa denique amplificatio ad vincendum vim maximam habet, quae plures motus, sed inter se convenientes, miscet. Talis enim oratio animum undique aggreditur, et quasi multiplicato impetu oppugnat. Porro convenientes inter se motus non illi solum putandi sunt, qui inter se similitudinem habent, ut ira et indignatio, sed quicunque in re, quam tractamus, simul nasci possunt, ut saepe metus simul et fiducia, misericordia in reum, ira in accusatorem, et vicissim. En tibi praeclarum exemplum:

Per ego te, fili, quaecumque iura liberos iungunt parentibus, precor quaesoque, ne ante oculos patris facere et pati omnia infanda velis. Paucae horae sunt, intra quas iurantes, per quidquid deorum est, dextras dextrae iungentes, fidem obstrinximus, ut sacratas fide manus, digressi ab colloquio, extemplo in eum armaremus? Ab hospitali mensa surgis, ad quam tertius Campanorum adhibitus es ab Hannibale, ut eam ipsam mensam cruentares hospitis sanguine? Hannibalem pater filio meo potui placare, filium Hannibali non possum? sed sit nihil sancti,

non fides, non religio, non pietas; audeantur infanda, si non perniciem nobis cum scelere afferunt. Unus aggressurus es Hannibalem? Quid illa turba tot liberorum servorumque? Quid in unum intenti omnium oculi? Quid tot dextrae? torpescentne in amentia illa? Vultus ipsius Hannibalis, quem armati exercitus sustinere nequeunt, quem horret populus Romanus, tu sustinebis? et alia auxilia desint, me ipsum ferire, corpus meum opponentem pro corpore Hannibalis, sustinebis? Atqui per meum pectus petendus ille tibi, transfingendus est. Deterreri hic sine te potius, quam illic vinci. Valeant preces apud te meae, sicut pro te hodie valuerunt. Liv. 23. 9,

Alia exempla habes de suppl. c. 62 et 63 — pro Mil. et Murena in perorat. — S. Chrysost. in Eutrop. — Demosth. Phil. I.

Segneri. P. 3. n. 10.

CAPUT VI.

DE CONFUTATIONE

437. Confutatio est pars orationis, in qua contrariae rationes refelluntur.

Art. I.

QUANDO ET UBI REFUTANDUM SIT

Num semper adhibenda refutatio n. 438; quae ante probationes, quae inter argumentandum, quae post confirmationem refutanda n. 439; quo ordine adversa argumenta tractanda n. 440.

438. Non semper adhibenda est refutatio. Saepe

enim per ea ipsa, quibus nostrum propositum confirmatur, argumenta adversa diluuntur; aut haec ignota sunt audientibus vel certe eos parum commovent. Quod quum acciderit, eo magis refutatione supersedendum, si, quae opponuntur, infirmari non possint nisi refutatione subtili vel auditori ingrata. Interdum contra refutatio non necessaria, utilis tamen fuerit sive ad causam explicandam, sive ad elevandam adversariorum fidem et auctoritatem.

439. Fit autem refutatio modo ante, modo inter, modo post confirmationem. *Ante* probationes facienda est, cum auditor contrariis rationibus ita captus est, ut argumentationi nostrae attentas et benevolas aures non sit praebiturus, aut cum nisi refutatis, quae obiiciuntur, argumenta nostra vim non habebunt. Utrumque accidit Ciceroni in causa Miloniana; nam et a iudicibus timor expellendus, et verus causae status demonstrandus erat.

Inter argumentandum adversaria, quae ex ipsa oratione et argumentis nostris nascuntur, refutabimus, quale est in eadem oratione pro Mil. *Cur igitur victus est? Quia non semper viator a latrone, nonnunquam etiam latro a viatore occiditur; quia quamquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros.* C. 21.

Eiusmodi refutatione saepe fit elegantissime transitio, ut: *At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriae, punitor doloris sui. Quid? si haec, non dico maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc: quid vultis amplius?* C. 13.

Quod si vero talis refutatio orationis cursum morari nimium videatur, indicata paucis difficultate, responsuros nos postea promittemus.

Post confirmationem ea refutabimus, quae non ex singulis argumentis nostris, sed aliunde deprompta adversus causam afferuntur, nec tamen eiusmodi sunt, quae necessario ante confirmationem dilui debeant *). V. pro lege Man. c. 17-24.

*) Hinc in universum praecipit Fabius: Si agimus, nostra confirmanda sunt primum: tum quae nostris opponuntur, refutanda; si respondemus, prius incipiendum est a refutatione. 5, 13.

440. Plerumque id, quod maxime ab adversariis iactatur aut gravissimum auditori esse videtur, primum elevandum est, ne hoc spectans auditor, reliquorum defensioni sit adversior. Attamen si huius defensio difficilior est, leviora, quae palam falsa sunt, prius tractantur, ut detracta iam adversariis fide, aggrediamur ultimum *).

*) Opus erit tamen praefatione, qua et ratio reddatur dilati argumenti et promittatur solutio; ne id, quod non statim diluemus, timere videamur. Qt. 7, 1.

Videndum etiam, num idem ordo servari possit in solvendo, quem adversarius tenuit in arguendo *); necnon, num refutatio unius argumenti viam sternat ad reliqua refellenda.

*) Confutatio, quae adversarii ordinem sequitur, et planior esse solet, et minime in suspicionem artificii venit.

Art. II.

DE VARIIS REFUTANDI MODIS

Quomodo refutemus negando n. 441; quomodo distinguendo n. 442; quomodo retorquendo n. 443; sintne alii modi refellendi n. 444; quae fraudes adhiberi soleant n. 445; quae in confutatione vitanda n. 446.

441. Tribus maxime modis refutare poterimus: negando, distinguendo, retorquendo.

Negamus vel rem ipsam quae obiicitur, vel probationem, vel denique consequentiam.

1. Si res ipsa negatur, afferenda sunt argumenta haud secus ac si confirmamus: quibus autem ex locis aliqua res confirmari potest, iisdem potest e locis infirmari (De inv 1. 42). Verres signa, quae a sacrario Heii Mamertini abstulerat, a se empta esse dixit. Negat Cicero: *Quid igitur nobis faciendum est? num argumentis utendum in re eiusmodi? quaerendum est, credo, Heius iste num aes alienum habuerit, num auctionem fecerit: si fecerit, num tanta difficultas eum rei nummariae tenuerit, tanta egestas, tanta vis oppresserit, ut sacrarium suum spoliaret, ut deos patrios venderet. Hominem video auctionem fecisse nullam: vendidisse, praeter fructus suos, nihil unquam; non modo in aere alieno nullo, sed in suis nummis multis esse, ac semper fuisse: si haec contra, ac dico, essent omnia tamen illum haec, quae tot annos in familia sacrarioque maiorum fuissent, venditurum non fuisse.* De sign. 6.

2. Probationem negamus, si ostendimus vel sine ulla probatione positum esse argumentum, vel dubia sumpta pro certis, vel denique vitium esse in argumentatione.

Exhaeredare pater filium cogitabat. Mitto quaerere, qua de causa; quaero, qui scias... Illum quidem voluisse exhaeredare, certe tu planum facere debes. Quid ergo affers, quare id factum putemus? Vere nihil potes dicere. Finge aliquid saltem commode, ut ne plane videaris id facere, quod aperte facis, huius miseri fortunis, et horum virorum talium dignitati illudere. Exhaeredare filium voluit. Quam ob causam? nescio. Exhaeredavitne? non. Quis prohibuit? cogitabat. Cogitabat? Cui dixit? nemini. Quid est aliud, iudicio ac legibus, ac maiestate vestra abuti ad quaestum atque ad libidinem, nisi hoc modo accusare atque id obiicere, quod planum facere non modo non possis, verum ne coneris quidem? Pro R. Amer. 19.

3. Consequentiam negamus, cum ex iis, quae adversarius affert, non effici, quod ipse velit, ostendimus.

Sed quid ego tam vehementer invehor? Verbo iam uno repellar. Emi, inquit. O dii immortales! praeclaram defensionem! mercatorem cum imperio ac securibus in provinciam misimus, qui omnia signa, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coemeret, nihil cuiquam relinqueret. Haec enim mihi ad omnia defensio patefieri videtur: emisse. Primum, si id, quod vis, tibi ego concedam, ut emeris, quoniam in toto hoc genere hac una defensione usurus es; quaero, cuiusmodi tu iudicia Romae putaris esse, si tibi hoc quemquam conces-

surum putasti, te in praetura atque imperio, tot res tam pretiosas, omnes denique res, quae alicuius pretii fuerint, tota ex provincia coemisse? De sign. 4.

Segneri. P. 22. n. 6; P. 31. n. 10; P. 33. n. 6.

442. *Distinguendo* refellimus, si quid veri, quod inest in argumento, concedimus, aliud tamquam falsum reiicimus; quod facit Cicero, licet tantum praetereundo:

At enim ne quid novi fiat contra exempla atque instituta maiorum. Non dicam hoc loco, maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse, semper ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodasse, etc. Pro lege Man. 20.

443. *Retorquemus* adversarii argumentum, cum contra ipsum vertimus.

Hoc teneo, hic haereo, iudices, hoc sum contentus uno: omitto ac negligo cetera: sua confessione induatur ac iuguletur necesse est. Qui esset, ignorabas? Speculatorem esse suspicabare? non quaero, qua suspicione; tua te accuso oratione: civem romanum se esse dicebat. De suppl. 64.

444. Sunt etiam alii refellendi modi. Nam saepe, missis iis, quae contra nos dicuntur, adversarium vel malae fidei, inscitiae, repugnantiae in dictis arguimus *); vel vicissim graviora obiiciendo lacessimus **); vel denique irridendo aut increpando repellimus ***)

*) Huius generis exemplum habes n. 408. (2).

**) S. Chrysostomus quaerentibus, cur non sint amplius, qui mortuos suscitent et aegrotos sanent: Cur non sunt hodie, inquit qui vitam praesentem despiciant? Mercede Deo servimus Hom. 8. ad Coloss. Vide etiam pro Mil. cap. 8.

***) Cicero pro Murena Catonis et Sulpicii auctoritati nihil fere

aliud, quam sales et facetias opposuit, ita ut iudicium totum risu dissolveretur, Catoque ipse subridens : « Dii boni, exclamaret, quam ridiculum Consulem habemus!» Alia exempla vide de or. 2, 54-72. Sed tamen hoc totum genus anceps est et periculosum; quo saepe etiam abutuntur ii, qui alia non habent, quae respondeant.

445. Saepe fraudulenti oratores, ut difficilem locum fugiant, securitatem simulantes, quae contra se dicuntur, leviter attingunt, sua vero magnifice exornant *); aut pollicentur alio in loco, ubi id commodius fieri possit, se responsuros, ut interea sensim sine sensu elabantur **); vel denique divellunt argumenta, ut quae coniuncte non possint, separatim infirment ***).

*) Antonius apud Ciceronem: Confiteor me, inquit, si quae premat res vehementius, ita cedere solere, ut non modo non abiecto, sed ne reiecto quidem scuto fugere videar; sed adhibere quandam in dicendo speciem, atque pompam, et pugnae similem fugam; consistere vero in meo praesidio sic, ut non fugiendi hostis, sed capiendi loci causa cessisse videar. Or. 2. 72.

**) Haec est fraus pessima, sed facilis ad detegendum.

***) Recte quidem ad singula, quae obiiciuntur, seorsum respondemus; sed sunt argumenta, quae ex ipsa coniunctione tantum vim habeant (n. 398).

446. Haec autem in refutando providenda sunt maxime: 1. Ne aut dissimulemus vim argumenti iis, qui audiunt optime cogniti, aut contra ita augeamus, ut responsio debilior videatur *). 2. Ne nos abiiciamus in genus dicendi humile et cavillatorium. 3. Ne adversariorum fraude a re controversa nos abduci sinamus **).

*) Saepe amplificari convenit obiecta, ut luculentior sit victoria; sed hoc non est faciendum, cum contraria argumenta speciem habent blandientem aut quasi caecantem, refutatio vero

captu est difficilis, et sua natura ieiunior. Maxime autem in genere sacro id semper orator efficere et debet et potest, ut nulla dubitatio, nullaque maneat suspicio falsitatis.

**) Studiose orator secum ipse disquirat, quantum ad eam rem, quae maxime quaeritur, infirmandam, quae opponuntur, valeant. Consueverunt enim dolosi ea agitare maxime, quae ad rem non pertinent.

CAPUT VII.

DE PERORATIONE

(Qt. 6, 1)

Quid sit, et quae eius partes; enumeratio quando et quomodo facienda n. 447; num in fine tantum, an aliis quoque locis instituenda n. 448; quid de amplificatione; num haec semper vehemens; quae in eo potissimum dicenda n. 449.

447. Peroratio est extrema orationis pars, in qua id, quod tota oratione expetebat orator, maiori vehementia evincere et obtinere contendit. Haec igitur omni studio excolenda est, quod, quae in ea dicuntur, mentibus auditorum adhaerescunt, et res plerumque exitu et fine aestimantur. Qt.

Partes perorationis sunt enumeratio, et amplificatio.

Enumeratio rerum, quae tractatae sunt, pressa repetitione totam simul causam ponit ante oculos. Huius ipsa tempora duo sunt, si aut memoriae diffidas eorum, apud quos agas; aut frequentatis firmamentis orationis, et breviter expositis, vim est habitura causa maiorem. Quam ob rem non semper est adhibenda; nonnumquam quidem lauda-

tori, suasori non saepe, accusatori saepius, quam reo. Part. 17.

Neque vero omnia minima repetat, sed pondera rerum ipsa comprehendat, eaque brevissime reddat, ut, quod graeco vocabulo (ἀνακεφαλαίωσις) patet, decurrat per capita; nam si morabitur non iam enumeratio, sed altera quasi fiet oratio. Cic. ibid. et Qt.

Nihilominus quae enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda sunt, et aptis excitanda sententiis, et figuris utique varianda; alioqui nihil est odiosius recta illa repetitione *).

*) Optime in Verrem Cicero: *Ipse Pater* (5, 52), aut cum idem in eundem, *per invocationem deorum spoliata a praetore templa* dinumerat (5, 72). Licet et dubitare, num quid nos fugerit; et quid responsuri sint adversarii his et his; aut quam spem accusator habeat, omnibus ita defensis. Illa vero iucundissima, si contingat aliquod ex adversario ducere argumentum, ut si dicas: *Reliquit hanc partem causae*, aut *invidia premere maluit*, aut *ad preces confugit*; et *merito, cum sciret haec et haec*. Sed non sunt singulae species persequendae, ne sola videantur, quae forte nunc dixero; cum occasiones, et ex causis, et ex dictis adversariorum, et ex quibusdam fortuitis quoque oriantur. Qt.

448. Etiam in aliis partibus actionis, si multiplex causa sit, et pluribus argumentis defensa viriliter, ἀνακεφαλαίωσις fieri solet (Qt.). Ita Cicero ante narrationem enumerat, quae ad confutandos adversarios tractavit:

Quamobrem, iudices, ut aliquando ad causam crimenque veniamus, si neque omnis confessio facti est inusitata; neque de causa quidquam nostra aliter, ac nos vellemus, a senatu iudicatum est; et lator ipse legis, cum esset controversia nulla facti, iuris tamen disceptationem esse voluit; et delecti iudices,

isque praepositus quaestioni, qui haec iuste sapienterque disceptet: reliquum est, iudices, ut nihil iam aliud quaerere debeatis, nisi, uter utri insidias fecerit. Pro Mil. 9.

Et rursum in media confirmatione c. 19. *Video adhuc constare omnia.* In peroratione autem enumerationem non facit.

449. *Amplificatio*, etsi aliis quoque in partibus adhibetur, in peroratione tamen velut sedem propriam obtinet. Quare: Hic, si usquam, ait Fabius (6, 1), totos eloquentiae aperire fontes licet. Nam si bene diximus reliqua, possidemus iam iudicum animos: et, confragosis atque asperis evecti, tuto pandere possumus vela.

Etiamsi vero animorum motu aliquo terminanda fere sit omnis oratio; diligenter tamen, qualis motus causae conveniat, circumspiciendum est. Sunt enim et illi leniores epilogi, in quibus non affectus, sed mores tractantur: ut cum adversario satisfacimus, aut amice aliquid commonemus, aut ad concordiam aliasve virtutes hortamur, quod praecipue in deliberatione et eloquentia sacra non raro contingit.

De instituenda autem amplificatione, ad ea, quae ante dicta sunt, brevissimum hoc praeceptum adiicitur, ut scilicet totas causae suae vires orator ante oculos ponat; et cum viderit, quae sint in rebus gravissima, ea dicat, quibus, si auditor esset, ipse maxime commoveretur. Qt.

De cetero amplificatio cum enumeratione persaepe optime coniungitur, ut exempla, quae paulo ante ex actione de suppliciis attuli, demonstrant.

CAPUT VIII.

DE SYNOPSI ORATIONIS

Quid sit; quae eius genera n. 450; qua ratione componenda n. 451; semperne adhibenda n. 452

450. Synopsis dicitur brevis totius orationis adumbratio. Itaque praecipua momenta per partes orationis distributa exhibet, nihilque est aliud, quam ipsa dispositio orationis presse enuntiata.

Tria genera distinguuntur, prout res dicendae plus minusve explicate notantur.

I. In *prima* summa tantum capita ponuntur hunc in modum:

ORATIO PRO LEGE MANILIA

Exordium: Ab adiunctis rostrorum, ex quibus Cicero nunc primum dicit.

Narratio: Exponitur status belli Mithridatici.

Propositio: Bellum Mithridaticum acriter gerendum et Cn. Pompeio committendum est.

Confirmatio. Pars prima: quia hoc bellum 1) genere ipso necessarium, 2) magnitudine periculosum est. *Altera pars:* quia in Cn. Pompeio omnia reperiuntur, quae in summo imperatore inesse debent.

Confutatio 1. Hortensii argumentum: uni omnia non esse tribuenda, nuper iam eventus refutavit. 2. Catuli ratio, nihil esse agendum contra mores et instituta maiorum, non in omni rerum conditione tenenda est.

Peroratio: Laus et exhortatio Manilii, Ciceronis studium in hac lege tuenda.

II. *Secunda* res et argumenta, quibus ea, quae in prima notata sunt, sive probantur, sive exponuntur, adiungit, ut:

Confirmatio. Pars prima: Bellum I) genere ipso necessarium: nam in eo agitur 1) gloria populi romani, 2) salus sociorum, 3) aguntur vectigalia maxima, et 4) bona multorum civium.

Pars altera: In Cn. Pompeio omnia inveniuntur, quae in summo imperatore inesse oportet: 1) scientia rei militaris, 2) virtus, 3) auctoritas, 4) felicitas

III. *Tertia* denique paene res singulas attingit, notato etiam interdum argumentationis et amplificationis genere necnon eloquendi figuris, ut:

Bellum est I. genere ipso necessarium, quia in eo 1) agitur gloria populi romani. — Nam Mithridates nece civium romanorum summam iniuriam intulit nomini romano; ampl. ex adiunctis — nec tamen poenam dignam suscepit, imo imminet provinciis populi romani, et cum ipsis hostibus societatem inivit; — ergo agitur gloria populi romani. — Atqui maiores ob multo leviores iniurias bella magna gesserunt; ergo — Amplif. per opposita —

Et ex parte secunda: In Cneo Pompeio est I. scientia rei militaris summa; nam 1) a prima iuventute (comparatio cum aliis ducibus — antitheses), — et 2) in omni genere bellorum cum summa laude versatus est. — II. Virtus 1) illa, quae vulgo imperatoria existimatur, ostenditur *a*) enumeratione victoriarum, *b*) amplificatione victoriae de praedonibus relatae, ab anteced., conseq. et adiun-

ctis; — 2) eae virtutes, quae praeterea ut illius comites et administrae requiruntur, innocentia, etc.

Schol. Hunc in modum praestantium virorum opera paucis contrahere perutile est sive ad explorandam illorum artem sive ad nos in proprio labore dirigendos. Ab hac enim synopsi *orationis factae* synopsis *orationis faciendae* internoscenda est. Etsi enim haec per se ipsa, postquam scilicet composita est, nihil ab illa differt, differt tamen plurimum operatio mentis in ea componenda. Nam in priore nullus est inveniendi et disponendi labor, sed tantum constringendi et argumenta distinguendi: contra in posteriore constringendi quidem studium est nullum, inveniendi vero et ordinandi maximum.

451. Cum igitur orationis tibi forma concipienda est, ante omnia considera, quae oratori primum constituenda esse dixi (n. 317). Mox interroga te ipse, cur verum sit, quod propositio enuntiat, e. c. *ad consequendam facultatem dicendi exquisita diligentia opus esse*. Atque hic erit locorum oratoriorum usus, inprimis eorum, qui in rei ipsius natura et coniunctis constituti sunt. Sic e definitione eloquentiae erues, quam arduus sit finis propositus; ex genere autem et specie argumentaberis: si omnis ars diligentiam multam, plurimam certe illa requirit, quae regina artium dicitur; percurres deinde eloquentiae partes, inventionem dico, dispositionem, elocutionem, memoriam, actionem, et facile patebit, nisi se diligentissime exercuerit, in his versatum esse posse neminem. Notatis iam praecipuis rationum momentis, quae rudem quamdam orationis imaginem praebent, singula secundo labore expende et scrutare, ut videas, et quid quodvis in se contineat et qua id ratione promi atque illustrari possit: ubi reliquorum locorum, similitudinum, contrariorum, exemplorum

usus erit. — Quo meditandi labore peracto de numero et ordine argumentorum ex regulis (n. 364, 393, seqq.) traditis statue; vide etiam, in quibus morandum, quae brevius absolvenda, et qua ratione inter se apte necti queant (n. 122, seqq.). Quae omnia si scribantur, plenior habebitur totius futurae orationis descriptio *).

*) Hanc conficiendae synopsis exercitationem discentibus non utilem modo, sed etiam necessariam esse, ambigi non potest; sed quaeri solet, an oratori ipsi semper praevius hic labor assumendus sit, cui equidem quaestioni paucis respondeo:

452. Ne caeco in dicendo impetu feramur, summa totius orationis cogitatione acerrima semper complectenda est; eaque tum etiam ut litteris mandetur, rectissime suadent, cum forte ipsa oratio non scribitur.

Schol. 1. Neque vero ad huiuscemodi rationem revocari orationes omnes eodem modo possunt. Plerumque scilicet omnia, quae dicuntur, hoc inter se cohaerent, quod singula tractantur ut argumenta, quibus proposita quaepiam sententia demonstretur. Sed contingit, maxime cum dura est ipsa propositio, ut orator non sumat sibi unam sententiam toto orationis cursu probandam, sed potius vario rerum genere audientium mentes pertractet, donec tandem id, quod sibi proposuit, aggredi directo audeat. Talis est oratio S. Chrys. in Eutrop. Propositum erat efficere, ne populus ulcisceretur Eutropium, et adeo veniam ei ab imperatore flagitaret; neque vero, nisi quae ultimo loco dicta sunt, tanquam argumenta, quibus talis propositio probetur, considerari possunt; sed quae vir eloquentissimus de vanitate rerum humanarum, de commutatione fortunae etc. praemisit; haec nimirum mirifice animos ira concitatos emolliere, et ad propositionem aequis auribus excipiendam paraverunt. Adeo verum est, a fine maxime pendere, ut una sit et simplex oratio. Hic tamen modus dicendi longe difficillimus est.

Schol. 2. Qui magna dicendi facultate, et animorum summa cognitione praediti sunt, nonnunquam inter orandum dispositionem feliciter mutaverint; sed minus peritis id erit pericu-

losissimum. — Dispositio scilicet tota semper accommodanda est auditorum prudentiae et affectui. Iam vero, quam quodvis argumentum vim sit habiturum, non semper accuratissime praevidetur. Itaque summus ille orator cum alios, quam exspectaverat, motus in iis, qui audiunt, animadvertit; res alias brevius, latius alias dicet, alias omittet, aliarum ordinem convertet; haud secus atque imperator aciem aliter et aliter inter praeliandum disponit. — Sed qui minus fuerint huius artis periti, et in iudicandis auditoribus saepissime falluntur, et mutanda dispositione perturbari solent.

Liber tertius

DE ELOCUTIONE, MEMORIA ET PRONUNTIATIONE

CAPUT I.

DE ELOCUTIONE

453. Elocutio est idoneorum verborum et sententiarum ad res inventas accommodatio (De inv. 1. 7). Hanc maxime requiri, hac una oratorem excellere, nomen ipsum indicat; siquidem et graece ab eloquendo ῥήτωρ et latine *eloquens* dictus est. Ceterarum enim rerum, quae sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vindicat; dicendi autem, id est, eloquendi maxima vis soli huic conceditur*). Or. 19.

*) Quod tamen non ideo a nobis commemoratur, ut eloquentiae studiosi, omissa rerum, qui nervi sunt in causis, diligentia, quodam inani circa voces studio senescant; sed ut rebus sollicite inventis, prudenterque dispositis aliam eamque non minus necessariam quam difficilem superesse partem sciant. Mentis enim concepta nisi apto sermone prompta et ad audientes prolata fuerint, supervacua procul dubio, et gladio intra vaginam haerenti similia sunt (Qt. 8. Prooem.). — Quapropter huius partis praecepta a magistris eloquentiae praecipua

cura exponi consuevere, nec fere in alia magis ipse M. Tullius elaboravit. Nobis tamen, qui stili doctrinam in parte prima tradidimus, hoc loco id solum restat, ut de virtutibus dicendi, quas inibi exsecuti sumus, nonnulla in oratoris usum notemus, atque de numeris, qui oratorii dicuntur, paullo accuratius agamus.

Art. I.

DE VIRTUTIBUS DICENDI GENERATIM

Quid de perspicuitate n. 454; quid de ornatu ab oratore usurpando n. 455; quid de brevitate; quando et quomodo idem pluries dici expediat n. 456; quae oratio popularis n. 457; quae rudibus obscura esse soleant; quae verba vitanda n. 458; quid postremo in omni elocutione servandum n. 459.

454. Omnia, quae de *perspicuitate* rerum et verborum tradita sunt, orator praecipuo quodam studio servare debebit, quippe cui non ut intelligere possit, qui audit, sed ne omnino non possit intelligere curandum sit *).

*) Etenim non semper tam est acris audientis intentio, ut obscuritatem apud se ipse discutiat, et tenebris orationis inferat quoddam intelligentiae suae lumen; sed multis frequenter cogitationibus avocatur; nisi tam clara fuerint, quae dicemus, ut in animum eius oratio, ut sol in oculos, etiamsi in eam non intendatur, incurrat. Qt. 8, 3.

455. *Ornatus* non in amplificatione tantum, sed in ipsis quoque probationibus, prout res permiserit, frequenter usurpandus. Sed hic ornatus virilis et fortis et sanctus sit, nec effeminatam laevitatem, et fuco ementitum colorem amet; sanguine et viribus niteat. Qt. 8. 3.

Belle hoc loco Fabius in eam sententiam disputat, veram speciem nunquam ab utilitate dividi (Cf. n. 4.). Qui alibi: Ne iis quidem, ait, consentio, qui semper argumenta sermone puro, dilucido et distincto, caeterum minime lato ornatoque putant esse dicenda. Namque ea distincta quidem ac perspicua debere esse confiteor; in rebus vero minoribus etiam sermone et verbis quam maxime propriis et ex usu. At, si maior erit materia, nullum ornatum iis, qui modo non obscuret, subtrahendum puto. Nam et saepe plurimum lucis affert ipsa translatio; quoque quid est natura magis asperum, hoc pluribus condiendum voluptatibus. Nisi forte existimamus Ciceronem male in hac ipsa argumentatione dixisse, *silere leges inter arma* et *gladium nobis interdum ab ipsis porrigi legibus :* his tamen habendus modus, ut sint ornamento, non impedimento. 5. 14.

456. *Brevitas* licet multis in partibus diligenter quaerenda sit, generatim tamen copiosa, quam praecisa dictio oratori est utilior. Quare Fabius: Neque sallustiana, inquit, brevitas, qua nihil apud aures vacuas et eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus iudicem, et saepius ineruditum, captanda nobis est (10, 1). Quapropter orator saepe sententiam non modo uberius, quam in scriptione necesse fuerit, explicabit, sed non raro etiam idem pluries dicere debebit. Qua tamen in re haec duo servabit: 1. ut loco id faciat, in re scilicet ad intelligendum difficili, vel ad commovendum gravi; 2. ut cum pluries dicit idem, ne dicat eodem modo. Imitandi sunt summi oratores, qui rem eandem nunc propriis nunc translatis verbis enuntiant; nunc exemplo vel simili tractant; nunc effantur in universum, nunc in certa rerum genera accommodant. — Vide apud Ciceronem Cat. II. c. 1.

Βοὺλομαί τοίνυν ὑμᾶς μετὰ παῤῥησίας ἐζετάσαι τὰ παρόντα πρανματα τῆ πόλει, και σκέψασθαι, τι ποιοῦμεν αυτοὶ νυν, καὶ

ὅπως χρώμεθ' αὐτοῖς· ἡμεῖς οὔτε χρήματα εἰσφέρειν βουλόμεθα, οὔτε αὐτοὶ στρατεύεσθαι τολμῶμεν, οὔτε τῶν κοινῶν ἀπέχεσθαι δυνάμεθα, οὔτε τὰς συντάξεις Διοπείθει δίδομεν, οὔθ' ὅσ' ἂν αὐτὸς αὑτῷ πορίσηται, ἐπαινοῦμεν· ἀλλὰ βασκαίνομεν καὶ σκοποῦμεν, πόθεν καὶ τί μέλλει ποιεῖν, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, οὔτ' ἐπειδήπερ οὕτως ἔχομεν, τὰ ἡμέτερ' αὐτῶν πράττειν ἐθέλομεν· ἀλλ' ἐν μὲν τοῖς λόγοις τοὺς τῆς πόλεως λέγοντας ἄξια ἐπαινοῦμεν ἐν δὲ τοῖς ἔργοις, τοῖς ἐναντιουμένοις τούτοις συναγωνιζόμεθα. ὑμεῖς μέντοι εἰώθατε ἑκάστοτε τὸν παριόντα ἐρωτᾶν, τί οὖν χρὴ ποιεῖν; ἐγὼ δ' ὑμᾶς ἐρωτῆσαι βούλομαι, τί οὖν χρὴ λέγειν; εἰ γὰρ μήτε εἰσοίσετε, μήτε αὐτοὶ στρατεύσεσθε, μήτε τῶν κοινῶν ἀφέξεσθε, μήτε τὰς συντάξεις Διωπείθει δώσετε, μήτε, ὅσ' ἂν αὐτὸς αὑτῷ πορίσηται, ἐάσετε μήτε, τὰ ὑμέτερ' αὐτῶν πράττειν ἐθελήσετε, οὐκ ἔχω τί λεγω.

De Chers. post exord.

457. Ea etiam, quae de apto dicendi genere traduntur, oratori prae ceteris commendari liquet. Huc autem vel maxime pertinet, ut oratio sit *popularis* h. e. ad populi sensum et captum accommodata. Quae ratio dicendi non tam in materia, quam in sententiis et verbis, quibus tractatur materia, quaerenda est. Vix est enim argumentum, de quo apud populum agere sit utile, quin possit tractari accommodate ad popularem sensum.

Videndum igitur est: 1. ut optime intelligas, quae probatione vel expositione egeant (n. 409); 2. ut ea, quibus illustres vel confirmes, illo ex genere rerum assumas, quae optime cognitae sunt audientibus *).

*) Magna est ars, ad popularia se sensa demittere, et per ea audientes ad cognoscenda altiora sensim erigere. Quod qui efficere volet, pernoverit necesse est, quibus litteris erudit sint, qui audiunt; quae sermone quotidiano tracteut; quibns ducantur opinionibus, quas vivendi rationes teneant, etc.

458. Obscura rudibus esse solent, quae in universum enuntiantur, nisi sumpta fuerint de vita; et haec causa est, cur apud oratores frequentissimae sint enumerationes partium, effectuum, exemplorum. Sed haec ipsa et reliqua, quibus illustratur oratio, ut similitudines et comparationes, non eadem apud rusticos et urbanos, apud maritimos et ruricolas deligenda.

Vocabula minime popularia sunt: 1. multa ex peregrinis, vetustis et novis, quamvis forte inter doctos homines recepta; 2. exquisita ad ornatum, praesertim si multa sunt; 3. ea denique, quae abstracta vocantur. — In coniungendis autem verbis nihil magis apud rudes videndum, quam ut ne implexa sit compositio, et primarius sensus facillime noscatur.

459. Postremo permagni momenti est ad omnem virtutem dicendi, orationem paene semper ad eos, qui audiunt, esse conversam, quo perpetua quaedam sit cum iis communicatio et velut collocutio. Sic enim fiet, ut et audientes, quod sibi omnia dici sentiunt, intendant acrius faciliusque moveantur, et orator ipse dictionem ad auditoris prudentiam et affectum accommodet *)

*) Operae pretium facies, si mediocres oratores cum Cicerone et Demosthene contuleris. Illos non loqui dixeris ad praesentem auditorem, sed libellum scriptum nescio cui recitare: qui saepe etiam Deum antea et omnes Sanctos, templi muros, montes, nubes et colles compellant, quam vel semel ad ipsos audientes sermonem converterint. Contra apud hos oratores praestantissimos illa, quam dixi, cum audientibus collocutio, a scriptione toto genere dissimilis, vix unquam interrupta, apostrophae autem quam rarissimae.

Art. II.

DE NUMERO

Quid numerus n. 460; quid de verborum sono n. 461; quid de varietate in litteris, vocabulis et sententiis n. 462; quid de dimensione vocum n. 463; num definita de hoc praecepta n. 464; quid harmonia imitativa n. 465; quae de usu numerorum n. 466.

460. Numerus (sive numeri) proprie dicitur dimensio quaedam orationis illi suppar, qua versus efficiuntur. Sed saepe hoc nomen latius patet, ut omnia comprehendat, quibus fit oratio auditu iucunda. Porro haec suavitas quatuor potissimum rebus obtinetur: sono ipso verborum, varietate, vocum dimensione, qui numerus proprie vocatur, et illa, quam dicunt, harmonia imitativa.

461. Primum igitur legenda sunt verba sonantia et laevia *); asperitas autem fugienda, tum in verbis singulis, ut: *habeo istam ego perterricrepam*, tum praesertim in continuatis, ne scilicet coniunctio asperos habeat concursus ut: *rex Xerxes; ars studiorum*, aut disiunctos atque hiantes ut: *baccae aeneae amoenissimae impendebant* **). Or. 49. De part. 6. Neque tamen id ut crimen ingens expavescendum ac nescio, negligentia in hoc an sollicitudo sit peior ***). Qt. 9. 4.

*) Ut syllabae e litteris melius sonantibus clariores sunt, ita verba e syllabis magis vocalia, et quo plus quodque spiritus habet, auditu pulchrius. Qt. 8. 3.

**) Pessime vocales longae, quae easdem inter se litteras committunt, sonabunt: praecipuus tamen erit hiatus earum, quae cavo aut patulo maxime ore efferuntur; *viro optimo obtempera: sine sensu ullo humanitatis.* Qt. 9, 4.

***) Certe Demosthenes et Cicero modice respexerunt ad hanc partem (Qt. Ibid.). Quin etiam Cicero: Habet, inquit, ille tanquam hiatus et concursus vocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam negligentiam hominis de re magis, quam de verbis laborantis. Itaque vastiores quidem hiatus fere fugiamus, in reliquis vitandi mediocris sit cura. Or 23.

462. Quod iam ad varietatem pertinet, 1. vitabimus eiusdem vel persimilium litterarum nimiam assiduitatem. Consonantes eaedem maxime in exitu et in principio insuaves: *Doceas, quaeso, hos pueros omnes leges sanctiores servare.*

O Tite, tute Tati tibi tanta tyranne tulisti?
Enn.

vocales et in singulis verbis, ut: *verisimilitudinis;* et quibusdam interpositis; *Numquam, avare, quam dare sit dulce, cognoscis.* Ex his pessima, quae in exitu consonant: *Urnam manibus tenebat, et funus crudele flebat;* ubi etiam illa notanda: *Res mihi invisae visae.* Cf. Ad Her. 4, 12.

2. Monosyllaba plura male continuabuntur, ut: *Quae res quid et in te et in me sint illaturae damni, tu iam nunc scis.* Sed etiam brevium verborum ac nominum vitanda continuatio, et ex diverso quoque longorum; afferunt enim quandam dicendi tarditatem. Qt. 9, 4.

3. Iungendi verba quoniam tot sunt modi diversi, videndum omnino, ne per idem genus oratio procurrat diutius: quae est μονοτονία ingratissima. Attamen quoties res multas vel sententias, quae ad idem referuntur, conglobamus; eadem iungendi

ratio cum virtute servabitur; id quod maxime contingit in enumeratione partium et expolitione: *Repeto abs te, Verres, monumentum P. Africani; causam Siculorum, quam suscepi, relinquo; iudicium de pecuniis repetundis, ne sit hoc tempore; Segestanorum iniuriae negligantur; basis P Africani restituatur; nomen invictissimi imperatoris incidatur; signum pulcherrimum Carthagine captum reponatur.* De sign. 38. Vide alia 1 Cat. 4, 5 *).

*) Idem servatur in narratione vel descriptione, ut: *Praeterea magistratus eorum evocabat, optimum quemque et nobilissimum ad se arcessebat, circum omnia provinciae fora rapiebat, singillatim unicuique calamitati fore se denuntiabat; universam se funditus illam eversurum esse civitatem minabatur.* De sign. Cf. Aen. 2, 325-335; — in repetitione quoque eorum, quae dicta sunt, ut de suppl. c. 52; tandem, cum posita sententia generali plurimae ex ea conclusiones fiunt, vel contra ad aliquid probandum rationes congeruntur. V. pro leg. Man. c. 8.

463. Si iam numerus pro dimensione temporum, quae in oratione insunt, accipitur, similis ille quidem est metro poëtarum, sed eo longe liberior. Nam versus in oratione si efficitur, vitium est, et tamen eam coniunctionem sicuti versum numerose cadere et quadrare et perfici volumus *). De or. 3. 44.

*) Haec duo musici, qui erant quondam iidem poëtae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero et vocum modo delectatione vincerent aurium satietatem. Haec igitur duo, vocis dico moderationem et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati possit, a poëtica ad eloquentiam traducenda duxerunt. Ibid.

Orator igitur, cum vinxit modis et forma, relaxat et liberat immutatione ordinis, ut verba

neque alligata sint, quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta, ut vagentur (Ibid.) Sed hoc ut apertius declaretur, tria illa, quibus constat poetarum metrum, singillatim inspicienda sunt: pedes, versus, et versus eiusdem aut plurium in eodem carmine repetitio. In soluta igitur oratione 1. non sunt certi pedes definiti, sed omnes quasi permixti et confusi; neque tamen satis est, breves longasque syllabas, quocumque fiat modo, permisceri, verum ita iis temperanda est oratio, ut firmus quidam sit iucundusque vocum casus (cf. Or. 57). Talis est, ut exemplo utar, in hac periodo: *Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere.* Qui totus perit, si vel solus ordo verborum immutetur: *Te, Antoni, miror, non perhorrescere eorum exitus, quorum imitere facta.* 2. Multo quidem minus pedum numerus ordove ad efficiendum versum fixus est, et tamen sunt certa quaedam orationis intervalla et clausulae, non spiritu neque casu aut arbitrio, sed verborum et sententiarum modo interpunctae; rudis enim et indocta putanda est illa sine intervallis loquacitas perennis et profluens (De or. 3, 48, cf. n. 54). 3. Sed per haec intervalla etiam efficitur, ut orationis membra quandam ad se proportionem habeant; in quo est aliqua repetiti versus similitudo: *Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in iudicio impudentia valeret; non minus in causa cederet A. Caecina Sex. Aebulii impudentiae, quantum in vi facienda cessit audaciae.* Pro Caec. 1. V. etiam n. 43. 55. — At haec tam perfecta dimensio nec ubique in oratione adhibenda, nec usquam continuanda est longius.

464. Satis igitur iam liquet, quid sit in oratione numerosum, non tam certis disciplinae praeceptis, quam aurium quodam sensu iudicari. Aures enim vel animus aurium nuntio naturalem quandam in se continet vocum omnium dimensionem. Itaque et longiora et breviora iudicat, et perfecta et moderata semper exspectat. Mutila sentit quaedam et quasi decurtata, quibus, tamquam debito fraudetur, offenditur: productiora alia et quasi immoderatius excurrentia, quae magis etiam aspernantur aures *). Or. 53.

*) Quodsi quaeras, qui hoc aurium iudicium, quod Tullius superbissimum esse affirmat (Or. 44), comparetur, magna certe hac in re vis naturae, sed ipsa natura iuvanda exercitatione est. Itaque proderit optima quaeque non oculis tantum legendo percurrere, sed elata voce pronuntiare; eadem deinde pertubato verborum ordine describere, ac rursum componendo ordinem quaerere quam numerosissimum, inventum denique cum illo, qui primum fuerat, conferre.

465. Restat harmonia imitativa, sive numerus, qui rerum indolem imitando exprimit. Nam hoc etiam tum sono verborum, tum pedum aut intervallorum varietate consequimur. Itaque saepe in simplici verbo naturam rei sonus imitatur, ut *raucus*, *clangor*, *vagire*, *mugire*, *murmur*, *sibilare*, *fragor*, *pipire*, *tinnire;* alias idem fit in verbis pluribus concursu literarum. Praeterea quo quique pedes sunt temporibus pleniores longisque syllabis magis stabiles, hoc graviorem faciunt orationem, breves celerem et mobilem (Qt. 9, 4). Atque hinc est maxime, cur non externam modo rerum faciem et motum, sed ipsum quoque animi affectum numeri exprimant. Utrumque exempla, quae sequuntur, ostendunt:

Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes
Haud mora prosiluere suis: ferit aethera clamor.
Aen. 5, 139.

Οἷοι Τρώϊοι ἵπποι ἐπιστάμενοι πεδίοιο
Κραιπνὰ μάλ' ἔνθα καὶ ἔνθα διωκέμεν ἠδὲ φέβεσθαι. Il 5, 222.

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
Aen. 8, 596.

Ἀλλ' ὅτε μέλλοι
Ἄκρον ὑπερβαλέειν, τοτ' ἀποστρέψασκε κραταιΐς
Αὖτις ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής. Odyss. 11, 596.

Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa.
Georg. 1, 471.

Umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum:
Quam multa in foliis avium se millia condunt.
Georg. 4, 473.

Ergo aegre rastris terram rimantur. Georg. 3, 534.

Illi inter sese multa vi brachia tollunt. Georg. 4, 174.

Arrectaeque horrore comae et vox faucibus haesit.
Aen. 4, 380.

Et magnos membrorum artus, magna ossa lacer-
Exuit. Aen. 5, 422. *(tosque*

Cunctaeque profundum
Pontum aspectabant flentes. Ibid. 614.

Hic vasto rex Aeolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt. Aen. 1, 56.

Sed soluta etiam oratio hanc gratiam consequitur, ut:

Aderat ianitor carceris, carnifex praetoris, mors terrorque sociorum et civium, lictor Sestius, cui ex omni gemitu doloreque certa merces comparabatur. Ut adeas, tantum dabis; ut cibum tibi intro ferre liceat, tantum. Nemo recusabat. De suppl. 45.

Feriuntur securi. Laetaris tu in omnium gemitu et triumphas: testes avaritiae tuae gaudes esse sublatos. Errabas, Verres, et vehementer errabas, cum te maculas furtorum et flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare.

Ibid. 46.

Caedebatur virgis in medio foro Messanae civis Romanus, Iudices; cum interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi haec: Civis Romanus sum.

Ibid. 62.

Vide etiam supra n. 38: *Evolarat iam;* n. 73: *Tandem aliquando,* et n. 101: *Iacet ille nunc.*

466. Iam si de usu quaeras, sunt, qui numeros saltem in soluta oratione propter artem nimiam vel putidos *) vel certe difficiliores **) esse putent; at immerito: etenim orationem non suavem modo, sed robustam quoque reddunt, dummodo ne quaerantur sollicitius. Ac gratiam quidem numerorum qui non sentit, is nec dignus est, cui demonstretur. Sed quo est oratio per numeros rebus aptior, eo etiam fortior esse solet; quippe nec ipsius Demosthenis ita fulmina vibrarent, nisi numeris contorta ferrentur ***). Or. 26

*) Illum horridum sermonem, ut forte effluxerit, modo magis naturalem, modo etiam magis virilem esse contendunt. Qui si id

naturale esse dicunt, quod natura primum ortum et quale ante cultum fuit, tota haec ars orandi subvertetur: verum id est maxime naturale, quod fieri natura optime patitur (Qt. l. c.). Quare Cicero: Si inanibus verbis levibusque sententiis (numerose dicimus), iure (vituperant), sin probae res, lecta verba, quid est, cur claudicare aut insistere orationem malint, quam cum sententia pariter excurrere? Hic enim invidiosus numerus nihil affert aliud, nisi ut sit apte verbis comprehensa sententia. Or. 51 cf. 70.

**) Id autem bona disciplina exercitatis, qui et multa scripserint, et quaecumque etiam sine scripto dicerent, similia scriptorum effecerint, non erit difficillimum. Ante enim circumscribitur mente sententia, confestimque verba concurrunt, quae mens eadem, qua nihil est celerius, statim dimittit, ut suo quodque loco respondeat. Or. 59.

***) Quanto vehementior fluminum cursus est prono alveo ac nullas moras obiiciente, quam inter obstantia saxa fractis aquis ac reluctantibus; tanto quae connexa est et totis viribus fluit, fragosa atque interrupta melior oratio. Haec Fabius (l. c.), qui idem monet: Ne tamen nimis quaerantur. Totus enim hic locus non ideo a nobis tractatur, ut oratio, quae ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus ac perpendendis syllabis consenescat. Bene exercitatis sufficit modica attentio, nec propter numerorum gratiam res ipsae negligendae. Nam vel dure inter se commissa potiora sunt inutilibus. — Huc pertinent etiam, quae (n. 56) de periodi usu praecepta sunt.

CAPUT II

DE MEMORIA

(Qt. 11, 2)

Quae memoriae utilitas; quî excolatur n. 467; quae in ediscenda oratione iuvent n. 468; totane haec ad verbum memoriae mandanda n. 469.

467. Memoriae, quae dicitur rerum et verborum recordatio, cum in omni disciplina, tum maxime in hac oratoria incredibilis est vis et utilitas. Nam et thesaurus haec eloquentiae merito dicitur, et totus, de quo diximus adhuc, inanis

est labor, nisi ceterae partes hoc velut spiritu continentur. Qt. cf. De or. 2, 87.

Si vero quis unam maximamque a me artem memoriae quaerat, *exercitatio* est et *labor:* multa ediscere, multa cogitare et, si fieri potest, quotidie, potissimum est. *Nihil enim aeque vel augetur cura vel negligentia intercidit *).*

*) Quare et pueri statim quam plurima discant, et quaecunque aetas operam iuvandae studio memoriae dabit, devoret initio taedium illud et scripta et lecta saepius revolvendi. Quod ipsum hoc fieri potest levius, si pauca primum, et quae taedium non afferant, coeperimus ediscere; tum quotidie adiicere singulos versus, quorum accessio sensum incrementi non afferat. Qt.

Schol. Proponunt nonnulli hoc loco artificium quoddam memoriae, quod Simonides invenisse dicitur (Qt. et Cic. ll. cc. Ad Heren. 3, 16-24); quod quia duplici memoriae cura impedimento potius, quam praesidio fuerit, nos cum Quintiliano simpliciora tradamus.

468. Semper ad ea, quae scripsimus, memoriae mandanda multum valent apta rerum divisio et verborum numerosa compositio *).

*) Certa sunt enim, si modo recte disposuimus, prima ac secunda et deinceps; cohaeretque omnis rerum copulatio, ut ei nihil neque subtrahi sine manifesto intellectu, neque inseri possit. Etiam quae bene composita erunt, memoriam serie sua ducent: nam sicut facilius versus ediscimus, quam prosam orationem, ita prosam vinctam, quam dissolutam. Qt.

Praeterea si longior complectenda memoria fuerit oratio, 1. proderit per partes ediscere; quae tamen partes ne sint perexiguae, sed ut quisque finietur locus. 2. Nec erit inutile, initia notis seu imaginibus signare, quarum recordatio commoneat et quasi excitet memoriam. Imaginibus autem

utendum est, quales Cicero commendat, agentibus, acribus, illustribus, quae occurrere celeriterque percutere animum possint. 3. Illud etiam neminem non iuvabit, iisdem, quibus scripserit, chartis ediscere. Nam similis legenti velut oculis intuetur non paginas modo sed versus prope ipsos; et si litura aut adiectio aut mutatio interveniat, signa sunt quaedam, quae intuentes deerrare non possumus. 4. Optimum erit pronuntiare, quae memoriae mandamus. Quum enim tacite ediscimus, subeunt velut otiosum animum plerumque aliae cogitationes, propter quas excitandus est voce, ut duplici motu iuvetur memoria, dicendi et audiendi. Sed haec vox sit modica et magis murmur. 5. Nec sine causa suadent, tempore matutino aut ante somnum ediscere *).

*) Hic illud etiam notandum, minime fidelem esse paulo tardioribus ingeniis recentem memoriam. Mirum dictu est, nec in promptu ratio, quantum nox interposita afferat firmitatis; quae statim referri non poterant, contexuntur postero die; confirmatque memoriam idem illud tempus, quod esse in causa solet oblivionis. Qu.

469. Quod denique quaerunt, utrum ad verbum sit ediscendum dicturis, an vim modo rerum atque ordinem complecti satis sit: de hoc sine dubio non potest in universum pronuntiari. Nam si memoria suffragetur, tempus non desit, nulla me velim syllaba effugiat; alioquin etiam scribere sit supervacuum *). Si vero aut memoria natura durior erit, aut non suffragabitur tempus, etiam inutile erit ad omnia se verba alligare, cum oblivio unius eorum cuiuslibet, aut deformem haesitationem, aut etiam silentium inducat;

tutiusque multo, comprehensis animo rebus ipsis, libertatem sibi eloquendi relinquere. Qt.

CAPUT III.

DE PRONUNTIATIONE

(Qt. 11, 3. de Or. 3, 56-60)

Quid sit, et quantum valeat in dicendo n. 470; quae praestare debeat n. 471.

470. Pronuntiatio est vocis gestuumque pro rerum verborumque varietate apta conformatio: quare a Cicerone *quasi corporis quaedam eloquentia* dicitur. Duas igitur *partes* habet, vocem et gestum, quorum illa aures, haec oculos movet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus. Or. 17.

Schol. Pronuntiatio a plerisque *actio* dicitur; sed prius nomen a voce, sequens a gestu videtur accipere. Quapropter utraque appellatione indifferenter uti licet. Qt.

Actio autem in dicendo una dominatur; sine hac summus orator esse in numero nullo potest, mediocris hac instructus summos saepe superare (Cic.). Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, quum rogaretur, quid in dicendo esset primum, huic secundas, huic tertias, donec ab se quaeri desineret; ut eam videri posset non praecipuam, sed solam iudicasse *). Qt.

*) Cuius quidem rei si causa quaeratur, certe non tam refert, qualia sint, quae intra nosmetipsos composuimus, quam quomodo efferantur; nam ita quisque ut audit movetur. Porro cum valeant multum verba per se, et vox propriam vim adiiciat rebus, et gestus motusque significet aliquid; profecto perfectum quiddam fieri, cum omnia coierunt, necesse est (Qt). Adde quod multa saepe verba et sententiae acutae non acutorum hominum sensus praetervolant: actio, quae prae se motum animi fert, omnes movet (Cic.). Postremo hoc quasi sermone corporis tota vis verborum et sententiarum sensibus subiicitur; per sensus autem multo magis movetur animus, quam sola rerum intelligentia.

471. Tria autem praestare debet pronuntiatio, conciliet, persuadeat, moveat; quibus natura cohaeret, ut etiam delectet. *Conciliatio* fere aut commendatione morum, qui nescio quomodo ex voce etiam atque actione pellucent, aut orationis suavitate obtinetur; *persuadendi* vis affirmatione, quae interdum plus ipsis probationibus valet, fiducia igitur appareat et constantia. *Movendi* autem ratio aut in repraesentandis est aut imitandis affectibus. Qt. Sed ipsa quoque *perspicuitas* pronuntiatione et gestu maiorem in modum juvatur.

Art. I.

DE VOCE

472. Ad actionis usum atque laudem, ait Cicero, maximam sine dubio partem vox obtinet: quae primum est optanda nobis, deinde quaecumque erit, ea tuenda, cui equidem magnopere censeo serviendum. Quodsi quaeris, quemadmodum serviatur, exercitationi vocis praecepta, quae de

ratione pronuntiandi tradituri sumus, moderari debent *). Non alia est autem ratio pronuntiationis, quam ipsius orationis: nam emendata, dilucida, ornata et apta esse debet. Qt.

*) Illud modo non videtur hoc loco praetermittendum, quod, ut dixi ante, plurimis in rebus, quod maxime est utile, id nescio quo pacto etiam decet maxime. Nam ad vocem obtinendam nihil est utilius, quam crebra mutatio; nihil perniciosius, quam effusa sine intermissione contentio. Quid? ad aures nostras et actionis suavitatem quid est vicissitudine et varietate et commutatione aptius? Cic.

§ I.

DE PRONUNTIATIONE EMENDATA ET DILUCIDA

Quae pronuntiatio emendata; quibus fiat perspicua; quid sit articulatim loqui n. 473; quid distincte n. 474; quid de celeritate et tarditate n. 475.

473. Emendata erit pronuntiatio, si fuerit os facile, explanatum, iucundum, urbanum, id est, in quo nulla neque rusticitas neque peregrinitas resonet. Qt. cf. de or. 3, 12.

Perspicuam autem locutionem reddunt tria: si loquimur articulatim, si distincte, si nec festinanter nec tarde.

Articulatim loquitur, qui verba tota exigit, nec solum syllabas, sed litteras quoque omnes definite h. e. suo quamque sono effert *).

*) Verumtamen ut est necessaria verborum explanatio, ita omnes imputare, et velut adnumerare litteras, molestum et odiosum. Quare Cicero: Nolo, inquit, exprimi litteras putidius, nolo obscurari negligentius, nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata et quasi anhelata gravius. De or. 3, 11.

474. *Distincta* erit oratio, si et incipias, ubi oportet, et desinas. Nec tamen sufficit, hoc modo sententiae principium et finem monstrasse, sed 1. observandum etiam, quo loco sustinendus et quasi suspendendus sit sermo, quo deponendus *): 2. deinde in ipsis distinctionibus tempus alias brevius alias longius damus **). Qt.

*) Intra unius enim sententiae ambitum multae saepe morae faciendae, quibus sententia non exire, sed suspendi videatur. Interest ergo plurimum, ut id fiat loco. Quintilianus in prima periodo Aeneidis suspendi vocem vult post verba, *cano*, *ab oris*, *Italiam*, *profugus*. Post *littora* autem fit distinctio, quia inde alius incipit sensus. Dici non potest, quam turpiter saepe obscuretur, vel etiam mutetur sensus orationis, si inepta pronuntiatio aliter verba separat et iungit, quam sententiae ratio postulat.

**) Interest enim sermo finiatur, an sensus. Itaque illam distinctionem, *littora*, protinus altero spiritu insequar; cum illuc venero, *atque altae moenia Romae*, deponam, et morabor, et novum rursus exordium faciam. Quare etiam non idem tempus intervallis eiusdem periodi dabis (Qt.). — In his igitur plurimum iuvat recta *interpungendi* ratio: quippe quae intervalla et quo loco et quanta sint facienda, indicet. *Virtus autem distinguendi*, admonet Fabius, *fortasse sit parva, sine qua tamen esse nulla alia in agendo potest.*

475. Inter celeritatem tarditatemque loquendi medium quoddam tenendum esse constat. Nec enim volubilitate nimia confundenda, quae dicimus; qua et distinctio perit, et affectus, et nonnunquam etiam verba aliqua sui parte fraudantur. Cui contrarium est vitium nimiae tarditatis: nam et difficultatem inveniendi fatetur, et segnitia solvit animos, et, in quo est aliquid, temporibus praefinitis aquam perdit (1). Promptum sit os, non praeceps; moderatum, non lentum. Qt

(1) Oratoribus in iudicio certum ad dicendum tempus definiri solebat; utebantur autem veteres horologio aquario

§ II.

DE PRONUNTIATIONE ORNATA

Quibus rebus ornatus hic contineatur; unde locutio facilis n. 476; quomodo moderanda vox n. 477; quid monotonia; quid in mutanda voce cavendum n. 478; quid cantus; quomodo discentes exercendi n. 479; ad gravitatem pronuntiandi quae faciant n. 480; quid curandum maxime; quae ad hoc consequendum iuvent n. 481.

476. Ut ornata sit pronuntiatio, primum quidem facit ipsius vocis iucunditas; tum vero locutio facilis, moderata, varia et gravis.

Facilis est locutio ex ipsa pronuntiatione prompta et leni. Ne ergo litteras, syllabas, vocabula dure protrudas, aut quibusdam quasi tota pectoris mole incumbas; sed leniter, quantumvis plana et distincta, fluat oratio *). Cavendum etiam, ne spiritus crebro receptus concidat sententiam; nec eo usque trahatur, donec deficiat; neque diu, neque cum sono, neque omnino ut manifestum sit, recipiatur. Exercendus autem est, ut sit quam longissimus. Qt.

*) Cicero de Catulo: Suavitas vocis et *lenis appellatio litterarum* bene loquendi famam confecerat (Br. 74). Qua in re multum potest exercitatio. Demosthenes, quo facilius verba ore libero exprimeret, calculos lingua volvens dicere domi solebat. Qt.

477. Ad *moderandam* vocem mediis utamur sonis; qui cum augenda intentio est, excitandi, cum summittenda, sunt temperandi *).

*) Vox enim ima vim non habet, summa neque satis flecti, neque diutius ferre intentionem potest. Quare nunquam ultra vires urgenda est. Nam et suffocatur saepe, et maiore nisu minus clara est, et interim elisa in illum sonum erumpit, cui Graeci nomen a gallorum immaturo cantu dederunt κλωσμόν. Qt.

478. *Varianda* autem ita est pronuntiatio, ut vitatis vitiis, quae μονοτονία et cantus dicuntur, rebus et sententiis vocem accommodemus.

Μονοτονία est una quaedam spiritus ac soni intentio: quae quidem non modo in tota oratione, sed etiam in iisdem partibus, atque adeo in singulis sententiis *) vitiosa est. Ne igitur dicamus omnia clamose, quod insanum est; aut intra loquendi modum, quod motu caret; aut submisso murmure, quo etiam debilitatur omnis intentio. Nec iisdem tonis ordiamur, narremus, in motus exardescamus, nec eadem voce doleamus, irascamur, cohortemur.

*) In iisdem partibus iisdemque affectibus sint tamen quaedam non ita magnae vocis declinationes, prout aut verborum dignitas, aut sententiarum natura, aut depositio (in exitu sententiae), aut inceptio, aut transitus postulabit: ut qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, sine quo ne membris quidem suas lineas dedissent (1).

Mutanda tamen vox est, plerumque saltem, leniter et sensim, ne sermo subsultet imparibus spatiis ac sonis, miscens longa brevibus, gravia acutis, elata submissis, et inaequalitate horum omnium sicut pedum claudicet. Qt.

479. *Cantus* autem ille, qui reprehenditur, est

(1) Haec Quintilianus; qui deinde accuratissime ostendit, quomodo ex hoc praecepto prima orationis pro Mil. periodus sit pronuntianda.

flexio quaedam vocis per omnem orationem uno ferme tenore repetita *).

*) Sunt qui eadem flexione sensus omnes concludant, sunt qui eadem incipiant; alii quoties quidpiam maiori intentione proferunt, iisdem vocibus utuntur, qua cantatione nihil ingratius. Cicero vero cum pronuntiationem vocat cantum obscuriorem, illam vocis intelligit variationem, rebus animique motibus accommodatam, quae cum modulatione cantus ita fere conferri potest, ut numeri oratorii cum numeris musicis (n. 460).

Discentes, ut ad aptam hanc varietatem exerceantur, 1. eorum, quae pronuntiant, germanum sensum penitus pernoscant; 2. non statim grandiora illa et tragica arripiant, sed quotidianis potius apte pronuntiandis assuescant; 3. eas inprimis orationes ediscant, quae varias vocis inflexiones postulant.

480. Ut *gravis* sit pronuntiatio, primum in singulis sententiis vocabula, quibus maior est vis, vocis quadam intentione prae reliquis efferenda sunt. Idem igitur in pronuntiandis verbis, quod in collocandis servandum erit (n. 38) *).

*) Huic rei ut assuescant tirones, utile erit, per aliquod tempus in iis, quae ediscunt, huiusmodi verba diligenter quaerere et signis notare. Si dubii haerent, sententiam clara voce enuntient, modo hoc modo illud vocabulum tentandi causa elata voce proferentes. Ceterum haec maxime virtus cantu, quem dixi, plane excluditur: nec tamen ullum est vitium pronuntiandi aut frequens magis aut magis noxium, quippe quo tota eloquendi vis intereat, nec raro ipsa offuscetur perspicuitas.

Sequitur, ut similiter sententiae quaedam et toti interdum loci intentiori voce dicantur. Quod sua sponte servabit, qui tertium, quod summum est, praestiterit.

481. Curandum scilicet maxime, ut omnes animi motus, qui insunt in oratione, pronuntiandi ratio exprimat. Omnis enim motus animi suum quemdam a natura habet vultum et sonum et gestum; totumque corpus hominis, et eius omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae. Cic.

Schol. Quae autem voces diversis animi motibus respondeant, singillatim anquirere non vacat. Nam etiamsi oratione explicari possint, qui tamen illas natura et exercitatione non didicerit, multo minus praeceptis discet. Breviter de iis agunt Cicero et Quintilianus ll. cc

Interim ad id consequendum duo iuvabunt: 1. observare homines vero quolibet affectu concitatos. Neque tamen omnia, quae in obvio quovis notaveris, imitanda tibi esse existimes. Aliter enim homo rudis et agrestis, aliter moratus et urbanus eosdem animi motus prae se fert; et quae homini dolore vel iracundia impoti indulgentur, saepe in oratore insigniter notantur. 2. Conari, ut ipsi afficiamur, et ardescenti motui quadam mentis libertate nos permittere (Vide tamen n. 424 extr.).

Schol. Quae sit *apta* pronuntiatio, paulum differam, ut de gestu prius dicam, qui et ipse voci consentit, et animo cum ea simul paret.

Art. II.

DE GESTU

Gestus est totius corporis motus et conformatio.

—

§ I.

DE GESTU GENERATIM

Quid de gestu in universum; quae de capite singillatim praecipiantur n. 482; quae de vultu et oculis n. 483; quae de brachiis n. 484; qui manuum gestus; quae in his servanda n. 485; quae in corpore toto n. 486.

482. De gestu in universum praecipitur, ut orationi consentiens, rerum atque verborum vim apta quadam significatione ostendat, cum dignitate tamen et decore. Singillatim autem haec traduntur:

Caput, quod est praecipuum in actione, sicut in corpore ipso 1. rectum sit et secundum naturam. Nam et deiecto humilitas et supino arrogantia et in latus inclinato languor, et praeduro ac rigente barbaria quaedam mentis ostenditur. 2. Accipiat aptos ex ipsa actione motus, ut cum gestu concordet, et manibus ac lateribus obsequatur. 3. At solo capite facere gestum, vitiosum est. 4. Etiam frequens eius nutus non caret vitio: iactare autem caput, et comas excutere, fanaticum est. Qt.

483. Sed in *ore* sunt omnia: in eo autem ipso dominatus est oculorum. Animi est enim omnis actio, et imago animi vultus est, indices oculi. Oris igitur non est nimium mutanda species. ne aut ad ineptias aut ad pravitatem aliquam deferamur. Oculorum autem tum intentione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate motus

animorum omnes significandi sunt. Quare opertos, compressosve eos in dicendo, quis nisi plane rudis aut stultus habeat? Aspectus autem semper eodem vertitur, quo gestus *). Cic. Qt.

*) Excipe, quae aut damnare, aut non concedere, aut a nobis removere oportebit; ut idem illud vultu videamur aversari, manu repellere: *Dii talem terris avertite pestem!* — *Haud equidem tali me dignor honore.* Aen. 3, 630; 1, 335.

484. *Brachiorum manuumque* gestus generatim sint significantes, varii et decori. Saepe enim vagantur, similes quibusdam vocibus, quibus auris tantum impletur; si vero significant, quod locus postulat, hoc ipso sequitur varietas.

Brachii moderata proiectio continuos et decurrentes locos maxime decet; at cum speciosius quid uberiusque dicendum est, ut illud: *Saxa atque solitudines voci respondent* (Pro Arch. 8), exspatiatur in latus, et ipsa quodammodo se cum gestu fundit oratio. Cavenda autem sunt haec: 1. ne incomposite pendeant deorsum, nec ut tela vibrentur; 2. ne, dum manum gestus facit, lacertus corpori apprimatur: ne vicissim, in quantum patet longitudo, brachium protendatur; 3. ne agitentur brachia, ut consistere prope parum tutum sit; 4. ne motus sint duri, ne exeant in angulos, similes spasmo laborantis. Qt.

485. Manuum autem gestus duplicis sunt generis: alii enim cum ipsis vocibus naturaliter exeunt, alii res imitatione significant. Prioris generis tam multi sunt, ut paene ipsam verborum copiam prosequantur: nam ceterae partes loquentem adiuvant, hae, prope est ut dicam, ipsae lo-

quuntur *). Ad alterum genus e. g. pertinet, si aegrum tentantis venas medici similitudine, aut citharoedum formatis ad modum percutientis nervos manibus ostendas.

Ut ergo sine illis prioribus trunca esset actio ac debilis, ita hoc posterius genus quam longissime in actione fugiendum est. Abesse enim plurimum a saltatore debet orator, ut sit gestus ad sensus magis quam ad verba accommodatus: quod etiam histrionibus paulo gravioribus facere moris fuit. Ergo ut ad se manum referre, cum de se ipso loquatur, et in eum, quem demonstret, intendere, et aliqua hic similia permiserim; ita non efficere status quosdam, et quidquid dicet, ostendere **).

*) His poscimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, supplicamus, abominamur, timemus; gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, poenitentiam, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus. Non concitant, inhibent, supplicant probant, admirantur, verecundantur? Non in demonstrandis locis ac personis, adverbiorum atque pronominum obtinent vicem? ut in tanta per omnes gentes nationesque linguae diversitate, hic mihi omnium hominum communis sermo videatur haberi.

**) Neque id in manibus solum, sed in omni gestu et voce servandum est. Non enim in illa periodo: *Caedebatur in medio foro Messanae* — motus laterum, quales esse servorum ad verbera solet, torquendus, aut vox, qualis dolore exprimitur, eruenda: cum mihi comoedi quoque pessime facere videantur, qui etiamsi iuvenem agant, cum tamen in expositione aut senis sermo, aut mulieris incidit, tremula vel effaeminata voce pronuntiant. Qt.

In reliquis autem gestibus servanda haec sunt:
1. In rebus parvis, tristibus, mitibus breves sint;

in magnis, laetis, atrocibus extensiores. 2. Initio pauciores sint; at ubi iam calor orationem concitaverit, etiam gestus cum ipsa orationis celeritate crebescet. 3. Ne gestus manus et vultus inter se discrepent. 4. Manus sinistra nunquam sola gestum recte facit, dextrae se frequenter accommodat *). 5. Optime manus a sinistra parte incipit, in dextra deponitur; sed ut poni, non ut ferire videatur. 6. Manus cum sensu et incipiat et deponatur. 7. Ne cadat gestus ad quasdam latentis sermonis percussiones et quasi pedes, tamquam rhythmum indicans; ut sit v. g. unus motus *novum crimen;* alter *C. Caesar;* tertius *et ante hanc diem etc.* 8. Ne sint digiti dispassi, nec fiant gestus, paucis quibusbam exceptis, solo pollice et indice, reliquis digitis compressis. 9. Tolli manum supra oculos, demitti infra pectus vetant; adeo a capite eam petere, aut ad imum ventrem deducere, vitiosum habetur. Qt.

*) Sive in digitos argumenta digerimus, sivè aversis in sinistrum palmis abominamur, sive obiicimus adversas, sive in latus utramque distendimus. In supplicatione etiam, invocatione, adoratione plus affectus iunctae exhibent manus.

486. De *totius* tandem *corporis* habitu praecipiunt: 1. Status erectus sit et celsus; 2. nec obrigescere orator videatur (quasi, ut ait Epictetus, veru deglutierit); sed neque contra omnes partes corporis agitet vehementius, trunco magis toto se ipse moderans et virili laterum flexione. 3. Indecora est in dextrum ac laevum latus vacillatio alternis pedibus insistentium. 4 Neque

minus illa frequens, et concitata in utramque partem mutatio; quam in Curione patre irrisit Iulius, quaerens, *quis in lintre loqueretur*. 5. Ne iactentur humeri; quod vitium quomodo Demosthenes emendaverit, notum est. 6. Incessus et excursio, sicubi a more regionis non discrepent, rari certe sint et moderati; discursare autem nunquam licet. 7. Femur denique vel pectus ferire scenicum habetur. Or. 18. Qt.

§ II

DE ACTIONE APTA

Quid in universa oratione n. 487; quae in singulis partibus servanda n. 488; quid de decore et modo n. 489.

487. Ut sit apta pronuntiatio, primum convenire debet personis et causae totius generi. Neque enim eadem in voce, gestu, incessu apud principem, senatum, populum, magistratus, privato, publico iudicio similiter decent. Causae vero, ut sunt tristes, hilares, sollicitae, securae, grandes, pusillae, ita etiam actio similem quasi habitum induere debet. Qt.

488. In diversis autem orationis partibus haec sunt observanda:

1. *Surgat* orator ad dicendum cum dignitate et modestia neque, protinus erumpat, sed det brevem cogitationi moram. Mire enim auditurum dicturi cura delectat, et auditor se ipse componit.

2. *Prooemio* frequentissime (non tamen semper)

lenis convenit pronuntiatio; quare vox temperata, gestus sit modestus. Nihil est enim ad conciliandum gratius verecundia; nihil insuavius, quam exordientis vociferatio.

3. *Narratio* magis prolatam manum, gestum distinctum, vocem sermoni proximam, et tantum apertiorem, sonum simplicem frequentissime postulabit; quamvis aliud interdum poscant animi motus.

4. *Confirmationis* actio maxime varia et multiplex est. Nam et *proponere*, *partiri*, *interrogare* sermoni sunt proxima, et *argumenta adversarii repetere;* sed haec tamen aliquando irridentes, aliquando imitantes pronuntiamus. *Argumentatio* plerumque agilior et acrior et instantior, consentientem orationi postulat etiam gestum, i. e. fortem celeritatem: instandum quibusdam in partibus, et densanda oratio. *Egressiones* fere lenes, et dulces, et remissae. *Accendendi vero audientes per amplificationes* multi sunt gradus et modi (n. 481). Qt.

5. *Peroratio* item accommodanda motibus animorum, quos causa postulat.

489. Ut in ipsa oratione sic in gestu et voce refert plurimum, quid deceat, circumspicere, et modum in omnibus servare. Porro decorum ut serves, liberalis institutio et assidua facit exercitatio *). Modum vero, ut teneas, cave ne gestus aut vocis variationes frequentiores sint **); neve in actione sollicitior cura et diligentia se prodat.

*) Ut qui pila ludunt, non utuntur in illa lusione artificio proprio palaestrae; sed indicat ipse motus, didicerintne palaestram, an nesciant; sic in orationibus etiamsi propriae ceterae adhi-

bentur artes, tamen facile declaratur, utrum is, qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio sit opere iactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accesserit. De or. 1, 16.

**) Ut orator non debet legenti similis pronuntiare, ita neque immerito reprehenditur pronuntiatio vultuosa, et gesticulationibus molesta, et vocis mutationibus resultans. Qt.

Liber quartus

DE ELOQUENTIA SACRA

490. Finis eloquentiae sacrae est, religionis christianae doctrinam hominibus persuadere. Itaque ad hoc contendere debet, ut audientes illam doctrinam et animo sincero complectantur, et ad eius normam vitam omnem componant. Quo facto confert ad summum finem omnis sacri ministerii, qui alius non est, quam honor divinus et aeterna hominum salus.

Assequetur propositum efficiendo, ut *veritas pateat*, ut *veritas placeat*, ut *veritas moveat*. S. Aug., de doct. christ. 4, 61 (n. 314). Ac nos quidem his libris quaerimus, quid ad hunc effectum possit humana ars et industria *); inanis autem omnis nostra institutio, si orator altiori quodam virtutum praesidio instructus non sit. Porro virtutes oratori sacro necessariae sunt inprimis vividissima *fides*, sine qua de rebus divinis nec ipse quidquam probe intelligere, nec aliis exponere fructuose poterit; ardens et sincerum *studium divinae gloriae* et humanae salutis; rerum vero caducarum, maxime *divitiarum et laudis contemptus;* — Vae illis, qui quaestum faciunt (S. Bern.); *beneficentia*

et *mansuetudo* erga homines, ad exemplum Christi; magna *animi demissio;* et singularis per orationem *cum Deo coniunctio.* Quae virtutes, cum ad alia multa, tum ad hoc maxime sunt necessariae, ut flectere animos possit. Non omnis enim ardor, qui in dicente eruperit, sed divina est virtus, qua in aeterna hominum mentes excitantur. Christo igitur ardenti charitate se coniungat, in ipso sit omnis eius meditatio et vita; quo fiet, ut et oratio Christum spiret, coelestemque illam vim nanciscatur, de qua legimus: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere* **). Luc. 21. 15.

*) In dubium vocatum est, num huic eloquentiae, quae tota divina est, adiumenti aliquid afferrat humana industria et doctrina. Sed usus Ecclesiae et ipsorum Patrum exempla satis nos docent, minime haec, etsi naturalia, praesidia esse negligenda. Quodsi sancti quidam viri sine ratione doctrinae coelesti quadam dicendi facultate instructi fuere; Apostoli quoque et alii multi religionis scientia divinitus sunt imbuti; nec tamen propterea quisquam quaesierit, conveniatne a pueris fidei rudimenta, ab Ecclesiae ministris Theologiam magno labore addisci. — Florido et expolito sermone laudem captare, nec ipsum decet profanum oratorem. Sed aliud est cincinnos sectari et fucata pigmenta, aliud in rebus et verbis verae eloquentiae praecepta sequi.

**) Plura de his vide apud S. Aug., de doctr. christ.; S. Franc. Borg., de ratione concionandi; S. Franc. Sales., lettre sur la manière d'annoncer la parole de Dieu, et Esprit de S. Franc. de Sales; Lud. de Granata, Rhetorica ecclesiastica; Gisbert de eloq. sacra.

CAPUT I.

DE ARGUMENTO SACRAE ORATIONIS

Cuiusmodi argumentum esse debeat; quid de philosophicis concionibus tenendum n. 491; quae praecipue tractanda n. 492; qua ratione anni tempora et festi dies respectandi n. 493; quae textûs utilitas; qualis seligendus; quomodo exponendus n. 494.

491. Argumentum sacrae orationis sit vere christianum, ex ipsis scilicet visceribus religionis christianae depromptum. Nam in tractatione usus aliquis profanae eruditionis esse potest; materia profana nullo modo toleranda.

Ea sacrae doctrinae capita, quae etiam philosophia assequitur, sine dubio pro concione tractari possunt, sed accommodate ad ingenium et sensum christianum. Ita scilicet proponenda sunt, ut ea credenda religio docet *); probanda autem et illustranda maximam partem ex doctrina et historia sacra.

*) Etiam de lege naturali dictum illud intelligi debet: Non veni solvere legem, sed adimplere; ipseque Magister divinus ostendit, quo pacto humana doctrina coelesti perficiatur. Matth. c. 5, et 6.

Itaque quae dicuntur philosophicae conciones, communiter nec decent nec prosunt; propter audientium tamen conditionem nonnunquam sunt necessariae, etsi non tam saepe, quam plerique existimant *). Philosophicas enim vocant oratio-

nes, quae et argumentum et probationes ab humana doctrina petunt. Porro huiusmodi conciones apud populum christianum minime convenire, satis per se intelligitur: nam regnum Dei non est *in persuasibilibus humanae sapientiae verbis.* 1 Cor. 2, 4. At ubi fides paene exstincta est, homines, etsi ceteroquin doctissimi, coelesti lumine privati, alta illa sacrae doctrinae praecepta non capiunt: ad quos cum orator se demiserit paullisper, id semper providebit, ut per haec humana viam sibi ad divina sternat.

*) Plerumque fides languet, vel etiam impugnatur, quia non intelliguntur credenda. Hinc est cur optima rerum divinarum explicatione dubitationes facillime tollantur; id etiam constat tantam esse vim et lucem veritatis, ut recte explicata sibi ipsa fidem faciat. Utinam igitur sacri oratores illa, quae mox dicam propria esse christianae eloquentiae, ibi tractent maxime, ubi minime creduntur!

492. Plurimum autem orator sacer dicere debebit de iis, quae religionis christianae sunt propria maxime *), nec non de illis, quae ab haereticis negantur **).

*) Itaque B. Pauli exemplo inprimis Christum praedicabit, et hunc crucifixum; aget saepe de redemptionis necessitate et natura, de peccato originis, de fide et gratia de resurrectione mortuorum et iudicio; ex moralibus autem tractabit frequenter rerum humanarum, divitiarum maxime et honorum contemptum, humilitatem, cui philosophia nec nomen invenit, dilectionem inimicorum, etc.

**) Etsi heterodoxos impugnare vix unquam, ut postea dicetur, utile sit, saepe tamen cum omni libertate de catholica doctrina dicendum; agendum dico de vera Ecclesia, eiusque et SS. Pontificum potestate, de sacerdotio et sacramentis, de sacramentalibus et piis usibus, de votis, de ordinibus religiosis, de ieiunio et omni poenitentia, etc.

493. Quanquam in seligendo concionis argumento generatim anni ecclesiastici tempora, et festi praesertim dies observandi sunt *), potior tamen est ratio necessitatis utilitatisque. Quodsi argumentum, quod elégeris, a ratione diei vel temporis multum discrepat, satius erit, in exordio rationem, cur ita facias, indicare, quam aditum ad materiam per ambages quaerere. Ceterum necessitas cogit etiam de re eadem saepius dicere.

*) Ideo etiam consultum est, tempora illa observare, quod grata inde varietas oritur, et occasio habetur, de iis quoque agere, quae piis morigerisque ad perfectiorem virtutem utilia sunt. Neque enim hoc uno continetur officium oratoris sacri, ut perversos a vitiis avocet.

494. Antiquissimus est mos, orationi sacrae sententiam gravem sacrae Scripturae, quem *textum* vocant, praeponendi. Quae si bene deligitur, ad dignitatem, perspicuitatem et gravitatem dicendi multum confert; sed curandum est, ut argumentum sive potius propositio vel in textu tota inveniatur, vel saltem commode ex eo derivari queat *).

*) Hoc ad utilitatem illam obtinendam plane necessarium, nec tamen valde difficile in illa infinita gravissimarum sententiarum copia sacrae Scripturae. Quinimo saepissime partitio quoque et praecipua argumenta textu continentur. Vide inprimis orationes Bourdaloue.

Ut textus et per eum propositio ab audientibus probe intelligatur, fere necesse erit, aut rerum personarumque adiuncta exponere, aut factum aliquod narrare, aut denique obscuriores notiones

evolvere. Hinc explicatione textus, si minus universum exordium, certe narratio et partitio plerumque continetur.

Schol. Quoniam de singulis orationis partibus propria eloquentiae sacrae praecepta non traduntur, de exordio, cuius mentionem feci, illud hoc loco adiiciam, non adeo eius esse artificium negligendum, quam nonnemo sibi persuaserit, propterea quod auditor satis paratus veniat. Primum enim magnopere curanda docilitas. Quo enim per se generalius est argumentum, eo magis necesse est, accurate definire, quid de illo statuamus Atque hoc loco revocanda est memoria praecepti de fine orationis proprio et definito (n. 319), quod quidem pluribus bellissime exponit S. Franciscus Sal. (1). Quid? si neque attentio tanta solet esse, quam rei natura et loci ratio postulat; unde necesse est, inde ab initio iucunditate et gravitate orationis mentes excitare.

CAPUT II.

DE LOCIS ELOQUENTIAE SACRAE PROPRIIS

Loci eloquentiae sacrae proprii sunt: S. Scriptura, Sancti Patres, Theologia, Historia ecclesiastica et probati scriptores de vita christiana.

Art. I.

DE SCRIPTURA SACRA

Quare hic locus praecipuus n. 495; qua ratione generatim Scriptura utendum n. 496; quomodo legenda n. 497; quid de sensu mystico et accommodatitio n. 498; quae sententiae eligendae n. 499; qui modi eas explanandi n. 500.

495. Scriptura sacra merito praecipuus habetur

(1) Espr. T. V. p. 313

eloquentiae sacrae locus: nam et ipsius muneris ratio hoc postulat, ut orator sacer paene omnia, quae dicat, e sacris litteris depromat *), nec quidquam ad triplicem rationem docendi, delectandi et movendi utilius **). Cf. 2. Tim. 2, 15.

*) Cum concionatores sint veluti legati a Deo missi (2 Cor. 5, 20), debent sane ipsius, a quo mittuntur, Principis verbis quoad possunt, legationem exponere.

**) Si docendum est, non solum Scripturae divina est auctoritas, sed eadem, modo rite exposueris, rebus divinis atque humanis copiosissimum lumen affundit. Ad delectandum vero quanta historiarum varietas, similium, parabolarum, proverbiorum vis et copia! Quid? si ipsis verbis et sententiis coelestis quaedam dulcitudo a Spiritu Sancto afflata est? Denique cum flectendus auditor, nihil Scriptura sacra ad vim efficacius, ad maiestatem excelsius, ad copiam uberius.

496. Ad haec autem Scripturae usu consequenda non sufficit, multas orationi sententias Scripturae intexere, sed ex harum optima tractatione paene tota debet efflorescere oratio; ideoque hoc primum ab oratore sacro requirimus, ut in divinis litteris sit versatissimus *).

*) In hanc sententiam exponit D. Hieronymus, quod ad Ezechielem dictum legitur: *Fili hominis, comede volumen istud;* Ezech. 3, 1. Nisi, ait, comederimus apertum volumen, docere non possumus filios Israel. Hoc autem studio Scripturae orator non solum copiam sibi dicendi comparabit, sed etiam divina quadam vi imbuetur; denique hic, hic quaerenda illa ingenii subactio, quam Cicero profanum oratorem a profanis utique artibus repetere iubet (n. 362). Sed nec quidquam utilius stilo ad illam simplicitatem, vim et dignitatem formando.

497. Legenda autem Scriptura est cum fide, reverentia et modestia, cum assuiditate et diligentia. Ac reverentia quidem et modestia hoc quo-

que exigunt, ut ne ipse tibi omnia, quae obscura sunt, interpretari praesumas. Ea autem, quae legis, meditari oportet attentius; varia observare loca et inter se conferre; perpendere diversos sensus, litteralem seu historicum imprimis, tum etiam mysticum; et interpretationum varietatem considerare; postremo videre, quis loci usus sit sive ad doctrinam sive ad vitam.

498. *Mysticum* autem sensum orator raro adhibebit, nec nisi Ecclesiae aut Patrum aut ipsius Scripturae auctoritate nixus; S. Franciscus Sal. insuper praecipit, ut ante mysticum semper exponatur sensus litteralis (Esprit, 1, p. 31). Illud autem imprimis observandum, vim probandi in mystico sensu non esse, nisi aliquando ex auctoritate interpretantis. Sensus, quem *accommodatitium* vocant, frequentius usurpari poterit, dummodo usurpetur circumspecte. Accommodatitius enim est sensus, cum sententiae aliis rebus aut personis accommodantur, ut quae de Paulo dicta sunt, Francisco Xaverio; quae de Stephano, Laurentio. Itaque totus locus considerandus est, ut perspicias, num ita fieri deceat *).

*) Hoc si facerent, profecto illud: *Cum innocente innocens eris, et cum perverso perverteris* (Ps. 17, 26), ad consuetudinem bonorum hominum et malorum non transferrent; multo autem minus ad Virginem sine labe conceptam: *Quaeretur peccatum illius, et non invenietur* (Ps. 9, 36).

499. Eligendae sunt Scripturae sententiae, quae in rem nostram plane conveniant, ne invitae ad eam trahendae sint; ex his vero ipsis probantes prae simpliciter affirmantibus, ut: *Qui non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine unige-*

niti Filii Dei; minus communes prae vulgatis *); denique uberiori tractationi aptiores **).

*) Attamen cum doctrinae caput confirmandum est accuratius, *textus*, ut vocant, *classici*, licet ii vulgati, non sunt praetermittendi; classici autem dicuntur illi, quibus Ecclesia vel SS. Patres passim utuntur ad doctrinam aliquam probandam. Quae sententiae ut non videantur tritae, optime efficiet tractatio. Sint enim verba notissima; non item vis eorum et plena intelligentia.

**) Praestat sane paucas bene tractare, quam plurimas sine expositione accumulare.

500. Modi, quibus locus quispiam uberius exponi potest, novem traduntur: 1. Ecclesiae vel SS. Patrum interpretationes afferre. 2. Singula verba expendere: affirmat S. Hieronymus singulas in Scriptura voces, litteras, apices et puncta plena esse sensibus, quod fac experiaris in illa sententia: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Ioan. 3, 16.

3. Conferre sententias vel narrationes similes. Videndum tamen, ut quae ita afferuntur, in idem ne recidant, sed ad explicationem propositi loci conferant. Ita, quae his verbis: *Regnum Dei vim patitur*, inclusa sunt, per singula evolves, conferendo illa: *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit; Qui non odit patrem suum, etc. Si oculus tuus scandalizat te, etc. Qui non baiulat crucem suam post me, etc. Nondum usque ad sanguinem restitistis; Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* —

4. Opponere alia loca de re contraria. Id facit S. Bernardus: *Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Iesu, et bonum est, nos hic esse, ne sinamus*

nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: Recedentes a te in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doces nos. Tu dixisti accedentibus ad te: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in coelo. Accedamus ergo ad te, et exultabimus et laetabimur in te, memores Cordis tui. De Pass. Serm. 3.

5. Expendere adiuncta.

Angelis suis mandavit de te. Mira dignatio et vere magna dilectio charitatis! Quis enim? quibus? de quo? quid mandavit? Studiose consideremus, fratres, diligenter commendemus memoriae hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? cuius sunt Angeli? cuius mandatis obtemperant? cuius obediunt voluntati? Nempe Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo Maiestas mandavit Angelis, et Angelis suis mandavit: illis utique sublimibus tam beatis, quam proximis sibi, cohaerentibus et vere domesticis mandavit de te. Tu quis es? Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam reputas eum? Quasi vero non sit homo putredo, et filius hominis vermis. Sed quid putas mandavit de te? ut custodiant te. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam. Idem in Ps. 90.

6. Non raro etiam dubitatione uti poteris.

Ἐγκωμιαζομένου γὰρ δικαίου, εὐφρανθήσονται λαοί, ὁ σοφὸς ἡμῖν ἀρτίως ἔλεγε Σαλομών. καίτοιγε ἠπόρουν κατ᾽ ἐμαυτὸν, τί ποτε ἄρα βούλεται τῷ παροιμιαστῇ τὸ αἴνιγμα· ἆρα· ὅτι ῥητορός τινος ἢ λογογράφου δεινοῦ συνθέντος λόγον πρὸς τὴν τῶν ἀκουόντων ἔκπληξιν, ἤχῳ τινὶ κεκομψευμένῳ κατακτυποῦντι τὰς

ἀκοάς, εὐφραίνονται οἱ λαοί, τήν τε εὔοεσιν τῶν νοημάτων, καὶ τὴν διάθεσιν, καὶ τὸ τῆς λέξεως πομπικὸν, καὶ πρὸς ἁρμονίαν κεκροτημένον ἀποδεχόμενοι; Ἢ τοῦτο μὲν οὐκ ἂν εἶπέ ποτε ὁ μηδαμοῦ τῷ τοιούτῳ εἴδει τῶν λόγον χρησάμενος·.... τὶ οὖν ἐστνὶ, ὅ φησιν; ὅτι εὐφραίνονται λαοὶ εὐφροσύνην πνευματικὴν, ἐπὶ μόνῃ τῇ ὑπομνήσει τῶν τοῖς δικαίοις κατορθωμένων, εἰς ζῆλον καὶ μίμησιν τῶν ἀγαθῶν, ἀφ᾽ ὧν ἀκούουσιν, ἐναγόμενοι,

S. Bas. hom. in Gord. M. n. 1.

7. Causas, cur ita sit, exponere: quas quidem causas ex aliis Scripturae locis repetere poteris; ut: *Diliges Dominum Deum tuum*, Matth. 22; nam 1. *Ipse prior dilexit nos*, 1 Ioan. 4; —2. *Numquid non ipse est pater tuus?* Deut. 32; —3. *Delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui*, Ps. 36, — 4. *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus*, Ps. 33; —5. *Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?* Ps. 72.

8. Eandem sententiam in hominum genera, rerum eventus, opiniones varias transferre. Ita diversa hominum genera interrogabis: *Quis ex vobis habitare poterit cum ardoribus sempiternis?* Is. 33. Aut cum S. Leone: *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. O admirabilis potentia Crucis, o ineffabilis gloria passionis, in qua et tribunal Domini, et iudicium mundi, et potestas est Crucifixi! Traxisti enim, Domine, omnia ad te, et cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem et contradicentem tibi, confitendae maiestatis tuae sensum totus mundus accepit. Traxisti, Domine, omnia ad te, cum in execrationem iudaici sceleris unam protulerunt omnia elementa sententiam, cum obscuratis luminaribus coeli, et converso in noctem die, terra*

quoque motibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum usui se negaret. Traxisti, Domine, omnia ad te, quoniam scisso templi velo sancta sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, et Lex in Evangelium verteretur. Traxisti, Domine, omnia ad te, ut quod in uno Iudaeae templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertoque sacramento universarum ubique nationum devotio celebraret. Serm. 8. de Pass. Domini.

9. Textum per modum chriae liberae amplificare.

Ceterum quemcumque ex his modis usurpamus, si quidem non amplificare, sed demonstrare aliquid intendimus, efficiendum est, ut tractatio Scripturae vera sit argumentatio (Cf. tamen n. 411).

Art. II.

DE PATRIBUS ET THEOLOGIA

Quare SS. Patrum usus commendandus; quomodo eorum testimonia tractanda n. 501; quid theologiae nomine hic veniat; qualis eius utilitas; quae in usu servanda n. 502.

501. Secundum divinos libros non sunt alii ad sacram eloquentiam utiliores, quam SS. Patrum scripta. Et quoniam SS. Patres ad hoc Ecclesiae concessi sunt divinitus, ut verbum Dei scriptum et traditum copiosius explicarent, et ita explicatum posteris saeculis transmitterent: eorum vestigiis orator sacer insistere debebit. Accedit, quod

ab iisdem praeclare docetur, qua ratione doctrina christiana pro concione sit tractanda *).

*) Ad duplicem hunc fructum capiendum legendi sunt prae reliquis S. Chrysostomus, qui copia et gravitate dicendi unus inter omnes christianos oratores eminet; S. Gregorius Nazianzenus, cuius orationes ad artis praecepta magis sunt revocata; praeterea SS. Basilius, Ephrem, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Leo M., Gregorius M., V. Beda et Bernardus. Quod si Scripturae interpretatio quaeritur, rursum S. Chrysostomus, quis sit optimus eius in s. eloquentia usus, praeclare docebit; S. Hieronymus una cum litterali sensu saepissime mysticum tradit, etsi hunc Origenes, SS. Augustinus, Ambrosius et Gregorius copiosius explanant. Ceterum ubi non tam modus utiliter exponendi Scripturam, quam accurata interpretatio requiritur, fere praestiterit, probatum aliquem interpretem revolvere, quippe apud quem SS. Patrum sententias collatas invenias.

Deligenda autem SS. Patrum testimonia et amplificatione vel argumentatione tractanda sunt, fere ut de Scriptura sacra diximus: quamquam ea ad verbum recitare non semper necesse erit, dummodo sensus fideliter reddatur.

502. *Theologiae* nomine hoc loco veniunt Conciliorum Summorumque Pontificum decreta, necnon disputationes gravissimorum Theologorum. Duabus autem de causis ad hunc locum recurret orator: primum ut, quae dicit, auctoritate fulciat vel Ecclesiae, quae summa est; vel doctorum virorum, quae saltem, ubi consentiunt, sperni sine temeritate non potest; deinde ut rationes inveniat, quibus doctrinam accurate demonstret.

De usu autem praecipiuntur tria: 1. distinguendum est inter Ecclesiae definitiones et scholasticas quaestiones; 2. ex his illae non sunt attingendae, quibus oratio plus subtilitatis, quam utilitatis acquireret; 3. cavendum etiam a voca-

bulis obscuris et argumentatione praecisa ac ieiuna.

Schol. Commendandus hoc loco est inprimis *Catechismus Conc. Trid.*, qui non solum universam doctrinam christianam accurate exponit; sed etiam ostendit uberrime, quibus ea rationibus, exemplis, testimoniis, similitudinibus populo sit tradenda.

Art. III.

DE HISTORIA ECCLESIASTICA ET DOCTRINA ASCETICA

Quid de historiae ecclesiasticae usu; quae in asserendis rebus, mirabilibus praesertim observanda n. 503; qui ascetae nominentur; qua ratione iis utendum; quid de legendis oratoribus n. 504.

503. Ad *historiam ecclesiasticam* refero non solum universae Ecclesiae annales, sed etiam civitatum vel provinciarum proprios, praeterea vitas Sanctorum et historias ordinum religiosorum, maturo rerum examine conscriptas.

Huius autem loci usus oratori tantum est commendandus, quantum non una in regione vulgo negligitur. Ac certe nullum fere argumentorum genus apud Tullium quidem frequentius, quam vetustatis memoria, maiorum gesta et instituta, summorum exempla virorum. Ecquid sacer orator simile armorum genus contemnat? Certe historiae, quas dixi, abundant exemplis, quibus et fidem facere audientibus, et animos eorum non modo permulcere sed etiam inflammare saepe poterimus.

Interim in omnibus quidem, sed maxime in mirabilibus rebus servanda sunt duo: primum ne quid, quod dedeceat aut sinistrae pateat inter-

pretationi, afferatur; deinde ut, quae narrantur, fide probatorum scriptorum sint certa, quos quidem testes plerumque iuverit nominari.

*) Itaque nec nimium nos moveant nostrae aetatis frigidi et difficiles critici, ut quae Deus nostra utique causa fecerit, dicere vereamur; et tamen moribus et indoli eorum, qui audiunt, aliquantum cedamus, ut nec nimii in hoc genere, et tanto prudentiores simus in deligendo. Ceterum qui bene versatus est in Scriptura et Patribus, in Actis Martyrum et reliquis annalibus Ecclesiae certissimis, necesse non habet, ad obvia quaeque chronica, specula exemplorum et similia id genus confugere.

504. *Ascetica* traditur primum a nonnullis ex gravissimis Theologis, ut qui non solum de doctrina fidei et morum docte disputarint, sed etiám de vita christiana sapienter praeceperint; deinde a plurimis, qui, quod in hoc genere paene omnem operam posuere, proprio asceticorum nomine appellati sunt *).

*) 1. Ex Theologis hic S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, Gerson, Bellarminus, Lessius, S. Alphonsus de Ligorio imprimis commendantur.
2. Ex Ascetis vero: Thomas a Kempis, Ludovicus Granatensis, S. Franciscus Sal., Blosius, Ludovicus de Ponte, Alphonsus Rodericus, Segneri, Pinamonti, Croiset, Judde, etc.

Horum itaque libri rerum copiam saluberrimasque sententias suppeditant; sed cavendum est oratori, ne in tractatione eos imitetur. Aliud enim est de virtute christiana conscribere, quae pii homines cum fructu legant et meditentur, aliud ad multitudinem verba facere *).

*) Accedit, quod ascetae permulti, non ii quidem, quos nominavi, sed plerique mediocres, vera quidem et utilia proponunt, sed

vix quidpiam probant; quos imitati non pauci oratores vim omnem et efficaciam perdiderunt.

Oratorum ipsorum lectio sit moderata; multa enim et promiscua non uno nomine periculosa *).

*) Si concionatores pervolvis, ut argumenta invenias, tempus fere utilius impenderis Scripturae et Patrum lectioni; sin autem, ut artem oratoriam in exemplis consideres, pauci ex optimis, sed ii quidem diligentissime legendi sunt, servando ea, quae de lectione in parte prima exposui.

Art. IV.

E PHILOSOPHIA ET ALIIS DISCIPLINIS PROFANIS

Quid de argumentis philosophicis et de usu rationis generatim; quae probationes philosophicae frequentiores esse possint n. 505; quid de reliqua eruditione profana n. 506.

505. Generatim rationis in sacra eloquentia usus est triplex: primus in tractatione argumentorum, quae ex theologicis locis deprompsimus; qui rationis usus utinam minus negligatur! — alter in hoc positus est, quod a doctrinis revelatis, tanquam a principiis profecti alia et alia inferimus, reique nostrae accommodamus; et hoc item frequentissime fieri decet: tertius denique, quae proprie appellantur argumenta rationis suppeditat, ea scilicet, quae philosophando reperimus. Haec vim saepe magnam habent, si tamen et ad sensum popularem accommodata, nec frequentiora fuerint. Etenim si densentur, si proprias eloquentiae sa-

crae probationes paene excluserint, frigebit oratio, nec animos quidquam tanget. Cf. n. 491.

Illa tamen argumenta rationis, quae de vita sumpta sunt, ut de praestantia virtutis, de necessitate religionis, et similia magis frequentari possunt; etsi haec quoque ad Scripturae vel Patrum testimonia revocare convenit. Atque universe enitendum est, ut oratio tota sit excitata, et velut animata sensibus illis, qui, ut ipsa religio, rerum humanarum vim et modum excedentes, coeleste quid et aeternum spirant.

506. Ad reliquam *eruditionem* quod attinet, historiae profanae moderatus usus licebit; reliquarum artium sit certe parcissimus; ex fabulis autem mythologicis et poetis perraro aliquid utiliter aut sine periculo affertur *).

*) Valent haec aliquantum ad ingenium oratoris excolendum, sed aperte prolata vix unquam non dedecent sacri muneris dignitatem. Praeterea in omni hoc genere profanae doctrinae caveat orator, ne vel audientium eruditioni fidat nimium, vel iactare videatur suam.

507. In disponenda oratione et argumentorum distributione praecepta communia servanda sunt, nec illud negligendum, quod de ordine oratorio a logico saepe diverso exposui (n. 396). Itaque non est, cur orator ad theologorum exemplum primo semper loco Scripturae testimonia, deinde Patrum, tum argumenta ex theologia vel historia deprompta pertractet; sed ut argumenta ipsa postulant, sic ea dispenset *).

*) Probandum est, ut exemplo utar, ritum quendam sacrum divinitus institutum esse: argumenta suppeditant Scriptura,

SS. Patres, usus Ecclesiae, rationes congruae. Sed Scripturae sententiae vel minus perspicuae vel subtilius contra adversarios tuendae. Orüire igitur ab usu generali Ecclesiae, et haec antiquitatis memoria ostendet, quomodo sint sacrarum litterarum verba interpretanda; postremo afferes testimonia Patrum, qui cum simul rationes congruas exponant, habebis, unde in hac parte postrema motus animorum, leniores quidem, quales huic generi conveniunt, et exhortationem ducas.

CAPUT III.

DE VARIIS ORATIONIS SACRAE GENERIBUS

Art. I.

DE GENERE DIDASCALICO

Quid huic generi propositum; quid in eo fugiendum; quid praestandum n. 508; quae in oratione morali servanda n. 509; quae in controversiis n. 510.

508. Didascalico generi proprium est, doctrinam christianam explicare et confirmare. Itaque huius generis materia non solum sunt fidei dogmata, sed ethicae quoque christianae praecepta, verbo universa religio.

In hoc genere primum fugienda est theologicae disputationis similitudo; popularis sit oratio, et vario genere illustrationum ornata, motus quoque animorum lenes saltem ubique diffusi *).

*) Proprius quidem huius generis finis est docere; sed docendum tamen hic quoque ita, ut veritas non solum luceat, sed etiam placeat moveatque.

Sed restat, quod caput est, ut scilicet propria

illa et plane coelestis christianae doctrinae vis, quae recondita esse solet, oratione reveletur. Ad hoc efficiendum necessaria est certe doctrina; sed parum haec poterit, nisi quis ea, quae docebit, saepe et multum coram Deo meditatus fuerit; quin etiam qui ab hac exercitatione alienus est, vereor, ut, quorsum haec dicantur, intelligat.

509. In orationibus de morum doctrina illud maxime videndum, ne orator sacer Senecam potius et Aristotelem, quam Christum sequi videatur. Hinc praeter ea, quae de delectu argumentorum supra sunt dicta, duo observare debebit. Primum est, ne omnino in hoc genere sit nimius *); alterum, ut cum dogmate ita cohaereat moralis doctrina, ut ex eo tota efflorescat ad idemque semper referatur **).

*) Nam ad vitam emendandam fidei mysteria, Christi, Sanctorumque exempla plus non solum incitamenti, sed etiam luminis habent, quam ipsa doctrina moralis: atque hinc est, cur SS. Patres de fide plurimum, de morali doctrina haud ita multum praeceperint. Optime praesul quidam in hanc fere sententiam: Olim dicebatur de Christo, et per Christum morum honestas inter homines apparuit; nunc dicitur de moribus, et per universas orationes morales nullus inter nos appare Christus.

**) Praeclare hoc nos docent SS. Apostoli in suis ad fideles epistolis.

510. Dogmata, quae impugnantur, prae ceteris tuenda esse constat; at multo est utilius, sanam doctrinam luculenter exponere et probare, quam spuriam convellere, ita quidem, ut cum adversariis in arenam descendas *). Plerumque confirmatio ita institui potest, ut ea ipsa contraria argumenta diluantur; quod si aliqua separatim

refutari oportet, hoc ita fieri decet, ut stilo minime acerbo aut pugnaci utamur.

*) Hic enim dicendi modus cum eos, qui veritati conciliandi essent, ad pugnam potius et iram incitat, tum ipsis catholicis periculosior quam utilior est. Facile enim accidit, ut hi quoque aut inducantur magis ad irascendum aliis, quam ad consulendum sibi; aut contra, quae est humana corruptela, in ea, quae obiiciuntur acrius, quam in refutationem animum intendant.

Schol. Haec, quae de controversiis praecepi, multis verbis docent S. Franciscus Salesius, B. Petrus Canisius et Petrus Faber, viri qui omnium efficacissime contra haereticos catholicam veritatem tuebantur. Illud tamen non minus constat, ubi a fraudulentis hominibus periculum immineat fidelibus, dolos detegendos, necnon generatim familiarem cum heterodoxis consuetudinem esse vehementer dissuadendam.

Art. II.

DE GENERE EXHORTATIVO

Quaenam orationes ad hoc genus referantur; quae in eo providenda n. 511; quid de genere mixto n. 512.

511. Ad genus, quod exhortativum dixerunt, referuntur orationes, quae totae eo spectant, ut homines per doctrinae christianae momenta ad recte vivendum impellantur. Hoc igitur genus, praeter suasionem et dissuasionem, etiam reprehensionem, qua peccantes corripiuntur, et consolationem, qua afflicti et timidi eriguntur, continet.

Schol. Sunt, qui has quoque orationes morales dicant; sed tum praeceptum, quod morales frequentiores esse vetat, ad hasce utique non est referendum.

In huiusmodi orationibus videndum est inprimis, ne vagemur. Vel enim de vita recte instituenda generatim agimus, vel vitia virtutesque singulas tractamus. Si generatim, de uno aliquo sacrae doctrinae capite, ut de morte, de iudicio propositio statuenda, quae sit definita et ad motus animorum accommodata. Si de singulo vitio aut virtute, argumenta sane ex variis sacrae doctrinae capitibus petenda; propositio vero de illa virtute aut vitio excogitanda est, quae item sit determinata et apta.

Praecipuum vero in hoc genere cum sit movere animos hortando, hoc ut consequaris, cave existimes, minus necessarias esse argumentationes: immo vero, nisi nervosa praecesserit confirmatio, ad ea, quae volumus, firme apud se statuenda audientes non impellentur (n. 401, 432).

Tandem quod de temperanda oratione praecipitur (n. 420), sacer orator probe consideret. Non semper enim homines metu, pudore, dolore perturbandi, sed saepe etiam spe, amore, fiducia ad virtutem pelliciendi, et rebus divinis humanae infirmitati fere arduis, ut ita dicam, conciliandi sunt.

512. Saepe autem genera ista duo, didascalicum dico et exhortativum, coniunguntur in unum; quod quidem genus mistum est vehementer probandum *). Ea tamen inter doctrinam et hortationem sit coniunctio, ut non solum id, quod suademus, cum re demonstrata cohaereat, sed etiam argumenta, quibus utimur ad probandum, non sint inutilia ad insequentem hortationem.

*) Convenit inprimis, orationes, quae ad didascalicum genus referuntur, cum altero temperari. En tibi exempla De inferno thema erit didascalicum: *Existit infernus, isque aeternus ;* exhortativum: *Poenae inferni horrendae sunt primum natura, deinde aeternitate*; mixtum: *Supplicia apud inferos sempiterna sunt: ideoque nihil terribilius, quam iisdem mactari.* De mysteriis dicturus simili modo primum dogma aliquod confirmabis, deinde doctrinam moralem ex eodem depromptam inculcabis, ut: *Christus diris tormentis delicta nostra expiavit ; ergo iam peccatum execrandum ;* aut: *ergo nec nobis poenitentiae rigor fugiendus.*

Art. III.

DE PANEGYRICO

513. Πανηγυρις proprie significat hominum conventum ad festum diem peragendum ; quoniam autem in huiusmodi conventu oratores graeci laudes deorum vel Graeciae vel illustrium virorum celebrare consueverant, factum est, ut talis oratio ac generatim omnis laudatio vocaretur πανηγυρικὸς (λογος) (1).

Quod iam ad laudationem sacram pertinet, ante omnia finis eius contemplandus est: qui quidem alius esse non potest, nisi quem in ipso cultu Sanctorum Ecclesia sibi proponit, primum, ut celebretur Deus *mirabilis in Sanctis suis ;* deinde, ut populus christianus ad Sanctos honorandos et invocandos moveatur; postremo, ut ad eorundem imitationem excitetur.

---

(1) Licet apud nos quoque laudatio interdum fiat in conventu civili, frequentior tamen eius usus est in eloquentia sacra ; ideo hoc loco illam tractamus

§ I.

DE MATERIA LAUDATIONIS

(Qt. 3, 7. De or. 2, 84 et 85)

Quae consideranda ante ortum n. 514; quae in ipso homine n. 515; quae oratori sacro potissimum persequenda n. 516; quae consideranda post mortem; quis horum omnium selectus habendus n. 517.

514. Laus hominum in tria tempora dividitur: quod ante eos fuit, quod ipsi vixerunt, et quod insecutum est.

Ante hominem patria ac parentes maioresque erunt; nonnunquam etiam oracula et divina responsa *), quae futuram claritatem promiserunt. Iam vero in his duplex est laus: aut enim respondisse nobilitati pulchrum erit, aut humilius genus illustrasse factis. Qt.

*) Divina responsa, ut exemplo utar, S. Ioannis Baptistae, et multo magis B. Virginis sanctitatem magnitudinemque praenuntiarunt.

515. In ipso homine laudantur tria: naturae et fortunae bona, doctrina et artes, virtutes et merita.

1. Naturae et fortunae dona, ut forma, vires, opes, divitiae, gratia, amicitia, ideo in laudationibus tractanda sunt, quod ipsa virtus in earum usu ac moderatione maxime cernitur. Plurimum enim virium dant in utramque partem, ut aut meliores propter haec aut peiores simus. Itaque monstrandum erit, si quis habuerit, bene his usum; si non habuerit, sapienter caruisse; si

amiserit, moderate tulisse. Cic. l. c. et de or. 2, 11. Qt.

2. Artes et doctrina, maxime eloquentia, habent quidem magnam admirationem; sed haec quoque, praesertim a sacro oratore, non tam ideo laudanda, quod quis habuerit, quam quod iis honeste sit usus.

3. Virtus, quae est per se ipsa laudabilis, et sine qua nihil laudari potest, tamen habet plures partes, quarum alia est alia ad laudationem aptior. Aptiores autem sunt: *a*) quae generi hominum fructuosae putantur, ut clementia, iustitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis; *b*) sapientia et magnitudo animi, qua omnes res humanae tenues et pro nihilo putantur; *c*) facta illa, quae suscepta sunt a viris fortibus sine emolumento ac praemio; quae vero etiam cum labore et periculo ipsorum, haec habent uberrimam copiam ad laudandum; *d*) magna etiam illa laus et admirabilis, tulisse casus sapienter adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem. Cic.

516. Orator sacer ex his ea potissimum persequetur, quae sunt christianae virtuti propria, et omnino in quibusvis laudabiliter gestis animi habitum ostendet, evangelicae doctrinae conformem. Hic vero animi habitus ille est, quo ad Deum omnia referuntur; quapropter virtutes et praeclare facta ita proponenda, ut ex fide, spe et charitate divina nata esse intelligantur.

Gratiae autem dona commemorabit, vel quia signa sunt divini favoris singularis, vel quod is, qui laudatur, egregie illis responderit. In iis de-

aique, quae sancti viri supra naturae ordinem egerunt, aut passi sunt, servabit, quae n. 503 exposita sunt.

517. Sed neque mors eorum, quorum vita laudabitur, silentio praeteriri debebit; si modo quid erit animadvertendum aut in ipso genere mortis, aut in iis rebus, quae post mortem erunt consecutae: quo maxime pertinent habiti honores, decreta virtuti praemia, res gestae iudiciis hominum comprobatae (Part. 23). In Sanctis igitur hoc loco ea maxime commemoranda, quae non solum hominum, sed Dei iudicio tribuenda sunt, quaeque gloriam, qua Beati fruuntur in coelis, manifestam faciunt in terris.

Sumendae autem ex his omnibus erunt res aut magnitudine praestabiles aut novitate primae aut genere ipso singulares. Neque enim parvae neque usitatae neque vulgares admiratione, aut omnino laude dignae videri solent. Cic.

§ II.

DE FORMA PANEGYRICI

Propositio qualis esse debeat; de quibus rebus statui possit n. 518; quid de dispositione n. 519; quotuplex laudationis genus; quis eorum usus n. 520; quid si pauca de Sancto nota n. 521.

518. Forma panegyrici fere tota ex propositione pendet: quare haec ante omnia quaerenda est propria et definita *).

*) Saepe nullam statuunt, nisi forte illam communem: *Laudandus est*, vel *Magnus Sanctus fuit:* sed ideo etiam laudatio ipsa communis, ut non raro, paucis mutatis, diversi accommodari possit.

Neque vero ipsa semper sanctimonia illius, qui laudatur, proponi debet, sed varia sunt capita, quae accommodate ad panegyrici finem tractari possunt. Generatim quidem optime fit propositio de propriis Sancti moribus sive, ut aiunt, *spiritu*; at saepe etiam pro utilitate audientium statui potest de singulis, quibus excelluit, virtutibus; de munere, quod gessit; de viis et rationibus, quibus sanctitatem consecutus est; de impedimentis, quae superavit; tum etiam de Providentia divina, in eius vita luculenter comperta; de gloria coelesti; de cultu in terris: ex his enim omnibus persaepe insignis et propria Beati laus elucet.

519. Argumenta autem, quibus confirmatur propositio, nunc ex universa Sancti vita, nunc ex uno aliquo vitae spatio sumuntur. Quod si ex vita universa, saepe naturalem temporis ordinem servare poterimus, ut primo loco tractemus, quae ad ortum et pueritiam pertinent, deinde quae ad adolescentiam, atque ita porro singulis vitae partibus propositum tuentes: cui tamen rei non ita inhaerendum est, ut reliqua disponendi praecepta negligantur (n. 393-397).

520. Verumtamen ut apta quum forma tum maxime tractatione utamur, advertere debemus, duo esse panegyrici genera, unum, quod totum in exornando positum est: alterum, quod ad doctrinam et exhortationem praecipue est accommodatum.

Prius illud genus, quod adamaverunt Itali, mera est laudatio, ideoque multum habet ornatum et dignum quendam splendorem; doctrinam

autem perbrevem. Alterum, a Gallis magis frequentatum, ea, quae in laudem Sancti, breviter plerumque prolata sunt, in usum eorum, qui audiunt, longiori sermone traducit; quare in hoc genere stilus saepe etiam tenuis est in docendo et vehemens in hortando. Potest autem doctrina vel singulis capitibus subiici, vel laudatione in priori orationis parte absoluta in altera doctrina et usus tractari.

Schol. Fuere, qui genus illud, quam meram dixi laudationem, speciosius, quam utilius putarent. Scilicet eius usus perdifficilis, multique, cum in eo versantur, aut frigidam texunt narrationem, aut vagam ac saepenumero profanam declamationem instituunt. Sed si rite tractetur, si ad gravem propositionem confirmandam res vere magnae afferantur, si expositio non ad ingenii ostentationem, sed ad rerum dignitatem accommodetur; omnes sacrae laudationis fructus (n. 513) hoc genere praeclare consequemur. Confer quae n. 509 dicta sunt, necnon exordium, quo S. Basilius in laudatione usus est, quae, ut multae aliae SS. Patrum orationes, ad hoc ipsum genus tota referenda est (n. 500, 6).

Qui ad hanc iustam laudationem facultatem sibi deesse sentiat, orationem saltem frequenter ad cultum et venerationem Sanctorum, non vero semper ad solam morum doctrinam revocet *).

*) Tenendum nobis est, ad ipsam vitae emendationem nihil esse efficacius, quam iis subsidiis uti, quae Ecclesia alia aliis anni temporibus suppeditat. Multo igitur minus probandus est mos eorum, qui vix aliquid de Sancto in exordio vel peroratione promunt, totam reliquam orationem in alio, quodcumque se obtulerit, argumento consumentes.

521. Si de Sancti cuiuspiam vita pauca sunt memoriae prodita, non statim ad alienam materiam fugiendum, sed oratio traducenda est ad thesin *).

*) Sane hic argumenta se offerunt, quae frequenter apud christianos tractari debent, et, proh dolor, nostra maxime aetate plurimum negliguntur. Quid enim? martyrium, virginitas, apostolici labores, ordo ipse sacerdotum et religiosorum, poenitentiae rigor, eremi solitudo, non segetem laudis uberrimam, non copiam praebent rerum ad docendum utilissimam, ad commonendum gravem? Quidni igitur de illis tum saltem agemus, cum ipse nos dies compellit?

Art. IV.

DE HOMILIA

522. Ὁμιλία generatim consuetudinem, sed praecipue tamen familiarem sermonem inter praeceptorem et discipulos denotat; hinc SS. Patres homilias dixerunt illas orationes, in quibus populo litteras sacras exponebant; quamquam in ipsorum operibus aliae etiam orationes interdum homiliae, verae autem homiliae sermones inscriptae sunt. Hodie autem homilia vocatur oratio sacra, in qua locus Scripturae accommodate ad usum populi christiani tractatur. Huius duo sunt genera: homilia simplex, et oratoria.

§ I.

DE HOMILIA SIMPLICI

Quae homilia simplex; unde in ea sumatur exordium; quae praestanda in expositione; quis in hac ornatus et amplificationis usus; quid de conclusione n. 523.

523. Homilia simplex, nulla statuta propositione, ad quam dicenda referantur, Scripturae

versus familiari sermone percurrit et explicat, adhibita modica illustratione et amplificatione. Eius partes sunt tres: exordium, expositio, conclusio.

Exordium plerumque sumitur vel a Scripturae loco, qui explicandus est, vel ab usu, in quem dicta translaturi sumus. Ab ipso quidem loco sumitur, vel summa eius breviter perstringenda, vel nexu cum praecedentibus monstrando; in quo utroque vitanda est orationis ieiunitas; vel denique singulari loci gravitate significanda. Ab usu vero exordium petitur fere ut in omni alia oratione.

In *expositione* omnia, quae sunt intellectu difficilia, apte ad popularem sensum illustranda sunt; falsa etiam expositio non raro refutanda; sed inprimis curandum est, ut doctrina, quae loco, quem exponimus, toto continetur, singulis interpretandis sententiis magis magisque collustretur*).

*) De cetero usui esse possunt, quae de explicatione Scripturae n. 500 dicta sunt.

Excitanda est oratio figuris et affectibus; sed longior amplificatio, praecipue quae ad alia excurrit, non saepe adhibenda. Nonnulli enim digressionibus utuntur haud secus, ac si solis in his fructus inveniatur: verum si se ita res haberet, totum hoc homiliae genus relinquendum esset.

Conclusio fere exhortationem habet, pro audientium varia necessitate, nunc ex totius loci argumento, nunc ex una aliqua sententia deprompta.

Schol. SS. Patres quoniam non selecta capita, sed integros Scripturae libros explicabant, pro audientium utilitate haud raro sive in principio, sive in fine homiliae materiam ab loco exposito alienam tractare solebant.

§ II.

DE HOMILIA ORATORIA

Quae dicatur homilia oratoria; qui Scripturae loci huic idonei n. 524.

524. Homiliam oratoriam vocamus eam, quae a iusta oratione hoc tantum differt, quod argumenta omnia ex uno Scripturae loco eruit. Itaque talis homilia et materia et propositione una et simplex est: cuius utinam usus frequentior sit! Nam et praestantem, de quo supra, litterarum sacrarum usum habet, neque tamen caret ea vi, quae e iustae orationis artificio nascitur.

Ad hanc tractationem idonei sunt 1. illi Scripturae loci, in quibus unum aliquod sacrae doctrinae caput fusius exponitur *).

*) Huius generis loci sunt plurimi; primum in orationibus Christi ita ex Matth. 6 ostendes, *quare homo christianus divitias quaerere non debeat:* nempe 1. *quia incerta et brevis est possessio, cum coelestia bona certa sint et aeterna* (v. 19-21), 2. *quia cupiditas quasi veneno inficit mentem et per eam totam hominis vitam* (v. 22-24). 3. *quia a Deo seiungit et in scelera praecipitat* (v. 24), 4. Sequuntur, quae ad refutandas obiectiones valent, et altam illam christiani mentem ostendunt, curis et sollicitudine solutam et Deo soli vacantem. Similiter ex Matth. 11 ostenditur, *cur increduli excusationem non habeant;* ex Ioan. 6. *fructus Eucharistiae;* doctrina vero Ecclesiae *de fide, gratia charitate, praedestinatione* ex epist. ad Rom.; *de virginitate* ex 1 Cor. 7, *de resurrectione* ex 1 Cor. 15; *de excellentia Christi et eius sacrificio* ex epistola ad Hebr. depromi potest.

2. Plurimae narrationes, inprimis illae, quae

dogmata seu mysteria religionis tradunt; deinde parabolae *); tum etiam facta, quae per allegoriam exponi possunt **); postremo res gestae, quae gravem aliquam doctrinam declarant ***).

*) Parabolae plerumque per homiliam simplicem exponuntur, sed non est dubium, quin pleraeque etiam iustae orationis argumentum praebeant; ut *de filio prodigo, de bono pastore, de veste nuptiali, de vinea malis agricolis collocata.* Ad hoc genus referuntur etiam, quae, licet vere acciderint, in Scriptura tamen ad doctrinam aliquam ostendendam traduntur, ut *de Epulone et Lazaro, de Samaritano misericordi.*

**) S. Augustinus locum de iuvene, quem Christus in civitate Naim ad vitam revocavit, ad illos per allegoriam transfert, quos divina misericordia a peccati morte suscitat. Hanc et similes narrationes si bene consideres, occurrent argumenta, quibus et miseriam ostendas, ob quam criminosi ad Deum confugere debeant, et mitissimi Salvatoris clementiam, qui eos suscipit et sanat.

***) Res gestae, in quibus doctrina sive moralis sive dogmatica perhibetur, plurimae tum in vetere tum in novo Testamento narrantur. Satis est meminisse Adae, Caini, Noëmi, Abrahae, Iosephi, Davidis

Liber quintus

DE ELOQUENTIA CIVILI

CAPUT I.

DE LOCIS ELOQUENTIAE CIVILIS PROPRIIS

Quot sint; quae consideranda in lege n. 525; quotuplex praeiudicium n. 526; quid tabulae n. 527; qui testes fide digni; quibus rebus elidantur testimonia n. 528; quid de iureiurando n. 529; quid de fama n. 530; quid de tormentis n. 531.

525. Loci eloquentiae civilis proprii septem sunt: Leges, praeiudicia, tabulae, testes, iusiurandum, fama, tormenta *).

*) Multa, quae hoc capite tractamus, in nostris iudiciis usum nullum habent; cognoscenda tamen, ut veterum oratorum scripta intelligamus.

In *lege* considerari potest, primum quando et quomodo sit lata; deinde quae eius vera interpretatio; tum ut hucusque servata sit; postremo quanta illius utilitas necessitasque. Quaeritur etiam, num lex, quae profertur, nulli altiori sit contraria; num ad omnia tempora et personas extensa; annon usu, tacente magistratu, abrogata etc. Exempla habes pro Archia c. 4, pro Roscio Am. c. 43, pro Cluent. c. 57.

526. *Praeiudicium* vocatur sententia, quae aliquando in simili aut eodem genere, aut in ea ipsa, quae agitur, causa lata est.

1. Praeiudicium in genere simili profert Cicero: *Negant intueri lucem fas esse ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? Nempe in ea, quae primum iudicium de capite vidit M. Horatii.* Pro Mil. 3. Sed huiusmodi praeiudicia potius ad exempla referenda.

2. Quae sunt ex eodem genere, confirmantur praecipue duobus: auctoritate eorum, qui pronuntiaverunt, et similitudine rerum, de quibus quaeritur (v. pro Archia c. 5); refelluntur autem melius ex dissimilitudine causae, quam per contumeliam iudicum.

3. Ex iudiciis, quae ad ipsam causam pertinent, praeiudicii nomen datum est. Exemplum habes pro Mil. c. 5. *Sequitur illud, quod a Milonis inimicis saepissime dicitur, caedem, in qua P. Clodius occisus est, senatum iudicasse contra*

rempublicam esse factam. — Et cap. 6. *At enim Cn. Pompeius rogatione sua et de re et de causa iudicavit.* — Cf. orat. pro Cluentio paene totam. Qt. 5, 2.

527. Per *tabulas* intelliguntur omnia testimonia, vel documenta scripta et signata de rebus publicis et privatis: qualia sunt foedera publica et pacta privatorum, testamenta, commentarii actorum, expensi datique libri, et alia id genus. Exempla passim in Verrinis; pro Arch. 4.

528. In *testibus* generatim observandum est, num veritatem norint, et dicere velint. Itaque in his inprimis quaeritur auctoritas, quae in virtute inest maxime. Sed et ingeniosos et opulentos et aetatis spatio probatos, dignos, quibus credatur, putant; non recte fortasse; sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt, et qui iudicant, et qui aestimant. Top. 19.

Ad elidenda autem testimonia vel de toto genere testium, quam id sit infirmum, vel de singulis testibus dicendum est. Si de toto genere, ostendimus, quot sint causae, cur fallant et fallantur homines; argumenta rerum esse propria, testimonia voluntatum; utendumque est exemplis, quibus testibus creditum non sit. Contra singulos testes argumentamur vel a *personis*, si natura vani, si leves, si cum ignominia, si spe, si iracundia, si misericordia impulsi, si praemio, si gratia adducti; comparandique superiore cum auctoritate testium, quibus tamen creditum non sit: vel a *dictis;* saepe enim ea, quae dicta sunt, si aut inconstanter aut incredibiliter dicta sunt, aut etiam aliter ab alio dicta, subtiliter reprehendun-

tur: vel denique ab *aliis testibus* maioris aut saltem eiusdem auctoritatis, quos nos producimus. Part. 14.

Exempla: Divin. c. 4. *Deinde sunt testes.* — De suppl. 59. *Hic vide, quam me sis usurus aequo.* ibid. c. 64. *Iam mei testes veri sunt.* Pro Archia. c. 4. *Adest vir summa auctoritate.* — Contra testes: pro Coelio c. 8. *Aiebant enim fore testem;* et fuse pro Flacco a c. 4.

529. Licet *iuriiurando* apud omnes gentes maior adhibeatur fides *), generatim tamen quae de testibus dixi, iurantibus quoque accommodari possunt **).

*) Nullum, ait Tullius, vinculum ad astringendam fidem iureiurando maiores arctius esse voluerunt. Et certe in omni civitate collapsae religionis argumentum est parva iuramenti fides. De off. 3, 31.

**) Maxime hoc loco illud quod dicitur notandum: *Ubi semel quis periuraverit, ei credi postea, etiamsi per plures deos iuret, non oportet.* Pro Rab. P. 13.

530. De *fama* in utramque partem disputari potest, unde per se sola firmum argumentum non praebet. Eam enim pars altera consensum civitatis et velut publicum testimonium vocat; altera sermonem, sine ullo certo auctore dispersum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas. Qt. 5, 3. Vide pro Plancio c. 23, *Illud unum vos.*

531. Locus a tormentis sive quaestionibus non minus anceps et incertus est. Multis enim rationibus testimonia, quae dolor extorsit, infirmari possunt. Attamen fidem facere solent; si vel tormentis reus adduci non potuit, ut crimen fate-

retur, vel post quaestionem in facti confessione perseverat. Quamquam et tum in promptu est responsio; nam in aliis patientia facile mendacium facit, aliis infirmitas necessarium. Qt. 5, 4. Part. 14. Exempla pro Rosc. Amer. c. 41, pro Mil. c. 22.

CAPUT II.

DE GENERE IUDICIALI

Quot sint genera quaestionum n. 532; quid praestandum accusatori; quid defensori n. 533; quid translatio, excusatio et deprecatio n. 534; haec quomodo instituenda n. 535.

532. Tria sunt in iudiciis quaestionum genera; aut enim de facto quaeritur, aut de nomine, aut de iure. De *facto:* num scilicet res, quae in iudicium affertur, revera acciderit, ut *Rosciusne patrem occiderit*, et haec quaestio vel status *coniectura* vocatur. — De *nomine:* cum constat de facto, disceptari potest, num sit id, quod accusator criminetur. Ita negat Cicero *Ligarium et omnino Pompeianos reos esse sceleris.* Pro Lig. 6. Et hic status *definitio* appellatur. — De *iure:* si neque de facto, neque de rei appellatione ambigi potest, quaeritur tamen persaepe, num iure factum sit; ut: *iurene occiderit Milo Clodium.* Qui status *qualitas* aut *aequitas* dicitur. Part. 29, Qt. 3, 6.

533. Accusator igitur efficere debet, ut tria illa singula liqueant; sed tamen animo provide-

bit, quam potissimum partem reus sit defensurus, ut eam prae ceteris evincat. In confessis autem argumentari vel incerta relinquere aeque stultum est.

Reo ex tribus illis velut gradibus unus aliquis capiendus est, si plures non queat, ad resistendum. Optima sane defensio est, ipsum factum si neget; negabit autem vel omnino rem accidisse, vel a reo factam esse. Part. 29. Qt. 7, 2.

In *definitione* aut nullo alio nomine substituto totum crimen negatur, ut si *turbas, quas reus excitavit, negas seditionis nomine comprehendi;* aut aliud nomen editur, ut si obiicitur *sacrilegium*, dicatur *furtum* fuisse. Qt. 7, 3.

Cum *qualitatis* est quaestio, aut ipsum factum, quod obiicitur, dicimus honestum esse; aut factum, quod per se probari non potest, argumentis extrinsecus assumptis defendimus. In quo genere fortissimum est, si nostra defensio constet eius accusatione, qui vindicatur, ut si respondemus: *Occisus est*, sed *latro;* quod ἀντέγκλημα dicitur. Cf. Qt. 7, 4.

534. Si nihil horum defendi potest, tres alii modi superant: translatio, excusatio, deprecatio.

Translatio dicitur, cum causa rei in aliud transfertur. Transfertur autem vel in hominem, ut si tribunus militum id, quod obiicitur, iussu imperatoris fecisse dicatur; vel in rem, ut si is, qui testamento quid iussus non fecerit, dicat per legem id fieri non potuisse.

Excusatio tum proprie vocatur, cum qui rem, quae certo mala est, libera sponte fecisse negatur. Tria autem efficere possunt, ut actiones no-

strae non sint voluntariae: ignorantia, vis et repentinus animi motus. Ac perfecta quidem excusatio ab omni culpa liberat, imperfecta ex iisdem locis aut similibus culpam minuit. Semper tamen excusationi deprecatio coniungi solet.

Deprecatio, quae est sine ulla defensionis specie, rara admodum et apud eos solos iudices, qui nulla certa pronunciandi formula tenentur, locum habet *). Attamen in communi quoque iudicio, etiamsi non toto genere causae, tamen ex parte magna hic locus saepe tractatur. Nam et divisio frequens est, etiamsi fecisset, ignoscendum fuisse; idque in causis dubiis saepe praevaluit; et epilogi omnes in eadem fere materia versari solent. Qt. 5, 13; 7, 4.

*) Hinc Cicero: *Causas, Caesar, egi multas, et quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum; certe nunquam hoc modo:* Ignoscite, iudices; erravit, lapsus est, non putavit, si unquam posthac. *Ad parentem sic agi solet; ad iudices:* Non fecit, non cogitavit; falsi testes, fictum crimen. Pro Lig. 10. In senatu igitur et apud populum et apud principem, et ubicumque iuris clementia est, habet locum deprecatio.

535. Sic autem deprecatio instituenda est: primo crimen ipsum, si minus excusari, saltem minui aliquo modo debet; deinde tractantur ea, quae ad misericordiam et clementiam movere iudicem possunt *).

*) In deprecatione plurimum valet, *ex ipso*, qui reus est, si antea innocens, si bene meritus, si spes in futurum innocenter victuri, et in aliquo usu futuri, praeterea si vel aliis incommodis, vel praesenti periculo, vel poenitentia videatur satis poenarum dedisse; *extra*, nobilitas, dignitas, propinqui amici. *In eo tamen, qui cognoscit*, plurimum ponendum. si laus eum misericordis potius, quam reprehensio

dissoluti consecutura est. Qt. 7, 4. Denique cum crimen eiusmodi est, quod ignoscendum fuisse videatur, saepe orator ipsam *actionem*, quod inhumana sit, crudelis, superba incusare poterit. V. pro Lig. et pro Rab. perd. reo,

CAPUT III.

DE GENERE DELIBERATIVO

Quae huius generis officia; quae potissimum in re, de qua deliberatur, spectanda n. 536; quae in personis n. 537; pravi suasores quid agere soleant n. 538; quae in oratore maxime requirantur n. 539; quae in rei tractatione n. 540; adversa acclamatio quibus rebus excitari soleat; quibus sedetur n. 541.

536. Eloquentia, quae deliberationem spectat, officiis constat duobus, suadendi et dissuadendi. In utroque autem inprimis tria spectanda sunt: quid sit, de quo deliberetur; qui sint, qui deliberent; qui sit, qui suadeat.

In *re*, de qua deliberetur, quatuor potissimum considerantur, num fieri possit, num honesta, num utilis, num necessaria sit. 1. Si incertum est fierine possit, haec erit quaestio sola aut potentissima. Nam et si quid effici non potest, deliberatio tollitur, et saepe accidet, ut prius dicamus, ne si possit quidem fieri, faciendum esse; deinde, fieri non posse. Quae autem perdifficilia sunt, perinde habenda saepe sunt, ac si effici non possint. 2. Honestati subiiciuntur fas, iustum, pium, aequum, mansuetum, ceteraeque virtutes, quas cum laus et decus sua sponte sequantur,

honestum etiam pro glorioso habendum est. 3. Ad quaestionem utilitatis pertinet etiam, an sit facile, magnum, iucundum, sine periculo. Ex emolumentis autem et incommodis illa vim maximam habent, quae sic afficiunt rempublicam, ut ad singulos cives redundent. 4. Necesse id est, sine quo salvi liberive esse non possumus. Cum autem de necessitate attendemus, etsi aliquid non necessarium videbitur, videndum tamen, quam sit magnum. Quod enim permagni interest, pro necessario saepe habetur. Qt. 3, 8. Part. 24.

537. In *personis* intuenda sunt sexus, dignitas, aetas; sed mores praecipue discrimen dabunt.

Hominum enim, ait Cicero (Part. 25), duo sunt genera; alterum indoctum et agreste, quod anteferat semper utilitatem honestati; alterum humanum et politum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Cf. de or. 2, 82. Itaque huic generi laus, honor, gloria, fides, iustitia omnisque virtus; illi autem alteri, quaestus, emolumentum fructusque proponitur. Sapienter tamen Fabius (l. c.), si apud turpes recta obtinere conabimur, cavendum esse ait, ne videamur exprobrare diversam vitae sectam; necnon aliquanto etiam magis, quam laudem et utilitates, obiiciendos esse aliquos, si diversa fecerint, metus. Addantur etiam contumeliae atque ignominiae. Nemo enim est tam agrestis, quem non, si minus ipsa honestas, contumelia tamen et dedecus magnopere moveat *). Part. 26.

*) Ceterum et multa inter haec duo genera media interiacent, et homines fere nec tanto virtutis studio flagrant, quin, praesertim si res ardua proponitur, utilitatis quoque spe, et in-

commodorum metu permovendi sint; nec vicissim turpes adeo et perditi esse solent, quibus nullum honestatis sensum apta oratio excitare possit.

538. Qui vero inhonesta proponunt, utilitates exaggerant; non tamen inhonesta suadent ut inhonesta, sed dant illis deformibus colorem, idque etiam apud malos. Neque enim est quisquam tam malus, ut malus videri velit, et qui de re nefaria deliberat, id solum quaerit, quomodo quam minimum peccare videatur (Qt. ibid.). Itaque Catilina socios provocat *ad maxumum atque pulcherrumum facinus;* et ut per iustam indignationem agere videatur: *Ceterum*, inquit, *mihi in dies magis animus accenditur, cum considero, quae conditio vitae futura sit, nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem. Nam postquam respublica in paucorum ius atque ditionem concessit, semper illis reges, tetrarchae vectigales esse; populi, nationes stipendia pendere; ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, vulgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate, his obnoxii, quibus, si respublica valeret, formidini essemus... Quae quousque tandem patiemini, fortissumi viri? nonne emori per virtutem praestat, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere?* — Deinde composita per singula sua suorumque inopia cum aliorum opuléntia: *Quin igitur*, ait, *expergiscimini? En illa, illa, quam saepe optastis, libertas; praeterea divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt! fortuna omnia victoribus praemia posuit.* Sall. Cat. 20.

539. In *ipso iam oratore* requiruntur maxime auctoritas et scientia. Suadere enim aliquid aut

dissuadere, gravissimae est personae. Nam et sapientis est, consilium explicare suum de maximis rebus, et honesti et diserti, ut mente providere, auctoritate probare, oratione persuadere possit. Ad consilium autem de republica dandum, caput est, nosse rempublicam; ad dicendum vero probabiliter, nosse mores civitatis. De or. 2, 82. Cf. 1, 14.

Schol. Cicero quidem multum saepe queritur, causas ab iis suscipi agendas, qui ius civile ignorent, nobis autem id praeceptum, omni generi commune, hoc locum repetendum erat, quod, cum iudicia privatorum nostra aetate sint ad solos iuris peritos translata, in comitiis tamen et senatibus, ubi populorum salus et sacratissima humanitatis iura aguntur, ii saepe homines verba faciunt, qui et malo cultu pravisque opinionibus corrupti, et rerum, de quibus disceptatur, sunt imperitissimi.

540. Si iam de tractatione quaeritur, generatim tota oratio simplex et gravis, et sententiis debet esse ornatior, quam verbis; sed tamen hic quoque, ut alias, et personis accommodanda et rebus est. Multum enim interest, senatus sit, an populus, qui deliberet. In senatu minori apparatu agendum est; sapiens enim consilium est, multisque aliis dicendi relinquendus locus; vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio. Concio capit omnem vim orationis, et gravitatem varietatemque desiderat. De or. 2, 82. Cf. Part. 17. Nihilominus ita est rebus et temporibus oratio aptanda, ut etiam in senatu de rebus magnis interdum magnificentius et apud populum de rebus parvis breviter et summisse dicendum sit. Male igitur quidam putaverunt, huic generi semper

torrentem quandam et concitatam rationem dicendi convenire. Qt. 3, 8.

541. Postremo cum sint populares multi variique lapsus, vitanda est acclamatio adversa populi. Haec vero *aut* orationis peccato aliquo excitatur, si aspere, si arroganter, si turpiter, si sordide, si quoquo animi vitio dictum esse aliquid videatur; *aut* hominum offensione vel invidia, quae aut iusta est aut ex criminatione et fama; *aut* res si displicet; *aut* si est in aliquo motu suae cupiditatis aut metus multitudo.

His quatuor causis totidem medicinae opponuntur: tum *obiurgatio*, si est auctoritas; tum *admonitio*, quasi lenior obiurgatio; tum *promissio*, si audierint, probaturos; tum *deprecatio*, quod est infimum, sed nonnunquam utile. Nullo autem loco plus facetiae prosunt et celeritas, et breve aliquod dictum nec sine dignitate et cum lepore. Nihil enim tam facile quam multitudo a tristitia et saepe ab acerbitate commode ac breviter et acute et hilare dicto deducitur. De or. 2, 33.

ARTIS DICENDI

APPENDIX I.

DE PROGYMNASMATIS

Progymnasma, ut vocabulum ipsum indicat, praevia ad eloquentiam exercitatio est.

1. Intellexere enim eloquentiae magistri, ad iustae orationis tam difficile opus sensim pedetentimque esse adolescentulos parandos. Quia vero illae in singulis praeceptis exercitationes (n. 159), quod abruptae fere orationis particulae sunt, et taedium afferunt, nisi aliis intermixtis varientur, nec satis ingenii vires, ad inveniendum praesertim, intendunt; haecce progymnasmata invenere, quibus res quaepiam accuratius et uberius, non tamen ea copia et varietate, qua in oratione iusta, pertractatur.
2. *Aphthonius* rethor multa eiusmodi progymnasmata in usum discentium litteris consignavit: quorum nos aliqua, fabulam scilicet, narrationem et descriptionem alibi tractamus; ex reliquis tria praecipua, chriam, thesin et locum communem hic exponemus.

Art. I.

DE CHRIA

Chria definitur utilis tractatio dicti vel facti, vel utriusque simul, certis capitibus comprehensa.

Ex definitione colliges: 1. cur *chria* (χρεία) nominetur; quia scilicet doctrinam, quae dicto vel facto continetur, accommodate ad usum tractat; 2. *tria* esse *genera* chriae, quae vulgo appellantur verbalis, activa, mixta. *Verbalis* est, quae

sapienter dictum expendit, ut: *Nulla est honesta avaritia nisi temporis* (Sen.;) — *activa* quae in facto, quo doctrina quaepiam scite exprimitur, versatur, ut: *Pythagoras discipulos, ut loqui discerent, per quinquennium iussit tacere;* — *mixta* de facto exponit, cui praeclara sententia coniuncta est, ut cum *Diogenes meridie cum accensa lucerna forum obambulans, hominem a se quaeri, responderet:*

3. tractationem non fieri libere, sed per certos locos numero et ordine definitos.

Chriae autem capita octo sunt: *encomium*, quo dicti vel facti auctor laudatur; *paraphrasis*, qua sententia vel actio vel utraque uberius exponitur; *causa*, quae rationem rei reddit; *contrarium* et *simile*, quae eandem illustrant; *exemplum* et *testimonium*, quae auctoritate confirmant; *epilogus*, qui repetit et commendat.

1. *Encomium*, quod locum tenet exordii, sit proprium personae, quae laudatur, conveniens chriae totius proposito, breve ac modestum. — Si quando sententia auctoris est, qui reprehendi non minus, quam laudari meretur, aut utrumque facies, aut a re ipsa principium sumes, commendando sententiae aut facti vim, dignitatem, celebritatem.

2. *Paraphrasis* eo fere modo instituitur, qua periodum amplificandam docuimus (n. 46). Saepe igitur sufficit singula verba perpendere et varie explicare, ut in iis: *Omnia amicis communia sunt.* — *Audaces fortuna iuvat.* — Interdum sententiae membra consideranda, ut: *Donec eris felix, multos numerabis amicos.* — Aliquando negatione utemur, contrarium aut alienum sensum

reiicientes; ut: *Nihil est tam acerbum, ex quo magnus animus solatium capere non possit.* Dices: *Noluit Seneca omnem doloris et acerbitatis sensum magno animo auferre, noluit nos ut saxum aut sensu carentia simulacra ad iniurias inimicorum obrigescere, sed illud solum virtutis studiosis commendatum voluit, etc.* — Saepe denique sententia per figuram expolitionis tractatur; ut in exemplo infra posito.

3. In *causa* aut doctrinae veritas argumentis probatur, aut cum de ea ambigi non potest, ratio, cur ita res se habeat, ostenditur. Itaque non demonstratur, quod nemini dubium est, brevem esse vitam, sed causae, cur brevis sit, declarantur.

4. *Contrarium* affertur, quia, ut vulgo dicitur, contraria iuxta se posita magis illucescunt.

5. *Similitudo* quoque, si apta est, cum delectatione rem illuminat.

6. *Exempla* et *testimonia* probe selecta ostendunt, aliis quoque iisque dignis, quos audiamus, ita visum esse.

7. *Epilogus* vel totum per summa capita, vel praecipua firmamenta, vel denique solam doctrinam repetit cum exhortatione.

Hoc postremo in omni chria providendum est, ut singuli loci apte inter se copulentur. Transitiones autem huiusmodi vix sub artis praecepta cadunt, sed ab ipso, quod tractatur, argumento, naturaliter, non tamen sine sollertia scribentis ducuntur.

CHRIA VERBALIS

Cum optimo cuique poëtae propositum illud fuerit semper, ut misceret utile dulci, hoc est, ut delectando doceret, et docendo delectaret; neminem tamen adhuc legi poëtam hac in re immortali Virgilio comparandum. Ille enim non solum plerosque omnes ante se et post se latinos poëtas vincit elegantia, suavitate, iudicio, splendore, numero, delectuque verborum; non solum hoc habet, ut eius versibus perfectis ingenio, elaboratis industria nihil addi possit, nihil detrahi, nihil mutari; verum etiam, quod caput est, sententiarum gravitate et frugiferorum, quibus abundat, praeceptorum sapientia id assecutus est, ut vitae virtutisque magister haud immerito priscis videretur appellandus. Inter cetera vero documenta, ad vitam instituendam et ad mores informandos idonea, quibus aspersa sunt passim illius poëmata, saluberrimum inprimis est atque laudabile, quod ait Aeneidos libro decimo de brevitate temporis fluxaque et caduca mortalium vita:

.... Breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitae. v. 467.

Ita est profecto: tam exiguum tamque arctum vivendi curriculum nobis a natura circumscriptum est, ut vix bene lucem ingressis sit de huius mortalis mundi statione decedendum, et vita cum morte commutanda. Nihil nisi temporis punctum quoddam est caduca haec, quam tantopere deperimus, vita,

minimumque est ac paene nullum intervallum illud, quod ortum inter et occasum nostrum interiacet. Fugit retro levis hora, truditur dies die, praecipiti cursu fugaces anni sese mutuo pellunt, et adolescentiae senectus, senectuti mors obrepit improvisa semper et inopinata; quodque gravius est, cum semel effluxit brevissimum hoc vitae tempus tam irreparabilis est illius lapsus, ut nulla deinde possit ratione revocari.

Neque vero est cur adeo parvam temporis usuram nobis ad vivendum concessam iure merito conqueramur. Praeterquam enim quod vita, si scias uti, satis longa est, ea sane certa stabilique lege natos nos esse scimus, ut denique moriamur. Quis enim tam vecors esse potest, qui nesciat, hanc esse tristissimam peccati mercedem poenamque iustissimam, hanc esse mortalium conditionem ac sortem? humana omnia caduca esse et fluxa atque mobilia; nihil, quod ortum sit, sempiternum esse posse; definitum esse cuilibet certum quoddam breveque temporis spatium ad felicem in coelo vitam promerendam? Cumque olim amplioribus terminis circumscripta esset nostra haec mortalis vita, et in saecula bene multa propagaretur, eam, nostris flagitiis sceleribusque breviorem effecimus:

Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum. Od. 1. 3.

Contra vero cum semel post miserae huiusce vitae decursum terreni corporis contagione solutus erit noster animus, cum demum inter felices spiritus aevo sempiterno perfruemur in coelo: nulla

iam amplius pertimescenda nobis neque vicissitudo rerum, neque conversio temporum, nec aetatum commutatio; nullus iam erit neque horarum lapsus, nec fluxus dierum, nec annorum sibimet mutuo succedentium cursus. Sed eodem semper haerentes et felicitatis et temporis vestigio, stabili certaque beatitate, aeternis saeculorum aetatibus cum Deo ipso potiemur.

O nos igitur male cautos! O numquam satis deplorandam sortem nostram! si aeterna haec solidaque obliti nihil nisi umbras imaginesque consectemur. Si enim ex veritate magis, quam ex opinione res velimus aestimare, quid demum aliud est fragilis haec fugaxque vita, nisi levis quidam fumus, qui puncto temporis evanescit? nisi praeceps torrens, qui cum vano strepitu celeriter effluit? nisi flosculus brevi marcescens, qui mane oritur, vespere floret, et nocte cadit? nisi umbra quaedam et larva inanis, quae nostras effugit manus,

Par levibus ventis, volucrique simmillima somno?
Aen. 2, 497.

Testes hoc loco possem appellare ab omni memoria Christianos illos Heroes virosque sapientissimos, qui mirificam fugacis vitae brevitatem tot laboribus, tot vigiliis, tot indefessis curis redemptam compensarunt. Testes appellare possem tot virgines, tot viros principes, tot nobiles adolescentes, qui fragilem hanc rerum humanarum mobilitatem atque inconstantiam pertaesi, quaecumque apud caecos mortales prima putantur, pro nihilo duxere, et voluptatum illecebras, ac perniciosa rerum caduca-

rum blandimenta generosa quadam alacritate conculcarunt.

Hoc inculcare Corinthiis voluit divus Paulus, cum dixit: Tempus breve est. 1 Cor. 7. *Hoc ipsum nos admonet summus ille vir Iobus, dum afflatus divino Spiritu sic loquitur:* Breves dies hominis sunt. 14, 5. *Haec eadèm erat mens vel ipsi quoque Horatio, profano licet homini, cum amicum sapienter sic admoneret:*

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Ep. 1, 4;

et alio loco: Quid brevi fortes iaculamur aevo
Multa? Od. 2, 13.

Hoc denique sentiebat Phaedrus, cum in elegantibus suis fabulis hanc verissimam protulit vocem:

Abiturus illuc, quo priores abierunt;
Quid mente caeca miserum torques spiritum?
4, 17.

Cum igitur adeo breve tempus sit, adeoque irreparabile, relinquitur id unum, ut cogitemus etiam atque etiam, nihil esse loci socordiae, neque segnitiae; nobis inter tantas angustias nequaquam licere esse otiosis; miseros esse, qui se per summam incuriam re una omnium pretiosissima defraudari patiuntur. Restat denique id unum, ut cum celeritate temporis utendi celeritate certemus, et tamquam ex torrente quodam, qui rapide dilabitur, celeriter hauriamus.

Schol Nonnullis chria minus idonea esse videtur, qua adolescentes exerceantur: propterea quod illa eorundem locorum series et status ordo qua vim faciat ingeniis, qua scholae laborem redoleat. Verum est, quod dicunt: haec chria et ingeniis vim facit, et laborem facile ostendit. Sed si propterea minus apta est, qua scriptor vel orator, cum res serio agitur, utatur; ea tamen ipsa de causa probatur tanquam scholastica, sive, ut ait Cicero, umbratilis exercitatio. Luxuriari enim adolescentium ingenia solent, et ordinis impatientia in omnem facile partem effundi. Constringantur ergo pro tempore etiam aliquanto nimium, ut certo et meditato ordine sensa sua expromere discant. Et si quis, quod utique maxime per aptas transitiones fieri potest, in ipsa chria artem tegere didicerit, is multo facilius, cum hac lege fuerit solutus, laborem abscondet. Neque tamen huic uni generi adolescentes diutius vacent, sed et alia scriptio non raro interponatur, et, cum aliquantum fuerint exercitati, eam tentare poterunt, quam nonnulli chriam liberam dixerunt.

Libera igitur *chria* ex octo illis partibus necessarias quidem semper servat, reliquis autem pro re nata utitur vel non utitur, illoque eas ordine collocat, qui magis idoneus videatur. — Porro necessarias partes tradunt tres: *exordium*, quod non semper encomium habet, sed quovis e loco duci potest; *causam*, quam ut partem praecipuam singulari cura tractari iubent; et *epilogum*. Quidquid ex reliquis locis assumitur communi nomine *amplificationis* venit.

Itaque haec libera chria nihil admodum differt ab oratiuncula aut brevi disputatione; et quoniam id genus apud oratores invenitur, *oratoria* etiam aut *Ciceroniana* chria dicitur; prior autem illa, certis capitibus inclusa, ab auctore suo *Aphthoniana* nominatur

CHRIA LIBERA

In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum. (Parad. 2 .)

Exordium ab exemplis. *Nec vero ego M. Regulum aerumnosum, nec infelicem, nec miserum unquam putavi. Non enim magnitudo animi eius cruciabatur a poenis, non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique animus ipse: qui tot virtutum praesidio, tantoque comitatu, cum corpus eius caperetur, capi certe ipse non potuit. Caium vero Marium vidimus: qui mihi secundis rebus unus ex fortunatis hominibus, adversis unus ex summis viris videbatur; quo beatius ess mortali nihil potest.*

Causa. *Nescis, insane, nescis, quantas vires virtus habeat. Nomen tantum virtutis usurpas, quia ipsa valeat, ignoras. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se una sua ponit omnia. Cui spes omnis et ratio et cogitatio pendet ex fortuna; huic nihil potest esse certi, nihil, quod exploratum habeat permansurum sibi unum diem. Eum tu hominem terreto, si quem eris nactus, istis mortis aut exilii minis. Mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate, ne recusanti quidem evenerit, non modo non repugnanti. Quid enim ego laboravi, aut quid egi, aut in quo evigilaverunt curae et cogitationes meae; siquidem nihil peperi tale, nihil consecutus sum, ut in eo statu essem, quem neque fortunae temeritas, neque inimicorum labefactaret iniuria? Mortemne mihi*

minitaris, ut omnino ab hominibus, an exilium, ut ab improbis demigrandum sit? Mors terribilis est iis, quorum cum vita omnia extinguuntur, non iis, quorum laus emori non potest. Exilium autem illis, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus; non iis, qui omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt.

Amplificatio a contrario. *Te miseriae, te aerumnae premunt, qui te beatum, qui florentem putas; tuae libidines te torquent; tu dies noctesque cruciaris, cui nec sat est, quod est, et id ipsum, ne non sit diuturnum, times; te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum; te metus exanimant iudiciorum atque legum; quocumque adspexisti, ut furiae, sic tuae tibi occurrunt iniuriae, quae te spirare non sinunt.*

Conclusio. *Quamobrem ut improbo et stulto et inerti nemini bene esse potest; sic bonus vir et fortis et sapiens miser esse nemo potest. Nec vero, cuius virtus moresque laudandi sunt, eius non laudanda vita est; neque porro fugienda vita, quae laudanda est. Esset autem fugienda, si esset misera. Quamobrem quidquid est laudabile, idem et beatum et florens et expetendum videri debet.*

Art. II.

DE THESI

Thesis vocatur quaestio nullis certis personis, locis aut temporibus notata, ut: *Sintne poëtae reipublicae utiles?* — Huiuscemodi ergo quaestio exercitationis causa tractatur ad modum chriae liberae.

Hinc non est, cur fusius de ea hoc loco praecipiatur. Illud tamen in universum monent, utilissime adolescentes in his quaestionibus exerceri, quippe quarum usus in dicendo tam frequens est, ut eas orator, si Ciceronem audias, percursas animo et paene decantatas habere debeat. De or. 2, 32.

EXEMPLA

Nemo orator nisi vir bonus (Qt. 12, 1).

Sit ergo nobis orator, quem instituimus, is, qui a M. Catone finitur, vir bonus, dicendi peritus. *Verum id, quod ille posuit prius, etiam ipsa natura potius ac maius est utique* vir bonus. *Id non eo tantum, quod si vis illa dicendi malitiam instruxerit, nihil sit publicis privatisque rebus perniciosius eloquentia; nosque ipsi, qui pro virili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati sumus, pessime mereamur de rebus humanis, si latroni comparemus haec arma, non militi. Quid de nobis loquor? Rerum ipsa natura in eo, quod praecipue indulsisse homini videtur, quoque nos a ceteris animalibus separasse, non parens, sed noverca fuerit, si facultatem dicendi sociam scelerum, adversam innocentiae, hostem veritatis invenit. Mutos enim nasci, et egere omni ratione, satius fuisset, quam providentiae munera in mutuam perniciem convertere. Longius tendit hoc iudicium meum. Neque enim tantum id dico, eum, qui sit orator, virum bonum esse oportere: sed ne futurum quidem oratorem, nisi virum bonum. Nam certe neque intelligentiam concesseris iis, qui proposita honestorum ac turpium via, peiorem sequi malint: neque prudentiam; cum in gravissimas frequenter legum, semper vero malae conscientiae poenas a semetipsis*

improviso rerum exitu induantur. Quod si neminem malum esse, nisi stultum eundem, non modo a sapientibus dicitur, sed vulgo quoque semper est creditum; certe non fiet umquam stultus orator. Adde quod ne studio quidem operis pulcherrimi vacare mens, nisi omnibus vitiis libera, potest: primum quod in eodem pectore nullum est honestorum turpiumque consortium: et cogitare optima simul ac deterrima non magis est unius animi, quam eiusdem hominis, bonum esse ac malum. Tum illa quoque ex causa, quod mentem tantae rei intentam, vacare omnibus aliis, etiam culpa carentibus, curis oportet. Ita demum enim libera ac tota, nulla distringente atque alio ducente causa, spectabit id solum, ad quod accingitur. Quod si agrorum nimia cura, et sollicitior rei familiaris diligentia, et venandi voluptas, et dati spectaculis dies, multum studiis auferunt (huic enim rei perit tempus, quodcumque alteri datur); quid putamus facturas cupiditatem, avaritiam, invidiam? quarum impotentissimae cogitationes somnos etiam ipsos, et illa per quietem visa perturbant. Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens. *Nam et cum insidiatur pectori, spe, curis, labore distringitur: et jam cum sceleris compos fuerit, sollicitudine, poenitentia, poenarum omnium exspectatione torquetur. Quis inter haec litteris, aut ulli bonae arti locus? Non hercle magis quam frugibus in terra, sentibus ac rubis occupata. Age, non ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas? Quid igitur ex libidine ac luxuria spei? Non praecipue acuit ad cupiditatem litterarum amor laudis?*

Num igitur malis esse laudem curae putamus? Iam hoc quis non videt, maximam partem orationis in tractatu aequi bonique consistere? Dicetne de his secundum debitam rerum dignitatem malus atque iniquus? Denique, ut maximam partem quaestionis eximam, demus id, quod nullo modo fieri potest, idem ingenii, studii, doctrinae pessimo atque optimo viro: uter melior dicetur orator? Nimirum qui homo quoque melior. Non igitur unquam malus idem homo, et perfectus orator.

Alia exempla invenies: pro Archia c. 6-8. De utilitate et honestate litterarum. Pro Mil. c. 3 et 4. De moderamine inculpatae tutelae. Pro Marc. c. 2. De clementia. Pro Sex. Rosc. c. 20. De iniquis accusatoribus. Multa alia in eiusdem Ciceronis paradoxis et dialogis, eaque imitationi perquam idonea, ut: Quare pauci sint praestantes oratores. De or. I. c. 2-6. De senectute non misera, quod viribus careat. De sen. c. 6.

Art. III.

DE LOCO COMMUNI

Locus communis, si ut progymnasma consideratur, definiri solet: Oratio, facinus multis commune laudans aut vituperans. Verbis *facinus multis commune* nihil aliud significatur, quam genus, ad quod singulare factum, de quo quaeritur, revocari potest. Exposuisti de facto seditiosi hominis; iam orationem traducis ad seditionem generatim, ex eiusque natura et effectis scelus hominis exaggeras.

In hoc igitur thesis et locus communis conveniunt, quod quaestionem tractant generalem; in eo autem differunt, quod thesis demonstrat, locus communis amplificat.

Itaque in thesi generalis quaestio argumentis firmatur, ut ex illa inferri possit, quid de causa propria seu finita iudicandum sit; contra in loco communi, re singulari iam demonstrata, universi generis, ad quod illa pertinet, vis explicatur, ut inflammentur animi. Ideo locum communem ait Aphthonius exordio carere, cum sit ipse velut epilogus.

Ad pertractandum locum communem certa quaedam capita proponi solent, scilicet: 1. *A contrario*, si agitur, ut eodem exemplo utar, de seditioso; expones bonum pacis et concordiae. 2. *Ab expositione*, — earum scilicet rerum, quae cum tali delicto coniunctae esse solent. 3. *A comparatione* — cnm aliis criminibus. 4. *A sententia* — i. e. a mente et consilio, quo facinus patratum est. 5. *A digressione coniecturali* — praesertim in delicta. quae tale scelus antecedere solent. 6. *Ab exclusione misericordiae.*

Sic ultimum locum nominat Aphthonius accusationem respiciens, urgendos monet esse iudices ad severam sententiam per argumenta ab honesto, iusto, utili, etc. Unde patet, hoc postremum caput generatim eo spectare, ut ipsae iam voluntates audientium impellantur, ad severitatem, cum accusas, ad misericordiam, cum defendis; vel extra civilem eloquentiam ad imitandum egregium, ad detestandum turpe facinus. Qui enim loci contra vitium valent, iidem valent ad ornandam virtutem, singulis in contrariam sententiam tractatis.

Multiplex autem huius loci usus est in omni genere dicendi, ut facile tua sponte videris, et exempla Ciceronis, maxime in Verrinis, ostendunt: vide De sign. c. 27-53, c. 33-36, c. 48-51. De suppl. per totum illum locum de classe amissa c. 31-50, et de Gavio c. 61-67.

Art. IV.

DE EXEMPLO

Per exemplum hic intelligitur oratio, in qua insigne factum narratur, et doctrina ex eo deprompta cum amplificatione subiicitur.

Hoc orationis genus, quod duo progymnasmata, narrationem scilicet et locum communem coniungit, non solum ad exercendos tirones aptum est, sed usum etiam in ipsa eloquentia sacra habet.

Sit ergo inprimis factum, quod assumitur, non probatum modo, verum etiam illustre, ut suo pondere moveat; et idoneum, quo gravis aliqua doctrina ostendi et commendari possit.

Partes autem exemplum habet tres: exordium, narrationem et amplificationem.

Exordium potissimum petitur a quatuor locis: a persona, de qua narratur, a doctrina, quae facto significatur, ab audientium adiunctis, a contrario.

1. De persona vel doctrina ea dicenda sunt, quae propositum iuvent, sed tamen restricte et leniter.

2. De adiunctis eorum, qui audiunt, attinguntur, quae aviditatem audiendi excitare possunt.

3. A contrario principium sumitur, ut exemplo utar, cum factum narraturus, quo Dei iustitia revelatur, a misericordia dicere incipis.

Narrandum est ornate (n. 196), sed apposite ad fructum, quem quaerimus: ad eundem etiam accommodandi digressus, qui et utiles et iucundi esse solent.

Amplificatio fere fieri potest per locum communem, de quo paulo ante praecepimus: neque tamen sex illa capita omnia aut eodem semper ordine percurrenda sunt.

Exempla habes in Verrinis, maxime in ll. 4 et 5.

APPENDIX II.

EXHIBENS NONNULLARUM ORATIONUM SYNOPSES

I.

DEMOSTHENIS PHILIPPICA PRIMA

Argumentum. Athenienses per socordiam, qua bellum contra Philippum gerebant, magnis denuo incommodis affecti, animo fere cadentes de rebus agendis consultant.

Finis orationis. Excitare Athenienses ad bellum strenue gerendum.

Exordium simplex et breve. Quoniam non de re nova, sed de eadem, de qua saepe antehac, agitur, Demosthenes iuvenis etiam primum surgens, veniam sperat; nam si alii recta suasissent, non esset, cur de novo consultaretur.

Propositio. Bellum contra Philippum non ut adhuc, sed strenue gerendum est.

Partitio. Pars I. Generalibus argumentis propositio confirmatur.

Pars II. Docetur, in quibus rebus illud « *strenue non ut adhuc* » repositum sit.

Pars III. Ostenditur, quid sperandum sit, si, quae (in parte II) proposita sunt, Athenienses

exsequantur: quid timendum, si pergant rem gerere, ut hactenus.

Notandum I. Per totam orationem argumenta sunt duplicis generis: aliis probatur, Athenienses posse vincere; aliis eos certo victum iri, si in socordia persistant.

Notandum II. Nec propositionem nec partitionem orator enuntiat; sed propositionem mox in primis argumentis, et partes, cum transit, aperte indicat.

CONFIRMATIONIS PARS I.

Duo obstacula erant vincenda, scilicet defectio animi et socordia; itaque orator adhibet consolationem et reprehensionem: prudenter vero a priore incipit.

I. *Consolatio.* Athenienses non debent desperare, sed bono animo esse, nam:

1. Praesens rerum status malus est ipsorum culpa (nota *paradoxum*); nuper vero Graeciam servarunt, contra Lacedaemonios rem strenue gerentes: ergo nihil iis vigilantibus formidabile; socordibus autem nihil ex voto succedit (Πρῶτον μὲν οὖν).

2. Exemplum Philippi. Olim omnem, ob quam nunc Philippum timent, potentiam Athenienses habebant; si ergo Philippus tum eo, quo nunc Athenienses, animo fuisset, nihil egisset. Sed ille quidem probe noverat, vigilanti et laboranti obtingere res, quae negligentibus pereunt. Itaque etiam Athenienses, modo inertiam et levitatem exuant, rem prospere gerent (Εἰ δέ τις ὑμῶν).

3. Multi Philippum oderunt, metuunt, invident; qui nunc ideo tantum silent, quoniam per tarditatem Atheniensium non habent, quo refugiant (Μὴ γὰρ ὡς θεῷ).

II. *Reprehensio.* (Hanc orator ultimo praesertim argumento praeparaverat).

1. Ostenditur Philippi insolentia et superbia ad affectum pudoris (Ὁρᾶτε γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸ πρᾶγμα.).

2. Augetur affectus idem, cum orator per *hypotyposin* et *dialogismum* Athenienses in foro ambulantes et nugantes describit (Ἢ βούλεσθε, εἰπέ μοι).

Transitio perfecta et aperta per distributionem (Ὡς μὲν οὖν), deinde

petit, ne iudicent antequam omnia audierint (δεηθεὶς ὑμῶν).

PARS II.

Tria proponit: copias idoneas parare, certam instituere rationem pecuniarum, et meliorem modum belli gerendi observare; adiiciens rationes, quibus haec fieri posse et debere evincit.

I. *Copiae.* — 1. Paranda est classis 50 triremum, quae domi maneat, opportuno tempore excursura: nam aut eam timet Philippus et quiescet; aut negliget et incautus opprimetur. Probat idem ex ante gestis (Πρῶτον μὲν τοίνυν.).

2. Parandus alius exercitus, qui continue Philippum infestet. Poscit orator 2000 peditum et 200 equites, quorum autem quarta pars ex civibus constet (Πρὸς δὲ τούτοις δύναμίν τινά).

3. Addit rationes: *a*) Non maiorem exercitum

iubet, quod Athenienses iam non collatis signis, sed per insidias hostem aggredi debent. — *b*) Cives autem militare iubet, quia quamdiu id fecerunt, omnia prospere, ex quo peregrinis uti coeperunt, omnia pessime gesta sunt.

Subiicit in *affectum pudoris reprehensionem*, quod nec duces habeant, unde stipendia solvant, nec adsint cives, qui illis invigilent; imo duces electi ne emittantur quidem, sed domi pompas ducant. Nota similitudinem puparum (Τοσαύτην μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι).

II. *Pecuniarum ratio.* — *Transitio* rursus aperta et per distributionem (Ἴσως δὲ ταῦτα.).

1. Exponit *quantae* pecuniae requirantur (Χρήματα τοίνυν).

2. Unde petendae sint (Πόρου ἀπόδειξις).

III. *Modus belli gerendi.* — Provideant tempus anni opportunum, ut et aggredi Philippi regionem et commode hiemare possint (Δοκεῖτε δέ μοι).

PARS III.

Tria obstabant, quominus Athenienses ea, quae orator suaserat, rite exsequerentur; primum nihil tempore parabant nec agebant; alterum, ipsi domi manentes duces male instructos emittebant, et postea temere iudicabant; tertium, in quo discrimine res versarentur, non providebant. Contra haec iam Demosthenes dirigit orationem; agit autem per affectus spei, pudoris, timoris: proinde in hac parte ea, quae in prima generatim dixerat, iam accommodate ad haec singula vitia emendanda pertractat.

I. Si Athenienses omnia prompte parant, quae Demosthenes proposuit, et Philippo maxima emolumenta intercipient (scilicet quae socios Atheniensium praedans capit), et ipsi mala non amplius patientur, ut cum Philippus cives, pecuniam, ipsam sacram triremem abduxit. — Nota iam affectum pudoris. (Ἂν ταῦτα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι).

1. *Illustrat hoc dissimilitudine* · In festis Atheniensium omnia ordine et tempore geruntur, quia in ea nihil non diu ante accurate definitur, et etiam magnis impensis paratur; in bellum autem gerendum nihil tempore, sed post eventa cognita ordinatur, rerum gerendarum occasione elapsa. — (Nota, quam graviter, dum probat intentum, simul reprehendat; figurae *synonymiae* et *hypotyposis*). (Καίτοι τί δήποτε).

2. *Auget affectum pudoris* ex insolentia Philippi, quam eius ad *Euboeenses epistola* ostendit, et similitudinibus, altera a duce, qui milites sequi cogitur, altera a barbaris pugilibus; cui subiicitur rursus *hypotyposis* Atheniensium post Philippum sibi nocentem turpiter currentium (ὁ δ' εἰς τοῦθ' ὕβρεως ἐλήλυθεν).

II. Ad alterum *transit* ostendens illa turpi socordia in ipsum rerum discrimen ventum iam esse, et ex bello, quod ad Philippum ulciscendum coeptum sit, iam perniciem Athenis imminere. Subiicit per interrogationes acrem exhortationem, ut ipsi militent (Ταῦτα δ' ἴσως πρότερον).

Probat aliter bellum feliciter geri non posse. Si Athenienses domi sedentes et oratores auscultantes ducem peregrinorum cum decretis et spe concionali, sine pecuniis omittunt, nec ipsi inter-

sunt rebus gerendis, hostis ridet, socii timent, duces foras nihil agunt et Athenis temere iudicantur. (Nota acrem *expositionem*, quae rem egregie demonstrat et pudorem injicit vehementem.) (ἂν μέντοι καθώμεθα οἴκοι).

III. Serio cogitandum est de vero rerum statu. Hic eos, qui de Philippi consiliis circa alios coniecturas faciant, perstringens, admonet orator id unum Athenienses considerent, hominem esse ipsis inimicissimum, qui nisi praeveniatur, in Atticam bellum translaturus sit; unamque salutem superesse, si rebus gerendis intenti fuerint (Ὑμῶν δ' οἱ μέν περιιόντες). (Nota *adiunctorum congeriem* et gravem conclusionem: οὐ γὰρ ἄττα ποτ' ἔσται).

Peroratio. Protestatur orator se noluisse ad gratiam loqui, etiamsi haec dicendi libertas sibi fortasse profutura non sit; eo quod neglectis privatis suis incommodis salutaria civibus suis suadere maluerit (Ἐγὼ μὲν οὖν ἄλλοτε).

II.

EIUSDEM DE REBUS CHERSONESI ORATIO

Argumentum. Chersonesus Thracia antiqua fuit possessio Atheniensium. In eam igitur cum vetere more suo misissent colonos sub duce Diopithe, reliqui Chersonesitae hos receperunt, Cardiani autem repulerunt, et, cum ideo bello a Diopithe peterentur, ad Philippum confugere. Qui cum ab Atheniensibus per legatos nihil obtinuisset, Cardianis auxilia misit. Id graviter ferens Diopithes maritimam Thraciam, Philippo su-

biectam, infestare coepit. Philippus, qui tum in superiore Thracia bellum cum Odrysiorum rege gerebat, Diopithem apud Athenienses accusavit, quod pacem violaret. Itaque oratores φιλιππίζοντες in Diopithem graviter invecti, supplicium de eo sumi, exercitum dissolvi, aut vi cohiberi iubent. Sed iis adversatur Demosthenes, suadens ut exercitus Diopithis non solum non dissolvatur, sed etiam augeatur et omni ratione iuvetur; in ipsum autem Philippum bellum magna virium contentione geratur.

Notandum I. Propositum non est, personam Diopithis defendere, sed bellum, quod ab ipso gerebatur, suadere.

Notandum II. Quia igitur non causam Diopithis, sed causam reipublicae et totius Graeciae agit, orator in praesenti de Chersoneso quaestione non se continet, sed bellum contra Philippum necessarium esse ex statu reipublicae universo demonstrat. Atque hinc oratio in duas partes dividitur.

Notandum III. Tria impedimenta oratori superanda erant: 1. dolus Philippi, qui cum bellum gereret, pacem simulabat; 2. fraudes oratorum, qui Athenienses causis civium a bello in Philippum gerendo distinebant; 3. Atheniensium ipsorum socordia et levitas. — In utraque orationis parte his tribus rebus argumenta accommodata sunt.

Exordium. A ratione generali, quam deliberantes sequi debeant, incipiens, orator mox, qui verus sit quaestionis status declarat. Nempe: Tum oratores, tum certe Athenienses ipsi in consultationibus nullo alio quam boni communis studio

duci debent; sed cum iam causa agatur Chersonesi et Philippi, orationes fiunt de Diopithe. Et huius quidem causa differri potest, cum semper in potestate Atheniensium sit, in eum animadvertere: at causa Philippi differri non potest, quippe qui, nisi nunc arceatur, postea arceri nequeat.

Propositio (quae in fine exordii significatur): exercitus Diopithis non est dissolvendus, sed augendus et iuvandus, ac generatim bellum contra Philippum magna contentione gerendum.

PARS I.

Ut priorem partem propositionis evincat, orator ea, quae adversarii in causa Diopithis protulerant, diluit, non eo spectans, ut Diopithem a supplicio vindicet, sed ut illorum consilia reipublicae perniciosa et a mala fraude profecta esse ostendat.

Argumentum I. Philippo dudum bellum inferente Athenienses pacem servare non possunt.

Argumentatio: Dicunt, aut simpliciter bellum aut pacem suadendam esse. Certe si Philippus quiescit, simpliciter pax servanda est; sed si Philippus dudum bellum facit, nihil relinquitur, nisi ut nos defendamus. Porro a Philippo iam ante Diopithis profectionem bellum instauratum esse, decreta Atheniensum ipsorum edicunt. Πολλὰ δὲ θαυμάκων.

Refutatio: Si dixerint, Philippum, quamdiu ab Attica abstineat, bellum non facere; primum non ferenda dicunt; deinde sibi ipsi adversantur, cum Diopithem, Thraciae oram infestantem, quod bel

lum Philippo inferat, accusant. (Πλὴν εἰ μὴ τοῦτο λέγουσι.)

Argumentum II. Dato, vera esse, quae Diopithi obiiciuntur (scilicet quod socios depraedetur, etc. etc.), tamen non est dissolvendus eius exercitus, quia id reipublicae periculosum.

Argumentatio syllogismo continetur: *Maior:* Ideo semper respublica detrimenta accipiebat, quod Philippus exercitum perpetuum paratum habens tempestive agebat; Athenienses contra. — *Minor:* Atqui oratores isti in praesenti causa nihil aliud agunt, quam ut hoc idem accidat. Nam 1. Philippus exercitum in Thracia habens et continue augens, si exspectatis etesiis Byzantium aggreditur, nos hinc navigare non poterimus, in Chersoneso autem exercitum non habebimus.

2. Philippus, ut ex eius epistola coniici potest, in animo habet Chersonesum invadendi; quid igitur faciemus, si exercitus Diopithis dissolutus fuerit? — (Nota *subiectionem*, *dialogismum*).

3. Si Hellespontus nunc destituitur, Philippus Chalcidem et Megaram aggredi, et ita bellum in Atticam transferre potest. — (Nota in his tribus argumentis *gradationem*).

Conclusio cum *amplificatione*. Concludit exercitum Diopithis non solum non dissolvendum sed augendum et copiose instruendum esse.

Amplificat 1. argumento a *dissimili:* Philippus vel maxime desiderat, ut ille exercitus dissolvatur: atqui quod Philippus optat, id nos faciemus? (Nota *dialogismum*).

2. Reprehensione Atheniensium, qui cum pro sua socordia nullum officii munus exsequuntur,

ineptis accusationibus et calumniis aures praebent. — (Nota in hoc praestantissimo loco *a*) rerum vim et gravitatem; *b*) conglobationem; *c*) repetitionem felicissime per *dialogismum* introductam; *d*) *licentiam* prudenter praeparatam et sensim auctam; *e*) elocutionis vigorem et mixtas acerrimas figuras). (Ἀλλὰ νὴ Δία ταῦτα μὲν ἐξελέγχονται).

Argumentum III. Accusationis illius (quam in argumento II transmisit) ratio talis est, ut oratorum malam fidem et Atheniensium summam levitatem manifestet.

1. Manifestat oratorum malam fidem quia *a*) iniqua est. Omnes enim Atheniensium imperatores a civitatibus Asiae largitionis nomine pecunias accipiunt; Diopithes, cum a nobis non accipiat, idem facere cogitur. *b*) Cum in Diopithem, si quid deliquerit, sufficiant leges et mandata, isti iubent classem mitti, quae eum custodiat; i. e. suadent, ut Athenienses non in hostes sed in se ipsos bellum parent. (Πάντες ὅσοι πώποτ᾽ ἐκπεπλεύκασι).

2. Manifestat Atheniensium levitatem sive potius ignaviam et mollitiem. Nam Athenienses, si civis quispiam malorum auctor dicitur, acclamant; si Philippus, convinci nolunt: scilicet iam graves in foro, in bello leves, accusari eum, in quem potstatem habent, gaudent; illum vero, qui armise superandus est, hostem probari, aegre ferunt. — (Nota *ethopoieam* cum *prosopopeia*; *licentiam*, rursus prudenter temperatam).

Affectum pudoris auget gravissima figura, universam Graeciam inducens, quae exprobret Atheniensibus, quod toties omnes, ut a Philippo sibi caverent, hortati, ipsi tamen, cum plures oppor-

tunitates nacti essent, nihil usque adhuc ad illum coërcendnm egerint (Καὶ τὸ μὲν τούτων τινὰς εἶναι τοιούτους)).

PARS II.

In hac parte orator tria, quae ad propositum suum, ut supra notatum est, pertinent, Atheniensibus persuadere conatur, scilicet:

I. *Philippus pro capitali hoste habendus est.*

1. Urbi et singulis civibus eum infensum esse, iam patet; maxime vero odit liberae reipublicae formam. Nam, quamdiu haec subsistit, omnes, quos oppresserit, habent, quo confugiant.

2. Omnia, quae molitur, adversus Athenas molitur. Tot labores, tot pericula non subit, ut vilissimis Traciae rebus sed ut per eas Athenis potiatur. (Πρῶτον μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦτο παρ' ὑμῖν).

II. *Apparatus belli* et ante omnia *perpetuus exercitus* parandi sunt.

Res difficilis, attamen suscipienda, 1. quia necessaria est ad extremam ignominiam vitandam. *Probatur comparatione a minori:* Si reliquis tantum Graecis servitus immineret, turpe foret, hos destituisse; quanto magis, cum ipsi Athenienses urgeantur. Liberis hominibus rerum gestarum pudor summa est necessitas. (Τί οὖν εὖ φρονούντων ἀνθρώπων ἐστίν;) (Nota in hoc loco *affectum timoris* et *pudoris*, laude temperatum; *interrogationem* et *subie ctionem*).

2. Neque pax dulcis cum perniciem affert, nec belli labores et sumptus graves videri debent, cum ad salutem sunt necessarii. (Πάντα τοίνυν τἆλ-

λ' εἰπὼν ἂν ἡδέος). (Nota praeclaram *ethopoeiam* malorum oratorum et *contraposita*).

3. Si cessant a bello, iam non ignominia, sed excidium imminet. — Si Athenienses nunc pravis oratoribus credunt, a Philippo non moveri bellum; Philippus ipse hoc certe negabit, donec in agro Attico versetur; atque si in Attica erit, iam non servitus, sed excidium imminet; probe enim scit Philippus Athenienses neque velle neque posse servire. (Εἰ μέντοι βουλόμεθ' ἡμεῖς).

III. *Oratores* qui Philippo patrocinantur, *puniendi* sunt.

Probatur: Alios Philippus beneficiis in servitutem vafre pellexit (quod ostenditur exemplis); vos aperte defraudavit (quod ostenditur factis); atqui hoc ideo, quia apud illos securum non erat, pro Philippo dicere (enumeratio); Athenis vero, Philippo undique hostiliter adoriente, securum est pro eo verba facere. (Ὡς οὖν ὑπὲρ τῶν ἐσχάτων ὄντος)

Augetur: Hinc accidit ut illi quidem ditiores et nobiliores, vos pauperiores et ignobiliores fieretis. (Τοιγάρτοι τούτων μὲν ἐκπτωχῶν ἔνιοι).

Refutat 1. eos, qui sibi ignaviam exprobrant: affirmans se istis multo fortiorem esse.

Probat: Non is fortis est, qui neglecta publica utilitate, lites movet; quippe ita gratiae vestrae certus est; sed ille fortis est, qui vestris voluntatibus adversans semper optima suadet, et consiliorum suorum rationem reddere paratus est; atqui ego cum de multis pro republica gestis gloriari possem, de hoc uno glorior, ea semper consuluisse, quibus non ego, sed vos potentia et gloria augeremini. (Εἶτά φησιν, ὃς ἂν τύχῃ παρελθών).

2. Eos, qui ipsum optima dicere, sed nihil agere criminentur.

Respondet: oratoris esse, optima dicere, populi exsequi. Quod *illustrat* exemplo Timothei, qui cum contra Thebanos egregie dixisset, Athenienses rem. prospere non gesserunt, nisi eo, quod illius consilium prompte secuti sunt. (Ἤδη τοίνυν τινὸς ἤκουσα καὶ τοιοῦτόν τι λέγοντος).

Perorat 1. breviter et simpliciter *repetens*, quae suadeat; 2. *affirmans*, si haec egerint, meliora sperari fas esse; sin, ut hactenus, laudent quidem bona consilia, non vero exsequantur, in nullius oratoris sermone salutem positam esse. (Ἐν κεφαλαίῳ δ' ἃ λέγω φράσας).

III.

CICERONIS ORATIO PRO MILONE

Argumentum. Annio Miloni et P. Clodio summae erant inimicitiae, eo maxime quod Cicero Milonis opera in patriam reductus erat. Cum igitur in eundem annum consulatum Milo, Clodius praeturam peteret, ut se invicem impedirent, saepe inter se cum suis factionibus depugnaverunt. Quodam vero die iter facientes sibi obvii facti sunt in via Appia cum comitatu servorum; inter quos cum rixa orta esset, Clodius ipse vulneratus et a suis in vicinam tabernam delatus est. Quod sibi Milo vivo Clodio periculosius futurum intelligens, exturbari eum taberna iussit et interfici. Post multas turbas a Clodianis excitatas et varia senatusconsulta tandem iudicium habitum coram Cn. Pompeio, qui interea consul

sine collega creatus et iussus erat *videret, ne quid respublica detrimenti caperet.* Consedit Pompeius septus delecta manu militum, et praesidiis circa omnes fori aditus collocatis.

Notandum. Quibusdam videbatur Milo ita defendendus, Clodium utpote civem sceleratum pro republica occidi potuisse. Sed Ciceroni id non placuit; quare cum accusatores posuissent, a Milone Clodio insidias factas esse, hoc apprehendit, contra disputans: non Clodio a Milone, sed Miloni a Clodio insidias esse factas; et in hoc probando prior et maior pars confirmationis versatur; alterum vero illud in posteriore parte artificiose adiunxit.

Exordium *ab adiunctis iudicii.* 1. *Excusat* suum timorem a forma iudicii inusitata, cum non corona civium, sed militum frequentia stipati sint. 2. *Confirmat* iudices, quia et praesidia contra Clodianos adhibita sint, et reliqua civium multitudo Miloni faveat (cap. 1). 3. *Hortatur* iudices ad constantiam, eo quod virum bonum contra perditos cives tueri debeant, et sua atque Milonis sorte ad misericordiam flectit. 4. *Proponit* assumptum: *non se postulaturum, ut Milo absolvatur, eo quod mors Clodii reipublicae salus fuerit, sed ideo tantum, quod Milo vitam suam a Clodio defenderit* (cap. 2).

Confutatio. Ut demonstret, hoc unum in iudicium venire: uter utri insidias struxerit, *tria praeiudicia* ab adversariis iactata refellit:

I. Negabant Clodiani, ullam defensionem superesse illi, qui hominem a se occisum esse fateretur.

Respondet Cicero (praemisso exemplo Horatii

qui cum sororem occidisset, populi comitiis liberatus est),

1. interdum hominem (etiam privata auctoritate) iure interfici; et probat auctoritate *a*) iudiciorum, *b*) clarorum virorum, qui cives sceleratos occiderunt, *c*) duodecim tabularum, quae furem nocturnum vel diurnum armatum interfici permittunt (cap. 3);

2. id autem maxime licere, cum vi vis illata defendatur; quod confirmat *a*) exemplo militis a C. Mario absoluti; *b*) sensu naturae communi; *c*) lege de sicariis (cap. 4).

II. Dicebant adversarii Milonem iam a senatu fuisse condemnatum, quippe qui iudicasset, caedem in via Appia contra rempublicam esse factam.

Respondet 1. Senatus potius et sententiis suis et studiis causam Milonis probavit, ita quidem ut tribunus plebis conqueri soleret, senatum non quod sentiret, sed quod vellet Cicero, decernere.

2. Iudicavit, non senatus tantum, sed ipse etiam Cicero, caedem in via Appia contra rempublicam esse factam, quia omnis vis contra cives, etsi necessaria, contra rempublicam fieri censenda est (cap. 5).

III. Tertium praeiudicium dicebatur Pompeii, qui in gratiam Clodii novam legem (de non usitata forma iudicii) tulerat.

Respondet 1. Pompeius iudicium haberi voluit de caede Clodii, quam Milo confitebatur; ergo etiam in confessione facti iuris tamen defensionem suscipi posse vidit.

2. Novam quaestionem constituit in gratiam temporis, non Clodii. Nam in gratiam Clodii con-

stitui non potuit, nisi vel insignis Clodii dignitas requireret, vel quia in monumentis maiorum suorum occisus est; atqui *a*) pro nullis etiam nobilissimis civibus, ut Druso, Africano, Pompeio, Cicerone nova quaestio concessa; multo minus pro Clodio (nota illustrem *ironiam*); *b*) scelera a Clodio in illis maiorum suorum monumentis commissa ideo non censentur atrociora; ergo neque mors eius censeri debet. Accedit, quod Pompeius optimos viros iudices elegit, et ideo nequaquam, ut iactant adversarii, Ciceronis amicos omisit (cap. 6, 7, 8).

Sequitur NARRATIO, in qua exponit, quo consilio et qua occasione Clodius Miloni insidias struxerit, et utriusque apparatum atque ipsam denique pugnam describit (cap. 9, 10).

CONFIRMATIONIS PARS PRIOR

In qua demonstrat, iure Clodium a Milone occisum esse, quia non Milo Clodio, sed Clodius Miloni insidiatus sit. — Antequam vero in causam ingreditur, rursus eius statum declarat (cap. 11). Argumenta ducit

I. *a causa*. 1. Clodio Milonis mors utilis, non item Clodii mors Miloni. Nam Milone non solum vivo, sed etiam consule, Clodius non potuisset in praetura exsequi, quae cogitabat (hic orator leges, quas laturus erat Clodius, commemorans ad maiorem invidiam Clodio conflandam, per digressionem invehitur in Sex. Clodium, Publii librarium et eiusdem sepulturae auctorem: —) Milo contra vivo Clodio a populo desiderabatur consul, ut

illius furores constringeret; eo mortuo communi via honores petere debebit.

2. Milo Clodium segetem gloriae suae non oderat; sed oderat quam maxime Clodius Milonem, qui eum cohibebat, et cuius insuper lege Plotia reus erat; (cap. 12, 13).

II. *ab adiunctis personarum.* Clodius omnia per vim facere consueverat; nihil unquam Milo. Pars prior probatur *enumeratione* brevi facinorum, quae Clodius vel commisit, vel tentavit; pars altera ita tractatur, ut crescat argumentum *comparatione a maiori.* Multae et praeclarae occasiones erant Miloni Clodium interficiendi; qui igitur opportuno tempore per vim agere noluit; is multo minus credendus est nunc voluisse, cum amplissimi honoris contentio et dies comitiorum subesset. In conclusione Clodii audaciam denuo exaggerans paucis addit, illum Miloni mortem praenuntiasse (cap. 14, 15, 16);

III. *ab adiunctis itineris, temporis et loci.* 1. Milonis iter necessarium erat, scilicet ad flaminem Lanuvii prodendum, et notum multis, nominatim T. Patinae Clodii familiarissimo. Contra Clodii iter alienum, cum eo die a tribuno plebis, suo mercenario, concio turbulenta concitaretur; reditus autem eius notus Miloni esse non potuit; quia ipsi servi Clodii testantur, eo die Clodium non fuisse rediturum, sed consilium repente mutasse.

Obiicitur: Ergo ne Clodius quidem de insidiis cogitavit. — *Respondet:* Ratio, cur consilium mutaret, non erat illa, quam servi dicunt; sed quia nuntiatum ei erat de Milonis itinere (cap. 17, 18).

2. Nulla erat Clodio causa iter sic disponendi ut noctu Romam veniret; contra Milo insidiaturus prope urbem nocturno tempore Clodium expectasset.

3. Praesertim cum hic locus prope urbem latronum plenus, et is esset, ubi Clodius multos violavit et bonis expulit. Ergo Milo vel hoc loco vel certe inter Ariciam et Albanum inimicum aggressus esset.

Argumenta, quae hucusque exposita sunt, referri possunt ad adiuncta *ante factum;* priusquam vero ad *factum ipsum* transit, orator illa pressa oratione omnia simul ante oculos ponit (cap. 19);

IV. *ab adiunctis ipsius caedis.* 1. Locus pugnae non Miloni, sed Clodio favebat.

2. Milonis apparatus et comitatus ad insidias et pugnas impeditissimus; Clodii contra.

Hic occurrit *prolepsi:* Cur igitur victus est Clodius? ostendens id non una de causa fieri potuisse (cap. 20; 21);

V. *ab iis*, quae caedem *consecuta* sunt. Incipit autem a refutatione:

Obiicitur 1. Milo servos manumisit. — *Respondet* 1. Non ideo manumissi sunt, ne tormentis adacti contra Milonem testarentur. Nam qui torquentur, de facto, non de iure interrogantur; *atqui* factum Milo confitetur. 2. Ideo manumissi sunt, quia, ut Cato sapienter in concione dixit, non libertate solum, sed omnibus praemiis digni fuerunt, qui domini caput defendissent.

Obiicitur 2. Urgent Milonem quaestiones habitae in atrio libertatis. — *Respondet:* Quaestiones

istae habitae sunt de servis Appii accusatoris; atqui quaestio de servis in dominum contra leges est; quanto igitur magis quaestiones de servis accusatoris in reum? Augetur argumento *a persona Appii*, qui ipse illam quaestionem instituit, et *a vi* servis illata, ubi nota brevem sed pulcherrimam *prosopopoeiam* (cap. 22). Iam transit a refutatione ad

Argumentum: Milo magna constantia statim Romam rediit, et populo, senatui, praesidiis publicis et ipsi Pompeio se commisit (nota *gradationis* figuram); atqui nisi innocens, id ausus non esset, quia magna vis conscientiae. Confirmat conclusionem *a*) auctoritate senatus, qui ea de causa Milonem innocentem iudicavit; *b*) *a contrario:* Omnes, qui Clodium a Milone non necessitate, sed ultro, sive privata, sive publica causa occisum putabant, Milonem in exilium iturum dicebant; *c*) multa alia crimina postea in Milonem congesta sunt, quae nocentem non potuissent non exterrere. Sed haec etiam eo spectant, ut sicut reliqua crimina in Milonem congesta falsa comperta sint, ita crimen insidiarum falsum esse videatur (cap. 23, 24)

Ultimo loco de *suspicionibus Pompeii* agit:

1. Totam rempublicam armari et Pompeio committi metu unius hominis, non est probabile; ergo non in Milonem, sed ad omnes reipublicae partes sanandas haec potentia parata est.

2. Milo et iis, quae antea gesta sunt, Pompeio amicissimus cognoscitur, et nunc paratus est, nisi se purget Pompeio, in exilium ire: — admonens tamen Pompeium rerum humanarum inconstantiae.

3. Pompeius cum, commissa sibi a senatu republica, iure proprio punire Milonem posset, iudicium non instituisset, si eum condemnatum vellet (cap. 25, 26).

CONFIRMATIONIS PARS ALTERA

In qua ostenditur, Milonem absolvendum fore, etiamsi non sui defendendi causa Clodium occidisset.

Argumentum I. Quia Clodius perniciosus et sceleratus civis fuit.

Argumentatio: Cives qui rempublicam perturbabant, a viris fortibus non modo impune, sed gloriose quoque interfecti sunt (quod *probatur exemplis* Sp. Maelii et Tib. Gracchi); *atqui* Clodius 1. multo magis, quam hi, rempublicam afflixit, quod ostenditur longa enumeratione scelerum ab illo admissorum); — 2. extrema quaeque civibus paravit; *ergo*. — (Nota insignem *prosopopoeiam*, qua Milonem de hoste patriae a se occiso gloriantem inducit (cap. 27, 28).

Argumentum II. Quia mors Clodii universae civitati laetitiam attulit.

Argumentatio: Populus in Clodii morte, ut vix in clara aliqua victoria, laetatus est, et iam sperat se bona visurum, quae vivo Clodio visurus non erat. Hoc ita esse ostenditur *prolepsi:* non soli Ciceroni, inimico Clodii, sic videtur; sed neque iudices, neque Pompeius, reviviscere Clodium ullo pacto vellent (ubi nota ingeniosam *fictionem); atqui* ei, qui communis libertatis et laetitiae auctor est, non poena sed praemia debentur :

quod *confirmatur* Graecorum exemplo, qui eiusmodi viris deorum honores tribuunt. *Ergo* Milo, si sponte Clodium occidisset, summis praemiis dignus esset, et proinde factum suum confiteretur, ut, si grata esset respublica, laetaretur; si ingrata, sua conscientia niteretur (c. 28, 29, 30).

Argumentum III. Quia mors Clodii non ab humano consilio, sed a deorum numine repetenda est.

Argumentatio: Inprimis esse in mundo numen divinum brevissime *probat* a mundi optima constitutione maiorum auctoritate, et *comparatione a minori:* si in corpore humano mens inest, etsi non videatur, multo magis in mundo.

Deinde ostendit a diis Clodium ad supplicium tractum esse 1. *ab adiunctis loci*, quia occisus est ante lucos Albanos, velut in conspectu Iovis Latiaris et ante ipsum sacrarium Bonae deae (nota illustrem *apostrophen);* — 2. *a consequentibus*, quia deorum ira accidit, ut suorum satellitum furore sepultura privaretur (cap. 31, 32).

Sequitur *epilogus* posterioris partis, in quo argumenta a persona Clodii sumpta repetendo amplificat: Scelestus hic homo iam universae reipublicae perniciem parabat (nota praeclaram amplificationem *per congeriem);* nemo nisi Milo ei resistebat; ergo nisi dii illum impulissent, ut Miloni insidiaretur, respublica perierat; quam conclusionem confirmat et amplificat ab incendio curiae (cap. 32, 33).

Peroratio, in qua iudices ad misericordiam movet, argumenta sumens

1. *A persona Milonis*: utpote viri *a) constantis:*

si Milo in ipso iudicio non commoveri videatur, eo magis misericordia dignus est; quippe id constantiae tribuendum, qua patria etiam carere contentus est, modo beata sit (Nota *prosopopoeiam);* — *b*) *bene meriti:* inde iam mala omnia ei imminent, unde bona sperare debebat; *c*) *sapientis*, qui ipsa recte facta, non recte factorum praemia, aut certe non aliud praemium, quam gloriam sequebatur: hanc vero amplissimam consecutus est;

2. *A persona Ciceronis*, *a*) cui carissimum virum non inimici, sed amicissimi (iudices scilicet) eripiunt; *b*) qui fecit pro Milone, quae potuit, paratus pro eo extrema pati.

3. Postquam Milonem, qui his lacrymis non movetur, propter fortitudinem ipsis etiam militibus commendavit, redit postremo ad ea, quae et de Milone et de se commemoraverat, dolorem animi effundens (cap. 34-38).

IV.

EIUSDEM ORATIO PRO LEGE MANILIA

(Vide pag. 366)

V.

BOSSUET ORATIO

DE VIRGINE IN COELUM ASSUMPTA

Textus. Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum (Cant. 8, 5).

Exordium a nexu inter mysterium Virginis as-

sumptae et Verbi incarnati. Ut enim Dei Filius in Virginis uterum descendens ab ea accepit vitam mortalem, ita eam ad se in coelum assumens vita donavit gloriosa: de quo laetantur Angeli nosque cum ipsis. Neque tamen hanc coelitum laetitiam aut Virginis gloriam orator enarrandam, sed, ut cum magnitudine Mariae vitae exempla ostendat, demonstrandam assumit hanc

Propositionem: Virtus Mariae gloriae, quam nacta est, causa fuit.

Partitio: Ut ad hanc gloriam perveniret necesse fuit:

I. ut mortalitate exueretur; atqui hoc fecit in ea *amor divinus;*

II. ut immortalitate donaretur, et hoc contulit *virginalis puritas;*

III. ut super omnes coelitum ordines sublevaretur, quod meruit *humilitas.*

PARS I.

Christus moriendo mortem vincens universo generi humano hanc statuit legem, ut nemo ad vitam nisi per mortem veniret. Qua de causa si Maria quoque mori debuit, non tamen mortua est vulgari modo, sed vi amoris in Filium. Quod ut probet orator duo demonstrat:

1. Singularis prorsus et summus fuit Virginis Matris in Filium amor.

Ostenditur 1. a *natura* huius amoris. Maria in Filio Deum, et in Deo Filium suum amavit; itaque, ut Amaedeus, Episcopus Lausoniensis, loquitur, *duae dilectiones in unum convenerant, et ex*

duobus amoribus factus est amor unus. Sed amor matris in filium est maximus, quem natura, et amor hominis in Deum maximus, quem gratia generat; prorsus igitur singularis esse debuit dilectio Virginis, in qua uterque hic amor coniunctus erat.

2. A *causa* amoris. Filius, quem genuit Maria, idem est, quem gignit Pater aeternus, *cum quo solo ei est generatio ista communis* (S. Bernardi Serm. 2. de Annunt. B. V. M.); neque enim genuit naturali foecunditate, sed virtute Altissimi obumbrante. — Atqui Deus, qui Filium cum ea communem habere, eamque sua virtute foecundam reddere voluit, procul dubio etiam amorem dedit similem ei, quo ipse filium diligit. — Ergo amor Mariae communem amandi modum ita superavit, ut nos eum ne cogitatione quidem assequi possimus.

2. Hic amor suapte natura tam singularis incredibiliter auctus est, cum Maria diu eum perfectissimo quodam modo exerceret, et Filii in se amorem, novis continue donis aucta, experiretur.

II. Ex hoc amore post Iesu ascensionem non potuit non ingens desiderium, ut cum Filio coniungeretur, nasci.

Quod tum ex *natura* amoris infertur, tum *exemplis a minori* illustratur; exemplis scilicet *S. Pauli*, qui desiderabat mori, *ut esset cum Christo; uxoris Tobiae* filii reditum anxio desiderio praestolantis; *martyrum*, qui sanguinem fuderunt, ut ad Christum pervenirent; *Simeonis* prophetae, qui *viso salutari Dei in pace dimitti* cupiebat. — Unde colligit orator, mirum esse, quod Maria

post Filii ascensionem tot annos superstes fuerit. Sed nimirum voluit Deus, ut eius amor omni ratione perficeretur, nec nisi cum ad summum pervenisset, purissimum spiritum e corporis ergastulo educeret.

Sequitur *amplificatio* per suavissimam textus *paraphrasin* (in qua nota *translationem continuatam*).

Concludit orator *documento vitae:* Qui, cum huius vitae bonis frui conceditur, nihil praeterea desiderant, divinum Redemptorem minime diligere probantur. Illi amant, qui terram relinquere anhelant. Quare sibi auditores provideant: nam, ut Augustinus monet, *qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis* (In Psal. 184).

PARS II.

Huius partis assumptum orator probat syllogismo; *Maior:* Virginalis Mariae puritas excellens fuit. — *Probatur:* Cum Iesus, sponsus virginum, matrem sui similem vellet, eam non solum a peccati labe, sed ab ipso peccati fomite immunem servavit. — *Minor:* Atque talis puritas 1. carnem Mariae a corruptione exemit. — *Probatur:* Causa cur etiam Sanctorum caro corrumpatur, haec est, quod peccati fomite infecta tota immutari et renovari debet, ut regnum Dei possidere queat. Atqui caro Virginis semper pura nulla renovatione egebat: ea ergo corrumpi non debebat.

2. Resurrectionem ante commune tempus obtinuit.

Illustratur similitudine terrae optime cultae, quae fruges ante tempus edit, et *confirmatur* amore Iesu, qui virginali puritate allectus quondam *in* Mariae *utero*, ut Tertullianus loquitur, *radicem egit*, ideoque nunc procul dubio eandem virginalem carnem gloriosam reddere festinat.

3. Corpori Mariae resuscitato singularem gloriam contulit.

Probatur: De resuscitatis Iesus: *Erunt sicut Angeli Dei* (Matth. 22, 30), quare carnem eorum Tertullianus vocat *angelificatam.* Sed hoc prae ceteris virtutibus confert virginitas, quae, ut ait S. Augustinus, *habet aliquid iam non carnis in carne.* Quod si in hac vita homines reddit Angelis similes, multo magis in altera. Tanto igitur maiore claritate Mariae corpus fulget, quanto ipsa ceteras virgines puritate vicit. — *Amplificatur* expositione sententiae Scripturae: *Mulier amicta sole* (Apoc. 22, 1).

Adhortatio, ut, qui virginitatem colunt, de sua sibi sorte gratulentur, memores tamen apostolici moniti: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (2 Cor. 4, 7).

PARS III.

Humiles iis, quae possident, voluntarie se spoliant, sed maiora a Deo recipiunt: *tamquam nihil habentes et omnia possidentes* (2 Cor. 6, 10). Hoc in Maria ostenditur:

I. Possidebat 1. excelsam Dei Matris dignitatem, et pro ancilla haberi voluit;

2. Admirandam puritatem, et mixta est mulieribus immundis;

3. Iesum, et eo quoque privari sustinuit. — Hoc tertium orator paullo fusius tractat, expendens verba Christi: *Mulier, ecce filius tuus* (Io. 19, 26). Iam non matrem, sed mulierem appellat, et ad pietatis officia, quae ipse praestiterat, hominem delegat. — *Amplificatur;* Conqueritur Maria, quod a Filio deseratur; respondet Iesus: *Ecce filius tuus. O commutationem!* (S. Bern.). Maria tamen acquievit, indignam se iudicans, quae Deum Filium haberet.

II. Sed haec eius animi summissio a Deo magnifice remunerata est.

1. Ancillam se fecerat, et datum est ei imperium in universa creata;

2. Ut mulier immunda comparere voluit, et data est ei potestas intercedendi, *refugium* facta *peccatorum;*

3. Filio se crucis morte privari sustinuit, et illum gloriosum recepit: Ecce iam *innixa super dilectum suum* ingreditur (Nota apostrophen).

Amplificatio. Appellat orator coelos, ut novo concentu Virginis triumphum celebrent; et audire sibi videtur Patriarchas et Prophetas repetentes, quae aliquando de Matre Virgine vaticinati sunt: *Moysen* (Num. 24, 17), *Isaiam* (7, 14), *Ezechielem* (44, 2), *Davidem* (Ps. 44, 10-14-16), sed inprimis ipsam *Mariam* (Luc. 1, 46-48).

Percrat adhortando fideles, ut gloriosae Virginis auxilium implorent, et verbis utens sancti Bernardi: *Quis tam idoneus ut loquatur ad cor Domini nostri Iesu Christi, ut tu felix Maria?* — pro se et auditore precatur.

VI.

BOURDALOUE ORATIO DE AMBITIONE

(Quadrag. Tom. 1)

Textus. Respondens autem Iesus dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis. Matth. 20, 22, 23.

Exordium ex Evangelio: Redemptor divinus discipulos assumpsit, qui huius vitae honores ambiebant, ut eos corrigens nos quoque doceret. Quod inprimis in hac de filiis Zebedaei narratione cernitur, et eo magis auditoribus observandum est, quod ambitionis vitium inter aulicos (ad quos haec oratio habetur) maxime dominatur.

Propositum oratori est, ex Iesu Christi verbis demonstrare, quanta sit ambitionis perversitas.

Narratio et partitio: Verba, quibus Magister divinus discipulis primos honores postulantibus respondet, tria documenta continent:

I. Solius Dei est, honores deferre: *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.*

II. Qui honores administrant, tenentur aliorum commodis servire: *Qui voluerit inter vos maior fieri, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator.*

III. Obligantur iidem ad multam tolerantiam: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*

Atqui ambitiosi honores tanquam bona mere

humana, eoque animo quaerunt, ut superbum in alios dominatum exerceant, ipsi vero vitam mollem et iucundam agant.

Ergo tria illa Christi documenta ambitionis turpitudinem et tristes effectus praeclare revelant.

Notandum. In singulis partibus orator duo facit: primum demonstrat veritatem sententiae, quam de honoribus verbis Iesu Christi statuit; deinde ostendit, quantopere cum ea pugnent ambitiosorum studia et vitae rationes.

PARS I.

I. Solius Dei est, honores deferre.

Probatur a genere. Nullum vitae genus homo eligere debet, nisi ex Dei voluntate; nam id postulat et Dei in res humanas suprema potestas, et ipsius hominis bonum, eo quod vitae conditionem praeter Dei voluntatem eligens divinae gratiae auxiliis se ipse privat, et multis ac gravissimis periculis obiicit. — Atqui si de omni vitae genere, multo magis ita de honoribus existimandum est dicente Apostolo: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo* (Hebr. 5, 4). Si enim omnia a Deo disponi debent, multo magis summa; et si homini omne vitae genus praeter Dei voluntatem electum periculosum est, multo magis honores.

II. Sed ambitiosi quaerunt honores sine ullo ad Dei voluntatem respectu (praemittit orator *distributionem* eorum, quae sequuntur):

1. Nituntur ad honores, etsi ad eos administrandos nec nati facti, nec divina gratia instructi sint. — *Amplificatio.* Vitam humilem coenobitae

non esse nisi vocante Deo eligendam fatentur; sed ad munera gravissima, quibus vix sanctissimi viri sine periculo funguntur, se ipsi destinant, spernentes Christi verba et SS.-Patrum severa monita. Denique hoc profano modo etiam ipsas Ecclesiae dignitates vel sibi vel liberis expetunt.

2. Nituntur ad honores non virtute et meritis, sed ambitu, fraudibus, turpitudine.

3. Petunt munera etiam sanctissima tanquam natalium suorum splendori debita. — *Amplificatur comparatione a maiori:* Moyses ausus non est, qui sibi succederet, designare, *aut* (Philonis sunt verba) *quia non putavit rem tantam ad suum pertinere iudicium, aut quia ipse non potuerat nisi Deo vocante principatum suscipere.* Contra isti ambitiosi cum principibus, quos notat David: *Haereditate*, inquiunt, *possideamus sanctuarium Dei.* De quibus oratur indignabundus cum eodem Davide: *Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti* (Ps. 82, 14).

4. Petunt honores tanquam meritis suis debitos. — At eo quod bene meruisti in alio munere, ad haec summa gerenda aptus non es; non sunt autem remuneranda bene facta potestate male faciendi.

5. Parentes haec munera, quae coelitus deferenda sunt, liberis suis usurpant, quo his opitulentur et honorifice provideant. Exponitur comparatione cum uxore Zebedaei: *Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam*, i. e. ecclesiastica, *alter ad sinistram*, i. e. civili dignitate conspicuus. — *Augetur:* Hoc ipso, quod quis nobilis familiae filius natu minor sit, ad munera

ecclesiastica inde a cunis destinatur: quin etiam, quod deplorat Salvianus: *Nunc nulli Deo magis voventur, quam quos parentum pietas minus respicit; et qui indigni censentur haereditate, digni iudicantur consecratione.*

Conclusio. Iam igitur mirari desinamus, si Deus tanti sacrilegii poenas exigat, si honores cum sacri tum profani tam saepe pessime administrantur. Sed hanc doctrinam ab audientibus recipi orator desperans sermonem ad Deum convertit, cum Isaia conquerendo: *Domine, quis credidit auditui nostro?* (53, 1).

PARS II.

1. Qui honores administrant, aliorum commodis servire oportet.

Probatur 1. *ex rei natura.* Quaecunque in rebus humanis alta sunt, a Deo sunt in aliorum utilitatem ordinata; unde S. Ambrosius infert, hominem non dominari nisi ut serviat. Et licet, ut constat ex Evangelio *(Principes gentium dominantur eorum)*, ethnici hanc doctrinam communiter non sequerentur; veritatem tamen eius vel solo rationis lumine noverant, docente Aristotele, reges non in suam, sed in populorum utilitatem maiestate donatos esse. — Atqui si id de regio, multo magis de aliis honoribus statuendum est. Quare S. Bernardus: *Praees, non ut de subditis crescas, sed ut ipsi de te;* et cum S. Augustino inferendum, eos, qui potestate non in aliorum, sed in sua commoda utantur, pervertere ordinem a Deo constitutum.

Probatur 2. et *augetur* exemplo divini Redemptoris, qui *venit non ministrari, sed ministrare*

(Matth. 20, 28); unde concludit S. Chrysostomus, ab ambitiosis affectari imperium, quale nec ipse Dominus Christus exercuit· et S. Bernardus praepositos monet: *Forma evangelica haec est, dominatio vobis interdicitur, indicitur ministratio.* S. Augustinus vero de se ipse profitetur: *Quod christiani sumus, propter nos est; quod praepositi, propter vos*, et sapienter adiungit, ita inter homines natura pares conditionis disparitatem compensari.

II. Ambitiosi potestate abutuntur, ut in alios superbe dominentur.

Postquam orator rationem agendi superborum paucis exposuit,

1. *Refutat* excusationem, qua se defendunt, ita sibi agendum esse dicentes, ut officium exsequantur, eiusque tueantur dignitatem. Respondet *a*) si studio exsequendi officii ducerentur, non minus graviter et fortiter agerent, ubi labor subeundus, ubi comiter et demisse agendum est; *b*) ut officium exsequantur, eius iugum aliis non debent intolerabile efficere; *c*) qui in tuenda dignitate christianae humilitatis et charitatis immemores sunt, nunc arrogantia nunc vindictae studio ad nefanda haud raro impelluntur.

2. *Deplorat*, id vitii reperiri etiam in hominibus, qui pietatis studium prae se ferunt, quin etiam in Ecclesiae ministris, qui cum a Christo potestatem acceperint, humilitatem tamen Christi non imitantur.

Concludit graviter omnes monens, ut Christi praeceptum servent: *Qui maior est inter vos, fiat sicut minister;* excusans etiam libertatem dicendi: populis obedientiam, quam debent praepositis,

inculcandam; sed vicissim iis, qui honoribus funguntur, ea, quae populis debent, libere edisserenda.

PARS III.

I. Qui honores administrant, ad multam tolerantiam obligantur.

Probatur 1. *universe* verbis Christi: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum;* unde S. Augustinus infert, perperam in hac vita quaeri honores, quibus non sit mixtus dolor.

2. Casus fortunae adversi saepe de prosperitate deiiciunt, aut saltem vehementer angunt et affligunt. — Hoc argumentum figura *praeteritionis* tractat; deinde iis quoque, qui fortunae constantia gaudent, multa esse toleranda, sic confirmat:

3. Ut quae ex muneris officio debent, rite exsequantur, labor multus subeundus, incommoda multa ferenda sunt.

4. Saepe et multum iis patiendum est ab aliorum sive vitiis sive erroribus. *Illustratur exemplo* Moysis. Nisi qui huius mansuetudinem et patientiam, vim sibi inferens, imitetur, officium implere saepissime non potest.

5. Vitam sollicitudinis plenam agant necesse est, ut cum Davide dicant: *Tribulatio et angustia invenerunt me* (Ps. 118, 143). Quare S. Bernardus: *Non est*, inquit, *quod blandiatur celsitudo, ubi sollicitudo maior.*

5. Prompti denique sint oportet, se ipsos immolare. Accidit enim ut officio satisfacere nequeant, nisi pro iustitia, innocentia, sacra religione et Dei gloria se martyrum instar devoveant. Hoc

difficile, sed a Deo sapienter dispositum, ut scilicet, *cui multum datum est, multum exigatur ab eo.*

II. Ambitiosi, cum honores adepti sunt, vitam mollem et inertem agunt.

Hic orator ambitiosos ipsos appellans vitam eorum graphice describit, quo scilicet pacto laborem declinantes otio se dedant, et curas dimittentes oblectamenta captent; auctoritate vero sua non utantur nisi ad cupiditates explendas. Quare graviter eos coarguit, quod rerum ordinem a Deo dispositum invertant, in eosque quadrare ait S. Bernardi effatum: *chimaera saeculi sum;* etenim sunt magistratus, sunt praelati, eo quod muneris honorem et insignia habent, et tamen non sunt magistratus, non sunt praelati, quia muneris officium non exsequuntur.

Perorat brevi precatione, Deum obtestans, ut Evangelii veritate illuminet, qui rerum humanarum vanitate caecati sunt, ne mortalis honoris ambitu immortalis gloriae iacturam faciant.

VII.

SEGNERI ORATIO DE TRISTI STATU PECCANTIUM

(Quadrag. orat. 28.)

Textus. Quis ex vobis arguet me de peccato?
Ioann. 8, 46.

Exordium ab exemplo 1. *Narrat* exemplum. Cum Carolo VII, regi Galliae, bellum esset cum Anglis, missus est ad eum militum dux, qui de cladibus acceptis et periculo provinciis imminente nuntiaret. Rex ludis intentus legatum post lon-

gam moram admissum per aedes regias circumduxit, ut apparatus festorum dierum contemplaretur. Qui interrogatus, quid de his sentiret: Nemo, inquit, alius tam laetus, quam tu, o rex, iacturam suorum fecerit bonorum. — 2. Exemplum in rem suam accommodat. Bona omni regno maiora amittit homo peccando; et tamen qui peccaverunt, ludis et iocis hilares intendunt. Quodsi statum suum, qualis sit, intelligerent, amaris lacrymis deflerent, nec quiescerent, donec amissa recuperarent. — Hoc ut efficiat, orator demonstrandum assumpsit:

Propositio. Mirum est, eos, qui peccaverunt, unquam posse laetari.

PARS I.

In qua propositio duplici serie argumentorum probatur, scilicet a bonis amissis, et a malis imminentibus.

Argumentum I. Quia amiserunt excelsam dignitatem.

Argumentatio: Erant non solum servi, sed etiam amici et filii Dei divinae consortes naturae (nota *gradationis* figuram), sed admisso peccato audiunt a Deo: *Nescio vos.* — *Amplificatur* conclusio comparatione *a minori*: cum Esau perdidisset iura primogeniti, *irrugiit clamore magno;* et vos, qui omni filiorum iure exspoliati pro benedictione maledictionem sortiti estis, laetitia gestitis ut Iacob.

Argumentum II. Quia Deus ab iis recessit.

Argumentatio: Deus proprio quodam et singulari modo in iustis habitat, sed *longe est Dominus ab impiis* (illustratur per *similitudines*); atqui ut iusti per illam Dei praesentiam omnia sperare

possunt, ita impii cum illa omnia perdiderunt. Utrumque conglobatis exemplis Scripturae probatur et amplificatur.

Argumentum III. Quia amiserunt anteactae vitae merita.

Probatur verbis Scripturae: *Si averterit se iustus a iustitia sua... omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur* (Ezech. 18, 24). — Quanta sit haec vis peccati deletrix, ostenditur *enumeratione* Sanctorum, qui alius alio virtutis genere eminuere, inferendo ex sententia Scripturae allata, si, qui peccant, hos ipsos Sanctos virtute et merito superassent, tamen peccato vel uno admisso et non expiato perdita fore omnia (*subiectio* et *repetitio*). Et post tantam iacturam exultant *sicut exultant victores capta praeda, quando dividunt spolia* (Is. 9, 3).

Argumentum IV. Quia amiserunt etiam facultatem merendi.

Hoc argumentum orator cum praecedenti nectit et utrumque *illustrat similitudine* agricolae, qui pomarium optimis et rarissimis arboribus consitum, et multo labore cultum, una nocturna tempestate reperit devastatum. Atqui maior est iactura, quam peccantes faciunt, cum fructibus etiam germina et radices amittentes, gratiam scilicet sanctitatis et virtutum habitus. — *Confirmatur et amplificatur* sententiis Scripturae, ut: *Radix eorum exsiccata est* (Ose. 9, 16) — et similitudinibus, quibus Scriptura miserabilem peccantium statum exprimit.

Antequam orator ad alterum genus argumentorum transit, ad hactenus tractata amplificanda describit *diem planctus* Iudaeorum, de quo refert

S. Hieronymus (in Soph. c. 1). Licitum non era Iudaeis, ingredi Ierusalem nisi recurrente anniversario die, quo civitas a Romanis capta fuit. Hoc vero ipso die, ut ruinam suae eis flere liceat civitatis, pretio redimunt, ut qui quondam emerant sanguinem Christi, nunc emant lacrymas suas. Videas igitur confluere populum lugubrem, in habitu suo iram Domini demonstrantem, et sonantibus tubis obire dirutae urbis plateas, plangere templi sui ruinas, ululare super cineres sanctuarii et super altare destructum. — Adhuc fletus in genis et livida brachia et sparsi crines, et miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat. Et dubitat aliquis, cum haec videat, de die tribulationis et angustiae, de die calamitatis et miseriae, etc. — Haec, quae per se ipsa plurimum valent ad incutiendum divini iudicii horrorem, orator diffusius exponit, et deinde in rem suam traducit *comparatione a minori:* Iudaei, ut templi iacturam flere sibi liceat, pecunias largiuntur, ludibria plebis et militum insolentiam sustinent; vos autem, qui non templum Dei, sed Deum templi perdidistis, tripudiatis. Currunt dies, menses, anni, nec vos delictorum memoria compungit; monent oratores, exspectant sacerdotes, at vos non solum non rogatis, ut plangere liceat, sed nec plangitis rogati. Iam ergo ipse plangit orator miserabilem eius animi statum, in quo Deus non est, et Dei dona extincta sunt.

Argumentum V. Quia Deum adversarium habent.

Argumentatio — a minori ad maius: Romanus quidam, audito Tullium sibi in iudicio contrario fore, desperabundus se occidit; at multo magis timere debent, qui in causa ubi de aeterna sa-

lute agitur, Deum habent adversarium. — *Augetur:* At non agitur causa, sed, delicto vix admisso, sententia lata est: *Dilatavit infernus animam suam* (Is. 5, 14). Quis hac aperta voragine rideat?

Argumentum VI. Quia sub tali sententia constitutis mors undique impendet.

1. *Probat* similitudine a S. Augustino usurpata: Ut iniuria, domino illata, tota familia irritatur (exemplum Davidis a Semei maledictis lacessiti); ita universa creata Deum pro acceptis iniuriis ulcisci cupiunt. *Amplificatur* enumeratione rerum creatarum, quae per prosopopoeiam repetunt: *Vadam et amputabo caput eius* (2 Reg. 16, 9).

2. *Confirmat a causa:* antequam homo peccasset, nulla poterat ei res creata nocere, sed homine contra Deum insurgente, *omnia armata sunt in ultionem;* et hinc est, quod multo saepius impiis, quam iustis mortem inferant: *Bestiarum dentes, et scorpii, et serpentes, et rhomphaea vindicans in exterminium impios* (Eccli. 39, 36).

3. *Concludit* exaggerando multiforme vitae discrimen, in quo peccantes versantur, et cum S. Chrysostomo interrogando: *Quae possit illic esse voluptas, ubi metus,... ubi tantorum malorum exspectatio, ubi barathrum et deportatio?*

Argumentum VII. Quia in his periculis ab Angelis sanctis non custodiuntur.

Iustos Angeli non solum protegunt, sed iis mira quadam comitate velut serviunt; sed impios, qui Deum iniuriis afficiunt, etsi non plane derelinquant, tamen peculiari illa, qua indigent, ope destituunt, nominatim vero non illuc sequuntur, ubi isti scelus committunt (Nota descriptionem:

Angeli pacis amare flebunt). — Atqui ab Angelis, quorum est maxime nos protegere, derelictos quis ex tot periculis eripiet?

Amplificatur similitudinibus navigii gubernatore, currus auriga, ovis pastore, caeci duce destituti.

Argumentum VIII. Quia nec precibus nec bonis operibus ab his se periculis liberare ipsi possunt.

1. *Non precibus. Probatur a*) effato divino : *Cŭm multiplicaveritis orationem, non exaudiam* (Is. I, 15); *b*) exemplo Antiochi, qui ideo non est misericordiam consecutus, quia non delictorum veniam, sed sanitatem petebat. — *Augetur:* Impiorum preces non modo non exaudiuntur, sed Deo invisae sunt: *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius exsecrabilis* (Prov. 28, 9). — Ideo David, ut exponit S. Chrysostomus, omnes res creatas, ipsos etiam serpentes et dracones ad Deum laudandum invitat ; *solus peccator ab hac sacra chorea excluditur.*

2. *Non operibus piis:* quod infertur ex dictis, et figura *subiectionis* expolitur ; confirmatur sententiis Scripturae et amplificatur *enumeratione.*

Nota circumspectionem, qua orator providet, ne doctrina vera sed difficilior perperam intelligatur; huc enim spectant illa: ea tantum impiorum oratio certo exauditur, qua veniam poscunt ; eorum oratio Deo ingrata, donec voluntatem peccandi retinent; pia opera eorum mortua, non tamen inutilia.

Epilogus, in quo orator duo facit: 1. colligit ex dictis summum impiorum discrimen, ubi nota prosopopoeiam, qua daemones dicentes: *Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum: quia*

stupiditatem, qua in hoc discrimine, ut vitulus marinus inter fluctus tempestatis, obdormiunt. Mirum non est, Sanctos in mediis vitae periculis securos requiescere, sed valde mirum est, *esse impios, qui ita securi sint, quasi iustorum facta habeant* (Eccle. 8, 14).

PARS II.

Notandum. Segneri simplicem solet propositionem statuere, eamque in priori parte orationis probare. In altera parte longe breviori nunc adversa argumenta diluit, nunc doctrinae, quam probavit, usum ostendit, nunc eandem novo et ad perorandum idoneo argumento confirmat, nunc velut extra causam aliquid affert ad orationis finem perutile. — In hac igitur secunda parte:

I. breviter ostendit, cur, qui peccat, mala, quae sibi infert, non sentiat. Ratio est, quia haec mala menti, non corpori, inferuntur. Si sua cuique peccato poena corporalis esset, a peccato abstinerent *(enumeratio)*; nunc autem cum poena animum afficit, accidit iis, quod David de se fatetur: *Ad nihilum redactus sum, et nescivi* (Ps. 72, 21). (Nota *similitudinem* arcae, quae intacta manet, cum aurum in ea reclusum fulminis ictu consumitur).

II. Demonstrat, peccatum, etiamsi nulla nobis damna inferret, abhorrendum tamen esse, eo quod per illud Deus in nos summe beneficus iniuria afficitur: *Exacerbastis eum, qui fecit vos, Deum aeternum* (Bar. 4, 7.)

1. *Illustrat exemplo* S. Polycarpi, qui ante rogum constitutus, cum contumelia Christo simulate dicta liberare se posset: Octoginta, inquit,

et sex annos illi iam servivi, et nullo me hactenus incommodo affecit: quomodo igitur regem meum... contumeliosis verbis possum afficere?

2. *Confirmat* et *amplificat* enumerando beneficia creationis, providentiae et redemptionis, in hunc modum: Christiani peccandi licentia Deum ut inimicum habent, a quo se ulciscantur. Quaerit igitur et instat orator, quo tandem pacto Deus tam male de iis meritus sit, *a*) Non certe creando illos et donis suis cumulando (*enumeratio* per figuram *interrogationis*); *b*) neque immittendo aliquod huius vitae incommodum; nam *flagella Domini ad emendationem et non ad perditionem* (Iud. 8, 27); *c*) ergo superest, ut tum de illis male mereretur, cum pro eorum salute extrema passus crucem sustineret (Nota in hoc praestantissimo loco figuras *expolitionis*, *repetitionis* et inprimis *ironiae*, qua orator felicissime audax evocat Christianos, ut a Christo se ulciscantur).

Peroratio. 1. Obsecrat, ut de culpis admissis doleant, et peccandi finem faciant (Nota vim orationis dolore tenerrimo temperatam). — 2. Quodsi a peccato se prohibere nolint, spondeant saltem, non eo in loco se peccaturos, ubi praesentia Dei beneficia ingrati animi crimen exprobrent. At quo ibunt, cum *misericordia Domini plena sit terra*? (Ps. 32, 5).

A. M. D. G.

—

Cum approbatione Ecclesiastica